

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est. 16
Plút. 7

ECLOGE

BVLLARVM

ET MOTVPRO-

PRIORVM

Sanctiſſimorum Patrum, Summorumque Pontificum PII IIII. PII V. & GREGORII XIII. quæ hucuſque emanarunt, quæque ad S.R. Eccleſiæ vſum facere videbantur.

3507



BIBLIOTECA A BILBAO

LVGDVNI,
Apud CAROLVM PESNOT.
M. D. LXXXII.
Cum priuilegio Regis.

5

EST. PLUT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr grace & priuilege du Roy, eſt permis à Charles Peſnot marchand Libraire de Lion, d'imprimer ou faire imprimer, mettre en vente, ou debiter, vne ou pluſieurs fois, ce liure intitulé: *Ecloge Bullarum & Motuproprioru Sanctiſſimorum Patrum, Summorumque Pontificum Pij* IIII. *Pij* V. *& Gregorij XIII. &c.* & ce iuſques au temps & terme de dix ans, à conter du iour & datte qu'il ſera paracheué d'imprimer, ſans que pendant le dict temps il ſoit loiſible à autres Libraires, Imprimeurs, ou autres, d'imprimer ou faire imprimer & expoſer en vente, autre que celuy qu'aura faict imprimer le dit Peſnot, ſur peine aux contreuenans de deux centz eſcuz d'amende, confiſcatiõ deſdits liures, & de tous deſpẽs, domages & intereſtz. Et veut ledit Seigneur que faiſant mettre au commencement ou à la fin dudit liure l'extraict du preſent priuilege, il ſoit tenu pour deuëment notifié à tous: car tel eſt ſon plaiſir nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, comme plus à plain eſt contenu és lettres patentes dudit priuilege. Donné à Paris le xxi. iour de Iuillet, 1582.

Signé,
Par le Conſeil,
Bernard.

Approbatio Doctorum.

NOs *ſubſignati Doctores in ſacratiſſima Theologiæ facultate pariſienſi, teſtamur nihil hoc libro, cuius eſt titulus:* Ecloge Bullarum & Motupropriorum Sanctiſſimorum Patrum, Summorúmque Pontificum Pij IIII. Pij V. & Gregorij XIII. *contineri, quod ſacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ regulis aduerſetur, aut ſanctiſſimis Conciliorum œcumenicorum decretis, ſummorúmque Pontificum conſtitutionibus. In cuius rei fidem chyrographum noſtrum huic præſenti cartulæ duximus apponendum, die vigeſimaprima Iulij, M.D.LXXXII.*

N. Andigny.

A. d'Arbyſe.

Bibliopola ad Lectorem.

BVLLAS *Pontificias, quotquot colligere potuimus, in vnum corpus coactas, tibi amice Lector, edimus: nec omnes illas quidem, ſed eas tantum quas in noſtræ tempeſtatis vſum facere exiſtimauimus: In quibus ſi minus temporum ordo ſit ſeruatus, ne mireris: ſtuduimus quidem certe, quoad eius fieri potuit, omnia ſuo loco reponere. Sed, quia non omnes ſimul bullas nanciſci potuimus, hinc factum eſt, vt earum ſeries interdum ſit perturbatior. Sed tamen confidimus, te pro tua prudentia incommodo huic, ſi aliquod fuerit, facile obuiam iturum vale.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX BVLLARVM, & motuproprioriorum, quæ in hoc libro continentur.

PII V.

REGVLAE, ordinationes & constitutiones cancellariæ pagina 1.
Reseruatio mensium Apostolicorum, & alternatiua pro Episcopis residentibus 16
Reuocatio facultatum concessarum legatis, & nuntiis Apostolicis 17
Prorogatio expeditionis literarum quoad concessa per felic. rec. Paulum IIII. 18
Declaratio concilij Tridentini de compaternitate, & affinitate ex fornicatione, ac matrimoniis desuper contractis, & contrahendis 18
Declaratio Regulæ Pij IIII. super expositione gradus propinquioris in dispensationibus matrimonialibus 19
Alia prorogatio expeditionum Pauli IIII. 20
Reuocatio indultorum S. R. E. Cardinalium cum limitationibus pro futura illorum concessione 20
Reseruatio beneficiorum vacantium, & quæ in posterum vacabunt, sede Episcopali vacante 22
Reuocatio facultatum, concedendi commissiones alienationum bonorum Ecclesiasticorum, aut priorũ locorum Camerario, & Cam. Apost. Clericorum collegio concessarum 22
Ordinatio, quòd mandata, quæ in forma, Significa-
pro-

per rerum subtractarum, seu illas subtrahentium restitutione fiunt, ad eorum, quorum interest, duntaxat instantiam expediantur 23
Reseruatio alia mensium Apostolicorum, & alternatiua pro Episcopis residentibus 24
Bando delli libri prohibiti 25
Quòd iudices Capitolini possint in integrum restituere litigantes aduersus impedimentum sedis vacantis Pij IIII. 26
Edictum publicum Alexandri Riarij contra Notarios non portantes Notas ad Archiuium Rom. Curiæ 26
Constitutio per Medicos obseruanda 27
Iubileum pro vnione Christifidelium, & defensione Reipubl. Christianæ contra infideles 28
Reuocatio licentiarum, ac facultatum celebrandi Missas vespertino tempore 30
Bulla contra Blasphemos, Sodomitas, Simoniacos, & Concubinarios: itemque contra deambulantes per ecclesias, pauperes per eam mendicantes, ac alios in eis illicita facientes: necnon de tollendis ex eis capsis, & depositis mortuorum: de non laborando in diebus festiuis: ac circa plurima alia, Dei honorem, & diuinum cultum concernentia 31
Bulla super confirmatione, ac renalidatione Bullæ, olim à sanctæ mem. Paulo IIII. contra Iudæos editæ 35
Bulla super Clausura, & reformatione quarumcunq; Monialium 38
Contra omnes Archiepiscopos, Episcopos, Patriarchas, & alias Ecclesiasticas personas, curam animarum habentes, non residentes 41
Reformatio Motusproprij fel. rec. Pij IIII. super admissione appellationum causarum criminalium 41.
Motus proprius, per quem alius Motus proprius fel. rec. Pij IIII. sub Dat. Romæ x II. Kal. Iunij anno sexto, quo ad non admitten. appellationes, neque

decernen. inhibitiones &c. in causis criminalibus, moderatur, quò ad allegationem nouæ causæ in causis treguarum, & pacis fractarum, declaratur, quò ad spatium sex mensium, condemnatis in contumaciam ad sese expurgare præfixũ ad annũ prærogatur, quo vero ad præuentionẽ inter iudicẽ ecclesiasticũ, & laicũ ad terminos iuris reducitur 42

Exemptiones ab exactiõibus, datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus &c. vtriusque sexus religiosis personis ordinum mendicantium 44

Reuocatio licentiarum Græcis Latino more, & Latinis Græco ritu missas, ac alia diuina officia celebrandi, hactenus concessarum 49

Reuocatio licentiarum ingrediendi Monasteria, ac domos Carthusiensium, & aliorum quorũcunque regularium, etiam mendicantium, quibusuis mulieribus concessarum 50

Exemptio monasteriorum, & aliorum locorum piorum ab hospitio militum, &c. 51

Motus proprius in fauorem rei frumentariæ, ac artis agriculturæ 53

Declaratio decreti concilij Trident. de cognatione spirituali in meritum, vel vxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatíque patrem, & matrem, & quascunque alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptisantis, & baptizati 56

Declaratio decreti concilij Trident. de impedimento affinitatis, ex fornicatione proueniente 57

Reuocatio omnium Indulgentiarum, etiam perpetuarum, pro quibus consequendis, manus adiutrices sunt porrigendæ, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent 58

Bulla super collatione Parochialium ecclesiarum 61

Bulla super reseruatione beneficiorum 63

Confirmatio facultatum Alexandro Riario cameræ Apostolicæ generali auditori concessarum 64

Facultas Iacobo Cardinali Sabello S.D.N. Papæ Vicario concessa procedendi ad exequutionem oblig-

gatio-

gationum in forma cameræ inter personas Ecclesiasticas 66

Edictum vicarij vrbis super modo contrahendi matrimonia iuxta decretum concilij Tridentini 66.

Bulla prohibitoria, ne ciuitates, & loca S. R. E. posthac infeudentur 68

Bulla super celebratione festiuitatis Angelici Doctoris S. Thomæ de Aquino 72

Reuocatio quorumcunque commissariorum, ad quęcunque onera cameralia, aut alia sedem, & cameram Apostolicam concernentia 75

Motus proprius super declaratione alterius Motus proprij fel. recor. Pij IIII. quòd banniti non audiantur, nisi prius in carceribus constituti 77

Suspensio facultatum, & auctoritatum conferendi beneficia per resignationem, seu permutationem, vacantia in manibus quorũcunq; ordinariorũ 79

Reuocatio priuilegiorũ Hospitalis S. Lazari Hierosolymit. de hospitalibus, & piis locis leprosorũ 81

Bulla super spoliis 84

Bulla super declaratione assignationum vicariis in vnione beneficiorum facien. 87

Bulla super prohibitione agitationis Taurorum, & Ferarum, & annullatione votorum, & iuramentorũ super eisdem pro tempore interpositorum 89

Aduocatio ad se, & successores suos Romanos Pontifices quarumcumque causarum confidentiarum, tam motarum & pẽdentium, quam in futurum quo modolibet mouendarum 91

Bulla supra deponendis fructibus, & distributionibus beneficiorum ecclesiasticorum, lite pendente 92

Relaxatio prohibitionis, de non admittendis resignationibus per ordinarios cum modificationibus 94

Reuocatio facultatum concessarum comitibus Palatinis & aliis etiam collegiis Romanæ curiæ super promouen. ad doctoratus, Licentiaturæ, & Magisterij gradum 96

Translatio curiæ Monialium à fratribus ordinis Minorum conuentualium ad ordinarios locorum 97
Constitutio de proprietate sublata fratribus Ordinũ Minorum Conuentualium, & de ambitu officiorũ 99.
Bulla super residentia facienda in parochialibus per obtinentes eas, ac Canonicatus, aut dignitates, seu aliud beneficium 101
Constitutio de extinctione officiorum Ministri, Vicarij, & Visitatoris Generalis in ordine fratrum Tertij ordinis S. Francisci: Et de submissione huius ordinis Ministro generali, & Prouincialibus Fratrum Minorum de obseruantia, cum reformatione dicti Tertij ordinis, & eiusdem Domorum vtriusque sexus 102
Constitutio de priuatione Clericorum propter incontinentiam, & eorum traditione brachio sæculari 106
Constitutio super modo, & forma publicandi ecclesiasticorum beneficiorum resignationes, ac eorum concensuum extensione 107
Reuocatio priuilegiorum concessorum Ro. Cu. quod laici, Bigami, & Clerici coniugati de cætero non possint habere pensiones, aut alias res ecclesiasticas nec ipsi, nec clerici eas, quas habent, transferre. Reuocatio similiũ priuilegiorum concessorũ Militiis, & Hospitalib. Moderatio priuatarũ, dispẽsationũ cõcessarũ Militib⁹, & fratribus Militiarũ singulatim. Reuocatio priuilegiorum Militiarum, & Hospitalium, concedendi expectatiuas, vniendi, & supprimendi beneficia, erigendi præceptorias, appropriandi fructus, & proprietates beneficiorum suis Militiis, & Hospitalibus. Reuocatio facultatum testandi, concessarum Militiis, & Hospitalibus, eorundemque militibus, & fratribus 109
Constitutio de dignitatibus, & præbendis Ecclesiarum Regni Sardiniæ aliis vnitarum in simplices Parochiales reductis, & de ordinatione Vicariarũ in Pa

in Parochialibus ecclesiis, quæ sunt annexæ dignitatibus, & beneficiis aliarum ecclesiarum non vnitarum 113
Reuocatio Si in euidentem, facultatum concedendi commissiones alienationum bonorum Ecclesiasticorum, aut piorum locorum Camerario, & Cameræ Apostolicæ Clericorum Collegio concessarum 115.
Ordinatio, quòd mãdata, quæ in forma Significauit, pro rerum subtractarum, seu illas subtrahentium restitutione fiunt ad eorum, quorum interest, duntaxat instantiam expediantur 116
Bulla nescio quo pacto est replicata: nam habetur supra pag. 23
Bulla super recitatione Breuiarij Romani nuper editi 17.
Bulla remissionis & recuperationis bonorũ ecclesiasticorum male alienatorum 120
Bulla applicationis fabricæ medietatis relictorum piorum non exactorum per triennium 123
Bulla quòd duæ sententiæ in vna parte, in qua erant conformes, faciant rem iudicatam 124
Bulla ampliationis facultatum super remissione, & recuperatione bonorum ecclesiasticorum male aliẽatorum, in fauore ecclesiarum, monasteriorum, & piorum locorum, ac fabricæ basilicæ principis Apostolorum de vrbe 125
Bulla assignationis, & applicationis fabricæ Basilicæ Principis Apostolorũ de vrbe omnium fructuũ, & aliorum narratorum ex bonis ecclesiarum alienatis perceptorum, & vnius anni respectiue loco tertiæ partis proprietatis ipsorum bonorum per alias literas eiusdem eidem Fabricę assignatæ 114
Reuocatio priuilegiorum de recipiendis, & retinendis fratribus alterius ordinis 135
Noua constitutio de confidentiis beneficialibus, eorumque casibus præsumptionibus & probationibus, cum relaxatione cognitionis causarum, præ-

terquam pendentium. Itemque futurarum de collatoribus Episcopis, & superioribus, beneficiisque consistorialibus 137
Edictum vicarii vrbis obseruandum ab assumendis ad maiores ordines 141
Mandatum exhibitionis quarumuis literarum patentium Cameralium à quibuscunque preteritis S.R.E. Camerariis emanatarum, vna cum ipsarum reuocatione, ob non petitionem 141
Constitutio super forma creandi Census 142
Reductio montis Iulij ad decem cum dimidio pro centenario 144
Reductio montis Nouennalis ad septem pro centenario cum eiusdem extensione, ac ampliatione 146
Præceptum de Iudeorum exterminatione ex omni dominio temporali S.R.E. & subditorum, præter Romam, & Anconam 150
Constitutio contra offendentes statum, res, & personas officij inquisitionis Hæreticæ prauitatis 152
Institutio officij scriptorum, & procuratorum literarum minoris gratiæ in cancellaria Apostolica 155
Reuocatio omnium facultatum sacræ pœnitentiariæ Apostolicæ 157
Præfatio de vniuersali Reformatione Romanę curię, & ordinatio noui status sacrę pœnitentiariæ Apostolicæ 158
Exemptiones ab exactionibus, Datiis, Gabellis, Pedagiis, Vectigalibus, &c. Vtriusque sexus religiosis personis ordinum Mendicantium 161
Bulla Confirmationis, & nouæ concessionis Priuilegiorum omnium Ordinum Mendicantium Motu proprio: cum processu Alexandri Riarij Protonotarij Apostolici, Curię causarum Cameræ Apostolicæ Iudicis, ac executoris 166
Constitutio de extinctione officiorum Ministri, Vicarij, & visitatoris generalis in ordine fratrum Tertij ordinis S. Francisci, &c. pagina 169. Eadem atque supra pagina 202

Extensio

Extensio Constitutionis Bonifacij viij. quæ incipit Fœlicis, ad scientes & non reuelantes eos, qui offendent S.R.E. Cardinales 183
Constitutio, ne in popularibus concionibus disputetur de conceptione gloriosæ dei genitricis Mariæ, qua, & innouantur, quę desuper per Sixtum iiii. & Concilium Tridentinum statuta fuerunt 185
Indictio subsidij cccc. Miliũ scutorum super bonis xij. congregationũ pro expeditione contra Turcas 187
Abolitio quarundam literarum super certis facultatibus, & indulgentiis publicatarum. Et prohibitio similium ad quoscunque in futurum 190
euocatio priuilegiorum, & statutorũ, quòd fructus beneficiorũ primi anni, aut alterius tẽporis exquo vacarunt, cedant capitulo, vel alij loco. Qui vero concessi sunt fabricæ, seu sacristiæ, seu pio vsui vltra semestre, deinceps sint illi pro dimidia, reliquũ capiat beneficiatus 192
Constitutio contra monetarum tonsores 194
Constitutio contra fraudulentos, & dolosos decocto res 295
Literæ super reformatione ordinis Fratrum B. Mariæ Seruorum 197
Moderatio impositionis sexdecimarum per eundem vltimo factæ, & reductio illarum ad tresdecimas iuxta antiquam taxã; & à soluere consuetis tantũ exigẽdas, pro ordinibus fratrum mendicantiũ 203
Reuocatio regressuum integraliter non expeditorũ 205.
Constitutio quòd Moniales non exeant à clausura sub pœna excommunicationis, & priuationis, quæ etiam extenditur ad dantes licentiam, comitantes & receptantes 207
Constitutio, quòd regulares secularium confessiones non audiant, nisi ab ordinariis approbati sint 209
Statutum de fructibus, quos amittunt, qui horas Canonicas non recitant 210
Constitutio super fatalibus appellationum in causis criminalibus

Criminalis 217
Motus proprius supra ordine fratrum minorum S. Francisci de obseruantia 212
Decreta per Visitatores carcerum vrbis obseruanda in relaxatione carceratorũ pro causis ciuilibus 214
Motus proprius in fauorem carceratorum,& paupertũ 215
Reuocatio facultatum testandi,&disponẽdi de rebus ecclesiasticis,& etiã de bonis feudalibus emphyteuticis in illegitimos 215
Cõstitutio super recitatione officij B.Mariæ virginis cũ decretis,& indulgentiis 218
Motus proprius Confirmationis priuilegiorum Populo Rom. ac almæ vrbis conseruatoribus super liberatione mãcipiorum, seu sclauorũ baptizatorũ ad eos confugientibus concessorum 222
Motus proprius contra Notarios, & custodes, ac quoscũque alios dicta testiũ,aut reorum responsiones,absque iudicis,corã quo causa agitur,& procuratoris fiscalis licentia, quomodocunque propalentes 223
Edictum vicarij vrbis super denunciatione clericorũ ac bireto doctorum 224
Constitutiode triũvotorũ professione,ab iis emittẽda,qui in congregationibus sub obedientia voluntaria viuunt,quorum habitus à secularibus presbyteris est distinctus 225
Extensio Decreti Concilij Tridentini Sessi. xxi.capit. ii. quod incipit, Cum non deceat, loquentis de clericis secularibus ad clericos regulares non professos,quòd non promoueãtur ad alios ordines nisi seruata forma dicti decreti 227
Præceptum de notificandis,& non relaxandis captiuis 228
Declaratio quomodo rei in contumeliam condamnati,& infra annum capti,admittendi,vel non admittendi sint ad faciendum eorum defensiones
Decretalis super exercendis cambiis 232

Facultates concessæ Prospero de S. Cruce,& Ioanni Aldobrandino S.R.E. Cardinalibus super absolutione eorum,qui pro venia suorum delictorum in auxilium Christianæ Reipub.contra Turcas militare, aut stipendia militantibus submministrare cupiunt 233
Bulla facultatum concessarum Cardinalibus deputatis super affrancatione bonorum ecclesiasticorum 235.
Motus proprius, quo prohibentur expediri commissiones,aut inhibitiones in causis spoliorum, nisi citato Cameræ Apostolicæ cõmissario generali 242
Edictum Reformatorum Tribunalium vrbis super obseruatione reformationis Tribunalj A.C. à Pio V.editæ 243
Bulla per quam declaratur Decretum Concilij Tridentini,super impedimento publicę honestatis editum 244
Monitorium Vrbis Vicarij, quòd omnes Notarij omnia legata &c.ad ecclesias, & pia loca spectantia in actu alicuius ex curiæ suæ notariis designare, & reuelare debeant 245
Constitutio contra ambientes officia iurisdictionis administrationem habentia,eáque pretio,seu promissionibus acquirentes 246
Constitutio extendens pœnas statutas contra ambiẽtes officia iurisdictionis administrationem habentia, etiam ad recipientes pecunias, & mediatores 248.
Præceptum quòd Christiani apud Turcas serui reperti,libere cum bonis suis abire permittantur 249
Concessio gratiarum tam spiritualium, quam temporalium alãs per Rom. Pont.proficiscentibus ad subsidium Terræ sanctæ concessarum pro iis, qui vel personis, vel facultatibus adiuuerint hoc præsens bellum contra Turcas 250
Constitutio contra scribentes,exemplantes,& dictamonica,vulgo dicta,gli auisi,& ritorni 251

Breue facultatis concessæ congregationibus Regularium,& pro solutione subsidij ab eis per eundem nuper petiti,suorum monasteriorum bonis census imponere,& illos,ac etiam de bonis ipsis vendere possint,& ad contribuendum cum aliis laicis, vel clericis pro solutione similis subsidij illis impositi, non teneantur 253
Bulla confirmationis, & ampliationis priuilegiorũ, & gratiarum societatis Rosarij B.Mariæ Virg. 255
Edictum vicarij vrbis super reformatione Cleri vrbis 258
Edictum vicarij vrbis de non fabricando in Ecclesiis, neque in earum porticis, de non sepelien. mortuis nisi in cœmeteriis, ac tumbis, necnon de fenestris ecclesias introspicientibus remouẽdis,ac remurandis. 260
Breue super declaratione ordinũ Mendicantium 261
Decretũ carcerũ visitatorũ super Arrestis sub die 29. mẽsis Martij,anno à natiui. Domini M.D.LXXI. 264
Bulla extensionis omnium priuilegiorum ordinis Mendicantiũ,per eundem concessorũ, cum eorum noua concessione pro congregatione Lateranensi canonicorũ Regulariũ ordinis S. Augustini,& aliis ordinibus,& cõgregationibus in ea nominatis 264
Breue super societate nominis Dei, seu iuramentorum 276
Breue,quo hortatur locorũ ordinarios,vt in suis ciuitatibus,& diœces. ecclesias seu loca alia,in quibus pueri in doctrina Christiana erudiri debeãt, deputẽt:cum facultate Christifidelium cõfraternitates in ecclesiis seu locis huiusmodi erigẽdi,ac indulgẽtia pro confratribus,& pueros docentibus 277
Constitutio super recitatione Missalis ex concilij Tridentini decreto restituti 278

PII IIII.

Constitutio,per quã datur facultas iudici, decernẽdi sequestrum super beneficiis reseruatis
Bulla reformationis officij sacræ pœnitentiar... 282

Bulla super reformatione officij Rotæ 286
Bulla super confirmatione Oecumenici generalis concilij Tridentini 290
Bulla super forma iuramenti professionis fidei 293

GREGORII XIII.

Reductio literarum,& constitutionũ Pij V.pro Mendicantibus,& aliis regularibus contra locorum ordinarios ad terminos iuris communis, & decretorum concilij Tridentini 295
Constitutio, ne Agni Dei benedicti minio inficiantur,nec venales proponantur 297
Cõstitutio de eleemosinis Monialibus præstãdis 298
Innouatio Censurarum, & pœnarum, quas Bonifacius VIII. edidit contra paciscentes, seu dantes,& accipientes,aut promittentes, & acceptantes pro expeditionibus gratiæ, vel iustitiæ, & earum extensio 303
Reuocatio omnium licentiarum, ingrediendi Monasteria Monialium,& virorum:& prohibitio, ne habentes licentias ab Episcopis, vel superioribus in causis necessariis, ingrediantur Monasteria Monialium,nisi vrgentibus necessitatibus 304
Edictum vicarij vrbis obseruandum ab assumendis ad sacros ordines 305
Bulla super recognitione iudicis, & expurgatione librorum prohibitorum 306
Constitutio de obseruatione literarum Pij IIII. contra prætensas franchisias Vrbis 307
Reualidatio decimarum, & aliorum à Pio V. impositorum 308
Noua constitutio de ædificiis,& iure congrui 309
Literæ processus lectæ die Cœnæ Domini anni 1575. pag.316.
Confirmatio literarũ Pij V.de terris, & locis S.R.E. in feudum,aut alium modum non dandis 321
Regulæ Cancellariæ Apostolicæ 326
De potestate Vicecancellarij,& Cancellariam regen... 338

Reseruatio mensium Apostolicorum, & alternatiua pro Episcopis residentibus 339
Prorogatio expeditionum Pij IIII. 340
Bulla pro Hospitali Corcyrense ad subleuationem militum Christianæ classis infirmorum, ac saucio-rum nouiter erecti 340
Bulla, in qua Thomas Gilius Soræ Episcopus, & The saurarius Apostolicę deputatur collector generalis spoliorum ecclesiasticorum in vniuersa Italia 341
Constitutio contra famigeratores, & menantes 344
Bulla de frumentorum, & leguminum extractione, ac solutione, eiusque per totum statum ecclesiasti-cum extensione 344
Ampliatio Indulgentiarum à Pio V. Societatibus ad pueros, & rudes in bonis operibus, & doctrina Christiana erudiendos deputatis, concessarum 346.
Reductio vectigalis quadreni quinquaginta librarũ carnis suinæ ad scuta triginta millia, & eiusdem incorporatio triennali subsidio, & restitutio in in-tegrum dictarum quinquaginta librarum carnis 347.
Applicatio eleemosynarum pro hospitali Corcyrensi iam factarum, aut faciendarum, magno Magistro, & conuentui Hierosolymitano 348
Institutio collegij Germanici in vrbe 349
Breue in quo exponitur breue Pij V. de electionibus, & quomodo moderatur circa ordinem Minorum de Obseruantia 352
Confirmatio Indulgentiarum Confraternitatis san-ctissimi Corporis Christi in ecclesia Beatæ Mariæ supra Mineruam Ordinis prædicatorum in vrbe Roma 354
Indictio sancti Iubilei, & plenissimæ remissionis pro visitantibus basilicas B. Petri, & Pauli, nec non ec-clesias S. Ioannis Lateranensis, & B. Mariæ Maio-ris de vrbe proximo anno M. D. LXXV. 356
Priuilegia, exemptiones, & gratiæ militum legien-riorum

riorum seu ordinantiarum 357
Breue contra Religiosos, & Religiosas ordinis San-cti Francisci de obseruantia, recurrentes ad secula-ria tribunalia, & comtemnentes ordinationes commissariorum sui generalis Ministri 359
Confirmatio priuilegiorum ordinis Minorum de ob seruantia 360
Confirmatio prohibitionum Apostolicarum, ne alu-mina infidelium importentur ad partes Christia-norum 363
Bulla de Doctoribus Romanis ad lecturam in studio, seu gymnasio almæ Vrbis in quacunque facultate eligendis 364
Suspensio omnium Indulgentiarum plenariarum ad beneplacitum usq; proximi anni Iubilei 365
Reformatio Curiæ de Sabellis 367
Indulgentia sancti Iubilei pro Catholicis Anglis tam in Anglia, quam extra eam existentibus 368
Indictio sexdecimarum super omnibus fructibus, & pensionibus ecclesiasticis Italiæ 369
Confirmatio priuilegiorum ordinis Sanctissimæ Tri nitatis, Redemptionis captiuorum, etiam per mo-dum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis ordinibus mendicantium 373
Confirmatio, & ampliatio Priuilegiorum, & Indul-gentiarum Archiconfraternitatis Sanctissimæ Tri nitatis de vrbe, & illi aggregatarum, & aggregan-darum Confraternitatum 375
Declaratio quòd ordinarij Collatores, prætextu lite-rarum Nicolai V. pro concordia Germaniç confer re non possunt beneficia ecclesiastica post tres mẽ ses, ex quo vacarunt, si de illis intra hoc tempus à sede Apostolica prouisum sit 379
Deputatio Ludouici Tabernæ Prorotonotarij, & The-saurarij Apostolici in collectorem generalem spo-liorum 381
Quod à causis spoliorum ad Thesaurarium, & gene ralem spoliorum collectorum tantum appellari

possit, & debeat 58
Declaratio, quòd bona regularium, extra claustra degentium ad cameram Apostolicam spectant, & quòd in omnibus spoliis eadem camera est vere, & proprie hæres 384
Confirmatio, & ampliatio literarum prædecessorum Pontificum & decretorum Cameralium contra denegantes, ac molestantes, & impedientes exactionem, & fidem Dohanarum Cameræ Apostolicæ, & illius affidatos 386
Constitutio nouorum terminorum ad soluendas decimas 390
Moderatio sex decimarum à se nuper impositarum ad tresdecimas pro Ordinibus Mendicantium 391.
Quòd in ciuitatibus, terris, & locis S. Sedi Apostolicæ subiectis non possint mercari sales exteri 392
Contra extrahentes, & asportantes frumenta, blada, & legumina, atque animalia quæcunque extra statum ecclesiasticum 393
Facultas concessa locorum ordinariis absoluendi à censuris incursis ob extractionem, & asportationem præfatam hactenus factam 394
Facultates Hieronymo Matthæio Protonotario Apostolico, vtriusque signaturæ referendario, Curiæque causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori concessæ 394
Constitutio contra extrahentes frumenta, legumina, &c. extra statum ecclesiasticum, ac impedientes, & aggrauantes, illa ad vrbem Romam afferentes 402
Reseruatio beneficiorum in Ecclesia Monasterij S. Crucis Fontis Auellanen. Camaldulensis diœcesis vacantium dispositioni Sedis Apostolicæ 404
De electione, & extractione Syndicorum Senatoris, & iudicum Capitolinorum 405
Facultas concessa Iudicibus Capitolinis, restituendi in integrum litigantes aduersus imp[illegible]limentũ sedi

dis vacantis Pij V. 406
Litteræ exemptionis Monialium à fratribus Eremitarum S. Augustini Congregationis Lombardiæ, & subiectionis illarum ordinariis locorum 407
Literæ, per quas confirmãtur priuilegia religionis S. Ioannis Hierosolym. præcipiturque clericis secularibus eiusdem hospitalis beneficia possidentibus, vt infra sex menses à die, quo eis indictum fuerit, habitum suscipere teneantur: alioquin beneficiis huiusmodi ipso iure priuati censeãtur: ipsique à seminarij clericorum in qualibet ciuitate erecti, seu erigendi, ac decimarum, subsidij, & aliorum onerum contributione totaliter eximuntur 408
Constitutio de homicidis, grassatoribus, & aliis crimine capitali bannitis, vel diffamatis, & de receptoribus eorum, impedientibusque iustitiæ ministros 412
Decretum de nullitate omnium dispositionum beneficialium, quæ fiunt personis prohibitis propter genus, seu hæresim, aut à fide apostasiam, contra sanctiones, statuta vel priuilegia 415
Reductio quarundam literarum Pij V. pro militibus S. Ioannis Hierosolymit. ad terminos decretorum Concilij Tridentini 416
Constitutio super nouo statu fratrum reformatorũ, siue recollectorum Ordinis Minorum S. Francisci in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & principatu Cathaloniæ, ac de vna prouincia in eis erecta 418
Literæ innouationis constitutionis Pauli IIII. & Pij V. contra Medicos Hæbreos, & illarum extentionis ad eos qui medicos Hæbreos, vel infideles ad Christianorum curam vocant, admittunt, vel eisdem medendi licentiam concedunt 422
Literæ depurationis R. D. Rodulphi Bonfioli Thesaurarij Generalis in collectorem generalem spoliorum 424
Declaratio, quòd per facultates concessas consulibus Artium non censeatur præiudicatum iurisdi-

ctionibus, & facultatibus superintendentiæ pro tempore existentis almæ vrbis Gubernatoris, & aliorum iudicum ordinariorum, ac si præinsertæ literæ emanatæ non fuissent 426
Statutum de blasphemiis, & flagitiis Iudæorum, in quæ hæreticæ prauitatis Inquisitores animaduerterunt 429
Declaratio super facultate, quam habent ordinarij & alij monialium superiores, ingrediendi earum monasteria 431
Literæ facultatum redimendi captiuos Archiconfraternitati Consalonis de vrbe concessarum 432

FINIS.

REGVLÆ,

ORDINATIONES,

ET CONSTITVTIONES

CANCELLARIÆ S. D. N. D.

Pij diuina prouidentia

Papæ V.

SANCTISSIMVS in Christo Pater, & D. D. N. PIVS diuina prouidētia Papa quintus, suorum prædecessorum vestigiis inhærēdo, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens, in crastino assumptionis suę ad summi apostolatus apicem, videlicet die octaua Mensis Ianuarij, Anni ab incarnatione Domini 1565. Reseruationes, constitutiones, & regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc suo tempore duraturas obseruari voluit, & quas nos Alexander Episcopus Tusculan. Card. Farnesius nuncupatus S. R. E. Vicecancellarius die Sabbati 19. eiusdem mensis Ianuarij in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

A. Vicecancel.

Reseruationes generales, & speciales.

In primis reseruationes fecit similes illis, quæ in constitutione fel. rec. Benedicti Papæ 12. quæ incipit, Ad regimen, continentur, & illas locum habere vo-

luit, etiam si officiales in eadem constitutione expressi apostolicæ sedis officiales ante obitum eorum esse desierint quo ad beneficia, quæ tempore, quo officiales erant, obtinuerant, ac reseruauit beneficia quæ per constitutionem Ioannis PP. 22. quæ incipit, Execrabilis, vacant, vel vacare contigerit.

Reseruatio Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum.

Item reseruauit generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales nec non omnia monasteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedētia, & voluit quod excessus huiusmodi in literis exprimantur.

Reseruatio dignitatum, necnon suorum, & S.R.E. Cardinalium familiarum beneficiorum.

Item reseruauit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates maiores post pontificiales in Cathedralibus etiam Metropolitanis Ecclesijs, necnon valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes, principales in collegiatis: Reseruauit etiam Prioratus, præposituras, ac alias dignitates conuentuales, & præceptorias generales ordinum quorumcunque, sed non militiarum, ac quæcunque beneficia, que sui, & dum Cardinalatus fungebatur honore existentes, ac S.R.E. viuentium nunc, & qui erunt suo tempore Cardinalium familiares continui Commensales obtinent, & in posterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quę ius eis competit, aut competierit etiam si ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem, vel alias decesserint: Ac fe. re. Pauli, 2. Innocenti. 8. Adrian. 6. Pauli. 3. & Iulij etiam. 3. ac Marcelli etiam 2. Pauli 4. necnon Pij etiam 4. Romanorum Pontificum prædecessorum suorum vestigijs inhærendo declarauit, dignitates, quæ in Cathedralibus etiam metropolitanis

tanis post pontificales non maiores existunt: & quæ ex apostolicæ Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel alia quouismodo in collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur, sub reseruatione prædicta comprehendi debere.

Reseruatio beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

Item reseruauit generaliter omnia beneficia Ecclesiastica quoruncunque Collectorum, & vnicorum in quacunque ciuitate, vel diœc. qui suo tempore eorum officia exercuerint Subcollectorum fructuum, & prouentuum Cameræ apostolicæ debitorum, illa videlicet beneficia duntaxat, quæ durante eorum officio, obtinuerint, ac in quibus seu ad quæ iustunę eis competierit.

Reseruatio beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

Item reseruauit omnia, & singula beneficia ecclesiastica quoruncunque Curialium, quos, dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo, decedere contigerit, & in quouisloco, quantumcunque etiam à dicta Curia remoto.

Reseruatio beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

Item reseruauit generaliter idem D.N. Papa dispositioni suæ omnia beneficia Cubiculariorum, & Cursorum suorum.

Reseruatio beneficiorum in Ecclesiis S. Petri, S. Io. Lateranen.

Item reseruauit dispositioni suæ generaliter quoscunque Canonicatus, & præbendas, ac dignitates, personatus, & officia in principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateran. ac beatæ Mariæ Maioris de Vrbe ecclesiis, necnon ad collationem, prouisionem, &

præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Ro. Cu. absentium ratione suorum Episcopatuum Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum spectantia, quandiu absentia sua durauerit, Canonicatus, & præbendas, dignitates, personatus, administrationes, & officia, cæteráque beneficia ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, vacantia, & inantea vacatura, tam in eadem Vrbe, quàm in Ecclesijs, ciuitatibus, & diœc. dictorum Episcopatuum cõsistentia, ac decreuit irritum, &c.

De Literis in forma rationi congruit expediendis.

Item, voluit idem D. N. Papa quod concessa per fe. rec. Pium Papam. 4. prædecessorem suum, & de eius mandato expediantur in forma rationi congruit sub die Coronationis suæ (vt moris est) & idem quo ad concessa per piæ me. Paulum Papam. 4. etiam prædecessorem suum ad sex menses duntaxat ab ipsa die Coronationis incipiendos, obseruari voluit.

Declaratio reseruationis Ecclesiarum, & beneficiorum per prædecessores reseruatorum.

Item, declarauit omnium & singularum ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum prouisiones, quas præfati Prædecessores sui ordinationi, & dispositioni eorum, necnon omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quæ dicti prædecessores etiam præfatę dispositioni, cum interpositione decreti reseruauerant, quę quidem Ecclesiæ & monasteria, necnon sic reseruata beneficia tempore obitus eorundem Prædecessorum vacabant, aut ecclesiæ ipsæ, vel monasteria huiusmodi si commendata, vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent, remansisse, & remanere per huiusmodi reseruationem, & decretum affecta, nullúmque de illis præter Romani Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse

potuisse, siue posse quomodo, decernens irritum, & inane si secus de illis attentatum forsan erat tunc, vel imposterum contigerit attentari.

Reualidatio literarum Prædecessorum.

Item, prædictus D. N. omnes, & singulas ab ipso Pio prædecessore suo infra annum ante diem obitus eius concessas gratiæ, vel iustitiæ literas temporibus debitis eorum executoribus non præsentatas omnino reualidauit, & in statum pristinum in quo videlicet ante fuerant, vel pro quibus erant obtentæ quo ad hoc plenarie restituit. Ac decreuit per executores prædictos vel ab eis subdelegandos, perinde ad ipsorum executionem procedi posse, & debere, ac si executio huiusmodi temporibus præfatis inchoata fuisset.

Reuocatio Vnionum.

Item, rationabilibus suadentibus causis, ipse D. N. omnes vniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, & dismembrationes etiam perpetuas de quibusuis Cathedralibus necnon alijs ecclesijs, monasterijs, dignitatibus, personatibus, officijs, ac locis, & beneficijs ecclesiasticis per cessum vel decessum, aut quamuis aliam dimissionem, vel amissionem, qualiacunque fuerint, inuicem, vel alijs ecclesijs monasterijs, mensis, dignitatibus, personatibus, officijs, beneficijs, ac pijs, & alijs locis vniuersitatibus, etiam studiorum generalium, & collegijs, etiam in fauorem S. R. E. Card. seu ecclesijs, monasterijs, & beneficijs, per eos obtẽtis, quomodolibet apostolica vel alia quauis auctoritate factas, quę suum non sunt sortitæ effectum. Ac quæcunque concessiones, & mandata super vnionibus, annexionibus, incorporationibus, ac aliis præmissis taliter faciendis reuocauit, cassauit, & irritauit, nulliúsque decreuit existere firmitatis, nec alicui quascunque clausulas, vel additiones in quibusuis apostolicis etiam quę

motuproprio, aut ex certa scientia, etiam consistorialiter processerant, & emanauerant literis, etiam si in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut ius quæsitum fore quomodolibet contentas aduersus reuocationem, cassationem, & irritationem huiusmodi voluit aliquatenus suffragari.

Reuocatio facultatum quibusuis concessarum.

Item reuocauit quascunque facultates concessas quibusuis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, & personis necnon Apostolicæ Sedis nuntiis, ac fructuum, & prouentuum Cameræ Apostolicæ debitorum, Collectoribus, de dispensando cum quibusuis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium & ætatis defectibus, & de incompatibilibus beneficiis ecclesiasticis insimul retinendis, necnon de notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusuis beneficiis ecclesiasticis, & aliis à præmissis officia ipsorum Nunciorum, & Collectorum directe non concernentes, Necnon facultates, & indulta quibusuis Cardinalibus, ac aliis personis etiam ad vitam de quibusuis beneficiis ecclesiasticis certarum Ciuitatum, & diœc. in quibus ipsi non erant, nec fuerant veri ordinarij collatores, sed de ipsorum ordinariorum consensu, aut etiam sine ipsorum consensu, seu sede Episcopali, vel etiam Archiepiscopali vacan. disponendi, aut Vicarios perpetuos, seu etiam temporales, qui etiam eisdem Cardinalibus, aut personis huiusmodi beneficia conferrent, vel commendarent, deputandi, aut ipsi Vicarij per quoscunque Roman. Pontifices prædecessores suos deputati fuissent, etiam perinde ac si veri, & non ficti imbi ordinarij collatores essent, ac etiam cum decreto, quod dispositiones, de eisdem beneficiis absque eorundem Cardinalium, vel personarum consensu, etiam per Sedem Apostolicam pro tempore factæ nullius essent roboris quomodolibet

dolibet concessa, etiam si in literis desuper confectis sint clausulæ restitutoriæ, reintegratoriæ, & derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores, quas pro expressis haberi voluit quo ad omnia, in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiam si Nuntiis eisdem dictæ Sedis Legatis de latere competens sit concessa potestas, decernens irritum, &c.

Renocatio facultatum conferendi beneficia reseruata.

Item, reuocauit quascunque facultates, & literas desuper confectas, per quas quicunque sui præcessores Romani Pontifices quibusuis personis ordinariã collationem, seu aliam dispositionem, beneficiorum ecclesiasticorum de iure, vel consuetudine habentibus, & quauis etiam patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, non tamen Cardinalatus honore fungen. quauis consideratione, vel intuitu, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine concesserant, aut quandiu viuerent, vel suis ecclesiis, seu monasteriis præessent, aut ad aliud tempus de beneficiis ecclesiasticis generaliter reseruatis, seu affectis ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, aut quamuis aliam dispositionem communiter, aut diuisim spectantibus disponere libere, & licite valerent, aut etiam ad id per eosdem prædecessores Vicarij perpetuj, vel ad tempus constituti forent.

De Dictionibus numeralibus.

Item, vt in apostolicis literis committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio, voluit, statuit, & ordinauit, quod in antea dictiones numerales, quæ in dictis literis ante Kl. Nou. & Idus immediate poni consueuerunt, per literas, & syllabas extense scribantur, & illæ ex præfatis literis in quibus huiusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad bullariam nullatenus mittantur.

De concurrentibus in data.

Item, voluit, quòd de concurrentibus super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis illi, quibus gratiæ motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati, necnon colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas alias in curia præsentes absentibus ab ea, ac inter præsentes non beneficiati beneficiatis, & similiter inter absentes cæteris paribus, oriundus non oriundo, & diœcesanus non diœcesano. In reliquis verò singuli, qui prius apostolicas desuper literas eorum executoribus præsentauerint, aliis in ipsorum de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione præferantur.

De non tollendo ius quæsitum.

Item, ne pervarias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, & declarationibus habendis in causis plerumque fiunt, suggestiones, iustitia postponatur, idem D. N. decreuit, & declarauit suæ intentionis fore, quòd deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel literas apostolicas pro Commissionibus, seu mandatis, & declarationibus huiusmodi, etiam si motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à sanctitate sua emanauerint, vel de eius mandato faciendas nulli ius sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

Regula de viginti.

Item, voluit quòd si quis in infirmitate constitutus, resignauerit aliquod beneficium siue simpliciter, siue ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficij Vnionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea infra viginti dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quauis auctoritate conferatur per resignationem, sic factam, collatio huiusmodi sit nulla, ipsúmque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

Item, voluit quòd si contingat ipsum alicui personæ de parochiali ecclesia prouidere, seu mandare prouideri, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat idioma loci, vbi huiusmodi ecclesia consistit, prouisio, seu mandatum, & gratia desuper, quo ad parochialem ecclesiam, nullius sit roboris, vel momenti.

De Impetrantibus beneficia per obitum viuentium.

Item, si quis supplicauerit sibi de beneficio quocumque, tanquam per obitum alicuius, licet tunc viuentis, vacante, prouideri, & postea per obitum eius vacet, prouisio, & quæuis alia dispositio dicto supplicanti per obitum huiusmodi, denuo facienda nullius sit roboris, vel momenti.

De Vnionibus, & vnionum confirmatione.

Item, voluit quòd petentes beneficia ecclesiastica aliis vniri, teneantur exprimere verum annuum valorem sec. co. æsti. tam beneficij vniendi quàm illius, cui vniri petitur, alioquin vnio non valeat, & semper in vnionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest, & idem voluit obseruari in confirmationibus vnionum factarum.

De Mendicantibus transferendis.

Item, de Mendicantibus, qui ad alios ordines transierint pro tempore, voluit constitutionem fel. rec. Martini Papæ V. prædecessoris sui, desuper factam, & in libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, quæ

incipit, Viam ambitiosæ cupiditatis &c. firmiter obseruari.

De Male promotis.

Item, de Clericis extra tempora à iure statuta, siue ante ætatem legitimam, aut absque dimissoriis literis ad sacros ordines se promoueri facientibus pro tempore, etiam voluit cõstitutionem piæ me. Pij Papæ. 2. similiter prædecessoris sui, desuper editam, & in dicto Cancellariæ Apostolicæ libro descriptam, quæ incipit, Cum ex Sacrorum ordinum &c. pari modo obseruari.

De Moneta.

Item, declarauit idem D. N. quòd libra Turonen. paruorum, & florenus auri de Camera, pro æquali valore in concernentibus literas, & Cameram Apostolicam, computari, & æstimari debeant.

De beneficiis vacaturis per promotiones Episcoporum.

Item, præfatus D.N. Papa voluit, decreuit, & ordinauit, quòd quæcunque concessiones gratiæ, & mandata, etiam motu proprio, & cum derogatione huiusmodi constitutionis, quæ ab eo pro quibusuis personis emanauerint, de prouidendo eis de quibusuis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcunque ad ecclesiarum, & monasteriorum regimina, si huiusmodi concessiones, & mandata, diem promotionis promouendorum ipsorum præcesserint, necnõ quæcunque collationes, prouisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, ac quibusuis aliis beneficiis ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus, quæ per promouendos, vel assumendos, ad quascunque prælaturas, inter illarum vacationis, & huiusmodi promotionis, vel assumptionis tempora, simpliciter, vel ex causa permutationis, vbicunque resignari, vel alias dimitti contigerit, cum inde secutis pro tempore

pore sint cassæ, & irritæ, nulliúsque roboris, vel momenti.

De non iudicando iuxta formam supplicationum, sed Literarum expeditarum.

Item, cum ante confectionem literarum, gratia apostolica sit informis, voluit, statuit, & ordinauit, idẽ D. N. quòd iudices in Romana Curia, & extra eã pro tempore existentes, etiam si sint S. R. E. Card. causarũ palatij Apostolici Auditores, vel quicunque alij, non iuxta supplicationum signaturã super quibusvis impetrationibus nisi in dicta curia duntaxat, sint commissiones iustitiam concernentes, per placet, vel per S. R. E. Vicecancellarium, iuxta facultatem super hoc sibi concessam, signatæ, sed iuxta literarum super eisdem impetrationibus, & concessionibus confectarũ tenores, & formas, omnino iudicare debeãt, decernẽs irritum, & inane, &c. Et si literæ ipsæ per prꝫoccupationem, vel alias, minus bene expeditæ reperiantur, ad illorum, quorum interest, instantiam, ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt, per officiales, quibus huiusmodi tenores, & formas restringere cõuenit, ad formas debitas reducendæ.

De regulis Cancellariæ producendis.

Item, attendens idem D. N. Papa, quòd super habẽdis de Cancellaria apostolica regulis, & constitutionibus inibi descriptis, faciliter per eos, qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cãcellariam recursus dirigi posset, nec consultum foret, quòd super earundem regularum, & constitutionem, quas, iuxta varietatem occurrentium causarum, & negotiorum, aliquoties immutari conuenit, probando tenore, vel effectu, testium plerunque tenacem memoriam desuper non habentium, depositionibus stari deberet: Voluit, statuit, & ordinauit, quod deinceps quilibet ex Auditoribus causarum palatij apostolici, & alij, etiam si S. R. E. sint Cardinalium in ipsa curia

curia pro tempore deputatis auctoritate apostolica iudicibus, etiam in causis actu pendente super huiusmodi effectu, vel tenore probando duntaxat, stet, fidémque adhibeat cedulæ seu scripturæ, de super à duobus de maiori parco, quod danda sit, a tergo signatæ, & etiam duobus aliis literarum apostolicarum Abbreuiatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, & D. Vicecancellarij, seu dictam Cancellariam Regentis manu subscriptæ (vt moris est) quicquid autem secus fieri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti.

De Surrogandis collitigantibus.

Item, D. N. litium succidere cupiens anfractus, & ne noui collitigantibus aduersarij dentur, prouidere, voluit, statuit, & ordinauit, quòd quoties deinceps aliquē super quouis ecclesiastico beneficio collitigantem, in iure, vel ad ius, si quod forsan eius aduersario indicto beneficio competierit, surrogari cōcesserit (dummodo præfatus, in dicto beneficio intrusus non fuerit nec super eo contra dictum aduersarium, postquam illud per triennium pacifice possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso iure, siue tunc vacet, vel cùm vacauerit, impetrationes, etiam motu proprio, infra mensem ante concessionem huiusmodi factę, nullius sint roboris, vel momenti.

Et nihilominus Pauli 2. Innocētij 8. Adriani 6. Pauli 3 ac Iulij etiam 3. necnon Marcelli etiam 2. & Pauli 4. & Pij etiam 4. Romanorum Pontificum prædecessorū suorum vestigiis inhærendo, cupiens eorum fraudibus obuiare, qui viuentium beneficia, illorum præsertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum, impetrant, vt, illis decedentibus, tanquam Collitigantes in illorum iuribus facilius surrogentur: Voluit vt deinceps nullus in iure, vel ad ius in beneficio defuncti, quod illo viuente in casibus præmissis, vel similibus, impetrauit, aliquo modo surrogetur, ac surrogatio, vel gratia, si neutri, si nulli, seu nouæ prouisionis, aut perinde valere

lere, taliter impetranti nullatenus suffragetur.

Quod etiam strictissime obseruari mandauit in impetrationibus beneficiorum per priuationem, & amotionē, ex quibusuis criminibus, & excessibus forsan perpetratis, etiā si vsque ad diffinitiuam sententiā quæ tamen in rem non transierit indicatam) processum foret.

De Verisimili notitia obitus.

Item, voluit, & ordinauit, quòd omnes gratiæ, quas de quibusuis beneficiis ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, sæcularibus, & regularibus, per obitum quarumcunque personarum vacantibus, inantea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, & ante datam gratiarum huiusmodi, tantum temporis effluxerit, quòd interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam eiusdem D. N. verisimiliter potuerint peruenisse.

Non valeant Commissiones causarum, nisi literis expeditis.

Item, quòd omnes, & singulæ commissiones causarum, quas inantea fieri contigerit, obtentæ, occasione concessionum duntaxat apostolicarum, de beneficiis ecclesiasticis gratiarum, super quibus literæ apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi, nullius sint roboris, vel momenti.

De Impetrantibus beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

Item, voluit, quòd impetrans beneficium vacans per obitum Familiaris alicuius Cardinalis, teneatur exprimere nomen, & titulum ipsius Cardinalis: & si ille in curia fuerit, eius ad id accedat assensus, alias de super gratia sit nulla: & idem seruari voluit, si dicti familiares eorundem Cardinalium familiares esse desierint: seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint, quo ad beneficia, quæ familia

liaritate priori durante, obtinuerint, & in quibus priori ipsa familiaritate durante, ius eis competierit, ita quòd quo ad illa Cardinales, quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum.

Ac fel. rec. Xysti 4 Innocentij 8. Adria 6. Pauli 3. ac Iulij etiam 3. Marcelli 2. necnon Pauli 4. & Pij etiam 4. Romanorum Pontificum prædecessorum suorum inhærendo vestigiis, declarauit præsentem constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quæ non solum ratione familiaritatis continuę commensalitatis huiusmodi, sed etiam ratione officiorum, quæ familiares ipsi tempore obitus eorum, in dicta curia, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, dictæ dispositioni generaliter reseruata, vel affecta fuisse apparerent.

Nec non illos, quo ad effectum dictæ constitutionis, familiares eorundem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales, adminus per quatuor menses fuisse probarentur, decernens irritum, &c.

Super eandem Familiaritatem.

Item, idem D. N. ad euitandas lites, & contentiões, quæ ex præcedenti sua constitutione exoriri possent, vestigiis prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit, & ordinauit, quòd si beneficia, quæ per obitum Familiarium continuorum commensalium eorundem Cardinalium, in futurum vacabunt, cessantibus apostolicis reseruationibus, ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta præcedenti constitutione non cõprehendantur, quo ad hoc vt in prouisionibus talium beneficiorum super expeditionibus literarum, illius Cardinalis cuius familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat, sed beneficia huiusmodi ad collationem, seu quamuis aliam dispositionem Cardinalis ordinarij collatoris, vt præfertur, hbere spectare censeantur: & si apud Sedem Apostolicam beneficia

cia huiusmodi per obitum dictorum Familiarium vacauerint, tunc in prouisione talium beneficiorum super expeditione literarum illius Card. exigatur cõsensus, si in Rom. Cur. præsens fuerit, ad quem eorundem Collatio, vel dispositio, vt præfertur, pertinere deberet.

Signatura per Fiat, præferatur alteri per Concessum.

Item, voluit idem D. N. quòd concurrentibus eadem die super quocunque beneficio per Fiat, & Concessum, signaturis, ex eis, per fiat, etiam vt petitur, habens, alteri per concessum, etiam motu proprio, habẽti, præferatur.

De Annuali possessore.

Item, Sanctiss. D. N. vt improbi lites exquirẽtium motus reprimantur, voluit, statuit, & ordinauit, quòd quicunque beneficium ecclesiasticum tunc per annũ immediate præcedentem, pacifice possessum, & quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetrauerit, nomen, gradum, & nobilitatem possessoris eiusdem, & quot annis illud ipse possederit, ac specificam, & determinatam, ex qua clare poterit constare, quòd nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competat, causam in huiusmodi impetratione exprimere: & infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium euocari facere: causamque ex tunc desuper infra annum, vsque ad sententiam diffinitiuam inclusiue, prosequi debeat, & teneatur: alioquin impetratio prædicta, & quæcunque inde secuta, nullius existant firmitatis: & idem impetrans de damnis, interesse, possessorem prædictum propterea contingentibus, ei satisfacere: & si possessorem ipsum iniuste, friuole, & indebite molestasse repertus extiterit, quinquaginta florenos auri, persoluere Cameræ Apostolicæ sit astrictus: nec alius quam præmissæ vacationis modus, etiam per literas si neutri, aut surrogationis, vel alias, sibi quo ad hoc,

vt

vt beneficium huiusmodi, ea vice consequi, aut obtinere valeat quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus inãtea litigiosum propterea censeatur: quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cuiuscunque qualitatis: per priuationem, & amotionem, vel alias propter commissa, excessus, & crimina vacantia, vel vacatura, & similiter ad impetrantes beneficia, tanquam vacantia per deuolutionem.

De Triennali.

Item, statuit, & ordinauit idem D.N. q̃ si quis quęcunq; beneficia ecclesiastica, qualitercunq; sint, absq; simoniaco ingressu, ex quouis titulo, apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis huiusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, prouisio, electio, & præsentatio, seu quæuis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice, possederit (dummodo in beneficiis huiusmodi, si dispositioni apostolicæ ex reseruatione generali in corpore iuris clausa, reseruata fuerint, se non intruserit) super eisdẽ beneficiis taliter possessis molestari nequeat: necnon impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, & inanes censeri deberi, decreuit, antiquas lites super illis motas, penitus extinguendo.

De publicandis resignationibus.

Item, idem D.N. statuit, & ordinauit, quòd quæcũque beneficia ecclesiastica, siue in Romana Curia, siue extra eam resignata, nisi de illis factæ resignationes, si in eadẽ Curia, infra sex menses à die datæ supplicationis, & non à die præstiti consensus, computãdos: si verò extra dictam Curiam factæ sint, infra mẽsem tunc, vbi dicta beneficia consistunt, publicatæ fuerint, vel possessio illorum ab eis, quos id contingit petita extiterit, si resignantes ipsi ita, postmodũ in eorundem resignatorum beneficiorum possessione de

ne decesserint, non per resignationem, sed per obitum huiusmodi, vacare censeantur, collationes quoque, & quæuis alię dispositiones de illis tanquam per resignationem vacantibus, factæ, & inde secutæ, nullius sint roboris, vel momenti.

De non appellando ante diffinitiuam sententiam.

Item, idem D.N. vt finem litibus celerius imponatur, & litigantium parcatur sumptibus, & expensis, suorum prædecessorum constitutionibus, & statutis inhærendo, statuit, & ordinauit, quòd in causis in Ro. Cu. pendentibus, & quas in posterum contigerit agitari, nulli ante diffinitiuam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitiuæ, vel à grauamine minime concernente negotium principale, quod non possit per appellationem à diffinitiua sententia, reparari, nullique causæ appellationum committantur, nisi in comiss. exprimatur, quòd interlocutoria vim diffinitiuæ habeat, vel grauamen sit, tale, quod in appellatione à diffinitiua non valeat reparari, alioquin appellationes, & commissiones, in posterum, & quicquid inde secutum fuerit, nullius sit roboris, & momenti: commissionibus appellationum iam iudicibus præsentatis, & exhibitis, in suo robore permansuris in quibus latis super eisdem sententiis, secundo, vel vlterius, ab eis non liceat appellare verò, & appellationes, etiam ab interlocutoriis, & grauaminibus huiusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, vltra expensas, & damna, ad quæ resarcienda de iure condemnatus compellitur, viginti, florenorum auri pœna mulctentur.

Non stetur Commissioni post conclusionem.

Item, statuit, & ordinauit, quòd in Commissionibus de iustitia, seu mandatis, etiam consistorialibus, per eum, seu de eius mandato, vel auctoritate, in

causis, in quibus conclusum existat in posterum concedendis etiam si in eis de conclusione huiusmodi implicitè, vel explicitè mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem commissionis huiusmodi, conclusioni derogetur expresse.

De literis religiosorum expediendis.

Item, voluit, & ordinauit, quod si aliqui Religiosi petunt aliquod beneficium ad nutum amouibile, cum clausula quòd exinde pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoueri non possit, literæ quo ad ipsam clausulam, nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in Signatura, quòd non possit amoueri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

De clausula ponenda in literis permutationum beneficiorum.

Item, si committatur alicui beneficii resignationis receptio, ponatur clausula, Attente quoque prouideas, &c. & si ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula, quòd neuter permutantium, ius acquirat, nisi quilibet ipsorum ius habuerit in beneficio, per ipsum resignato.

De supplendis defectibus.

Voluit, quòd si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus literæ desuper concedantur, nisi in petitione desuper huiusmodi defectus exprimantur, vel per Fiat vt petitur, Supplicatio signata fuerit.

De derogatione iurispatronatus.

Item voluit, quòd super quouis beneficio ecclesiastico, de iure patronatus laicorum, non expediantur literæ, nisi ponatur expresse, quòd tale beneficium tanto tẽpoere vacauit, quòd eius collatio ad sedẽ apostolicam legitime est deuoluta: vel quia tempus patronis laicis, ad præsentandum à iure præfixum, lapsum existat: aut ad id patronorum ipsorum accedat assen-

assensus.

Et si per ipsum, iuri patronatus huiusmodi derogari contigerit, si ius huiusmodi ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat, & de hoc in literis prouisiõis, vel mdãti de prouidendo de dicto beneficio, mentio facta non fuerit: non censeatur iuri huiusmodi quomolibet fore derogatum.

De Commendis.

Item voluit, quod nulli Sæculari de regulari, nec Religioso de sæculari beneficiis commenda detur, nisi in Signatura, vel per clausulam ad partem super petitione commendæ huiusmodi, de commenda ipsa mentio fiat.

De reformationibus.

Item voluit, statuit, & ordinauit, quod super quibuscunque reformationibus quorumcunque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus peritur, quòd literæ super prima data expediri possint, si ex huiusmodi expeditione sub tali data cuicunque videatur posse fieri præiudicium, literæ huiusmodi sub ipsa prima data nullatenus expediantur, nisi reformationes huiusmodi per Fiat, & sub prima Data signatæ fuerint.

De consensu in resignationibus, & pensionibus.

Item voluit, & ordinauit, quòd super resignatione cuiuscunque beneficij Ecclesiastici, seu cessione iuris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancellaria apostolica fieri contigerit, apostolicæ literæ nullatenus expediantur nisi resignans, vel cedens, si præsens in Rom. Cu. fuerit personaliter: alioquin, per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni huiusmodi in eadem Cancellaria expresse consenserit, & iurauerit, vt moris est: & si ipsum resignantem, vel cedentem pluries super in vno, &

eodem beneficio in fauorem diuersarum personarum, successiue consentire contigerit, voluit Sanctitas sua, quòd primus consensus tenere debeat, & alij posteriores consensus, ac literæ illorum prætextu, etiam sub priori Data, expeditæ pro tempore, nullius sint roboris, vel momenti: nec literæ reseruationis, vel assignationis etiam motu proprio, cuiusuis pensionis annuæ, super alicuius beneficij fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persoluere tunc habebit.

De ingressu religionis.

Item non denturliteræ super beneficiis vacaturis per ingressum religionis, nisi ille præcesserit Datam desuper petitionis.

Non valeat impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

Item voluit quodsi petatur aliquod beneficium, vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec literæ desuper expediantur.

De executione facienda.

Item voluit, statuit & ordinauit, quòd quotiescunque per signaturam suam, vel de eius mandato factam, super exequendis aliquibus, cum adiectione proprij nominis, vel dignitatis cuiusuis, iudex detur: literæ desuper expediantur, cum expressione quòd idem iudex executionem faciat per se ipsum.

De Dispensationibus in gradibus Consanguinitatis.

Voluit, quòd in literis dispensationem supra aliquo gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis, aut alias prohibito, ponatur clausula, si mulier rapta fuerit: & si scienter, ponatur clausula addita in quinterno.

Super defectu natalium.

Voluit

Voluit, quòd in dispensationibus super defectu natalium, quòd possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula, quòd non præiudiceturillis, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.

Super defectu ætatis.

Item, quòd per quancunque signaturam in quauis gratia, nullatenus dispensatio veniat, nisi dicta gratia totaliter effectum huiusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur: & si super defectu ætatis sit, dispensatio hujusmodi, de duobus duntaxat annis dari valeat, habita prius per testes idoneos, vel alias informatione, quo ad idoneitatem personæ, cui dicta dispensatio conceditur.

Nulli suffragetur dispensatio, nisi literis confectis.

Item, cum concessiones super gratiis dispensationum quarumcunque quibusuis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum, per Regula Cancellariæ Apostolicæ sint prouide limitatæ, licet aliquando in petitionibus super huiusmodi concessionibus obla tis, multa sint petita: ne quis talium concessionum prætextu, id dispensatiue tenere, aut facere præsumat, ad quod concessiones huiusmodi se non extandant, voluit idē D. N. quòd nulla talis dispēsatio cuiquam in iudicio, vel extra suffragetur, antequam super ea literæ apostolicæ sint confectæ.

De non promouendis ad sacros ordines.

Item, voluit, quòd secum petentibus dispensari, vt ratione beneficiorū non teneantur se facere promoueri in Ro. Cu. vel instudio, per fiat, septennū, alias vero quinquennium detur, dūmodo infra annum à tēpore datę dispensationis huiusmodi, ad Subdiaconatus ordinē sint promoti.

De fructibus in absentia.

Item, de fructibus in absentia percipiendis, detur in

Rom. Cur. vel in studio residendo per quamcunque Signaturam, septennium: & alibi, quinquennium.

De Indulgentiis.

Item voluit, quòd in literis Indulgentiarum solum dentur festa per Cancellariam dari solita, & quòd durent per viginti annos, nisi petatur pro vna die, & tunc durent perpetuo.

De Clausulis ponendis in literis Indulgentiarum.

Item voluit quòd in literis Indulgentiarum, ponatur, quòd si Ecclesiæ, siue Capellæ, vel alias, aliqua indulgentia fuerit per ipsum concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, huiusmodi literæ sint nullæ.

De Indulgentiis concessis ad instar.

Item voluit idem D. N. quòd literæ super Indulgentiis, non expediantur ad instar, nisi specificentur.

De pluribus beneficiis vacantibus petitis.

Item voluit, & ordinauit, quòd in gratiis beneficialibus de vacantibus, aut certo modo vacaturis, factis quibusuis, si plura petãtur beneficia, vnum cuiuscunque annui valoris, per simplicem signaturam, & addito, vt petitur, duo, aut tria, & non vltra, beneficia petita veniant, dummodo etiam illorum fructus, &c. Centum libras Turonen. paruorũ, secundum comm. æsti. siue tantundem in alia moneta, non valeant annuatim.

De exprimendo valore in impetrationibus.

Item voluit, quòd in gratiis (quas quibusuis personis, de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis, fieri contigerit, illorum, & aliorum quoruncunque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis forsan prouisum fuerit, vel concessum, aut mandatum prouideri) verus annuus, per

marcas

marcas argenti, aut sterlingorum, vel libras Turonen. paruorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel vncias auri, seu aliam monetam, valor, secundum comæsti. exprimatur: nisi personæ prædictæ, beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ ius eis competit, iuxta ipsarum oblationes, vel alias, dimittere teneantur. Alioquin, gratiæ sint nullæ, & quæcunque nouæ prouisiones, aut perinde valere, vel alię gratiæ, post modum desuper impetrandæ, sint inualidæ, nec cuiquam suffragentur: nisi in illis specialis, & expressa mentio de his fiat: literæque desuper intra sex menses, ab earum dat. in totum expediantur, & iura omnia propterea debita, integre persoluantur: & idem seruetur in gratiis, quas à Sanctitate sua motu proprio emanare contigerit, quo ad beneficia, de quibus per Sanctitatem suam pro tempore prouidetur, seu prouideri mandatur, aut aliàs disponitur, ac literis, per quas pro tempore ad Ecclesiarũ patriarchalium, & cathedralium, ac monasteriorum regimina promotis conceditur, quod monasteria, & alia beneficia ecclesiastica sæcularia, & regularia per eos obtenta, in quibus, & ad quæ ius eis competit, retinere possint.

De clausulis in beneficiis vacan. ponendis.

Voluit, & ordinauit, quòd, quando prouidet, seu mandat prouideri alicui de beneficio ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulæ, si petantur, etiam si illud quouismodo &c. seu per constitutionem execrabilis, vacet, ac specialiter reseruatum, inter aliquos litigiosum sit, & eius collatio deuoluta fuerit, & si pro collitigante, vel surrogationem; aut Si neutri, vel Si nulli &c. petente, si tunc lis specifice exprimatur: nec detur aliqua generalis reseruatio dispositiue, nisi desuper in concessione, specialis, & expressa, ac pure, & non sub conditione mentio fiat: & tunc reliquæ reseruationes inibi contentæ, veniant. si vero tempore expeditionis inde literarum, generalis

reseruatio huiusmodi probari non possit, aut in nouis prouisionibus, seu pro Collitigantibus si neutris, vel si nulli &c. sit expressum, quod ab aliquibus asseritur, illum, cuius beneficium concedit, Collectorem, Subcollectorem, Abbreuiatorem, vel Familiarem &c. fuisse, clausula ponatur, etiam si dictum beneficium, ex eo quod talis Collector, Abbreuiator, vel Familiaris &c. fuit, dispositioni apostolicæ generaliter reseruatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter ius quæsitum: In reliquis vero nulla clausula detur, vnde reseruatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex Fiat signata sit, aut reseruatio, vel alias specialiter habeatur.

De expressionibus qualitatum beneficiorum in impetrantibus.

Item voluit, quòd super beneficiis Ecclesiasticis, de qualitatibus illorum, videlicet, an dignitates, personatus, vel officia sint, eisque cura immineat animarum, & ad illa consueuerit quis per electionem assumi, mentio fiat: alias gratiæ desuper factæ, sint nullæ: & si qualitates huiusmodi, affirmatiue, vel conditionaliter non exprimantur: negatiua expressio desuper fiat in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas, consueuerint habere.

De Beneficiis vacantibus per contractum matrimonij.

Item si reseruetur beneficium per contractum matrimonij, non dentur alij modi vacationum de futuro: nec censeatur beneficium reseruatum specialiter, vel affectum: nisi sequatur matrimonium: sed in beneficiis per promotionem, vel assecutionem, aut ingressum religionis, vacaturis, ponatur clausula, etiam si non petatur, Cum beneficia huiusmodi, præmisso, vel alio quouis modo &c. præterquam per obitum obtinentis, vacare contigerit, etiam si vacent.

De

De Clausulis ponendis in literis religiosorum.

Item voluit, quòd si pateatur aliquem in religiosum recipi, & sibi de quouis beneficio ecclesiastico prouideri, per simplicem signaturam, Fiat, receptio huiusmodi duntaxat, detur, adiectio, Si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat: & exprimatur, si certus numerus regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur: & si numerus iste non existat, ponatur, Dummodo receptionis locus huiusmodi, nimium propterea non grauetur.

De Translatione religiosorum.

Item, si regularis petat sibi de beneficio ab aliquo monasterio, vel alio regulari loco dependente, prouideri, & appareat ex petitione huiusmodi, quòd alterius monasterij, vel loci religiosus sit: licet inibi translatio non petatur, nihilominus illa veniat.

De clausula, Si est ita.

Item, quòd in literis super beneficiis, per Constitutionem Execrabilis, vacantibus: ponatur Clausula Si est ita: si militer de quibuscunque narratis, informationem facti requirentibus.

De petente prouideri de vacaturo.

Item, petenti sibi prouideri de vacaturo, dentur literæ de vacaturo: & è conuerso, prout expedierit Impetranti.

De mandatis apostolicis, & executorialibus.

Voluit, & ordinauit, quòd mandata apostolica super sententiis in Romana Curia latis, executioni demandandis, sub bulla expediantur: alias sint nulla.

Reuocatio decimarum.

Item reuocauit quascunque decimarum, subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones, quæ à præfato Pio prædecessore suo ex quauis causa,

etiam in subsidium expeditionis contra Turcas, & alios orthodoxæ fidei hostes, emanarunt: & quascunque facultates super decimarum, vigesimæ, & onerum huiusmodi exactione, quibusuis fructuum, & proventuum, Cameræ apostolicæ debitorum, Collectoribus, & Apostolicæ Sedis Nuntiis, ab eodem Prædecessore concessas: Suspendit quoque ad suæ Sanctitatis, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, quascunque plenarias indulgentias, ab eodem Prædecessore, ex quauis causa, etiam expeditionis huiusmodi, concessas, quæ per Nuncios, vel quæstores deferebantur: nec non deputandi, & eligendi confessores, qui plenarie absoluant, & alia faciant, ad eorundem Indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas Indulgentias quomodolibet concernentes: præter quam quo ad ea, in quibus indulgentiæ, & facultates in aliqua sui parte sint sortitæ effectum: ita, vtillis, qui implentes iniuncta eis in literis indulgentiarum huiusmodi, iam consecuti sunt facultatem eligendi Confessorem, qui absoluat eos plenarie in mortis articulo, per huiusmodi suspensionem non præiudicet, quin facultate ipsa vti possint in futurum: Decreuit quoque irritum & inane, quicquid facultatum reuocatarum earundem prætextu, in posterum contigerit attentari.

Reuocatio facultatum percipiendi precium officiorum.

Item, reuocauit, cassauit, & annulauit, ac irritas declarauit, quascunque facultates percipiendi precium officiorum Ro. Cu. pro tempore vacantium, in toto, vel in parte, Ac quasuis collationes, & concessiones, aliasque dispositiones per fe. re. Pium papam III. prædecessorem suum, de dictis officiis, etiam, ex die Collationum, Concessionum, & dispositionum eorundem, inanem vacaturis, in fauorem quarumcunque personarum, ecclesiarum, Monasteriorum, Piorum locorum, Collegiorum, seu eorum men

mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, & ex titulo oneroso, & sub alia quauis verborũ forma (quam, & præmissorum tenores, pro expressis haberi voluit) concessas, & factas: quo ad officia, quæ post obitum ipsius prædecessoris vacarunt, & in posterum quomodolibet vacabunt.

Quod fructus in Tertia parte augeri possint, Vigore Clausulæ.

Item cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum ecclesiasticorum, pro tempore vacãrium, & certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus, &c. certum per eos expressum annuum valorem non excedere: nonnunquam obtineant à Sanctitate sua, vt huiusmodi valorem annuum augere possint: vt verius possit in confectione literarum super huiusmodi impetrationibus, summa, ac valor ipse annuus exprimi, aliter de super non specificato: ac de veritate huiusmodi concessionis, in posterum hæsitari contingat, Declarauit, prætextu concessionis huiusmodi, valorem ipsum vsque ad tertiam partem valoris expressi, & in prima, quæ desuper fiet, literarum expeditione duntaxat, augeri posse: & eas, quas literis iam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto, denuo de super expediri contigerit literas, cum aliquo augmento valoris huiusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiam si motu proprio beneficiales gratiæ, & dispositiones quæcunque, à Sanctitate sua emanarent.

De insordescentibus.

Item ne personis, pro quibus literæ suæ Sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem à censuris ecclesiasticis, quibus ligatæ forent, ad eorundem effectũ indifferẽter cõcedi, & in literis apostolicis apponi solitã præstetur occasio cẽsuras ipsas vilipẽdẽdi, & insordescẽdi in illis, statuit, & ordinauit huiusmodi

ab

absolutionem, & clausulam in literis, quas in futurũ cumilla concedi contingat, non suffragari non parentibus reiiudicatæ: Incendiariis, violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus literas, & supplicationes appostolicas, & illis vtẽtibus, receptatoribus, & fautoribus eorum: ac res vetitas ad infideles deferentibus: violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti, ausu temerario, apostolicis mandatis non obtemperantibus: & nuncio, vel executores apostolicæ Sedis, & eius officialium, eis commissa exequentes impedientibus: qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati, à iure, vel ab homine, per quatuor menses, scienter excommunicationis sententiam huiusmodi substinuerint. Et generaliter, quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus, etiam alias quam vt præfertur, quomodolibet ligati, in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant vltra debitum.

Item, idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas sua non sine displicentia, plerunque fieri intellexit per officiales Romanæ Curiæ: qui, constitutis sibi emolumentis, pro exercitio officiorum, quę obtinent, non contenti, vltra, à prosequentibus negotiorum quorundam expeditionem in eadem, exigere non verentur, obuiare volens, districte præcipiendo inhibuit omnibus, & singulis, quęvis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cætero, quicquam, prætextu officiorum, quæ obtinent, quouis colore, etiam celerioris expeditionis vltra emolumenta huiusmodi, exigere, seu ad hunc effectum, expeditionem eorum, quæ eis incumbunt, malitiose differre, sub excõmunicatiõis, & præterilã, suspensionis à perceptione emolumentorum huiusmodi, pro prima, ad semestre: & pro secunda, ad annum, & pro tertia, vicibus sic excederent priuationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint, pœnis. Ac voluit, quòd S. R. E. Vicecancellarius, Camerarius, & Maior pœnitentiarius

exce-

excedentes ipsos respectiue, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorundem, ac alias, vt præmittitur, compellant ab huiusmodi illicitis exactionibus abstinere, & contra eos, per prædictas pœnas, & alias, vt pro melius expedire viderint, procedant.

Quod Cardinales non comprehendantur sub regulis fiendis.

Item cum S. R. E. Card. ipsi Sanctiss. D. N. assistant, ac proprerea debeant specialibus prærogatiuis, & priuilegiis gaudere: Idem D. N. statuit, ordinauit decreuit, & declarauit, quòd in quibuscunque constitutionibus, & regulis per Sanctitatem suam in posterũ, post hanc primam editionem, & suarum constitutionum, & regularum publicationem faciendis, non includantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorundem Cardinalium fauorem concernant: vel ipsæ Constitutiones edendæ, de eorundem Cardinalium vel maioris partis eorum, consilio editæ fuerint.

De potestate Reuerendiss. D. Vicecancellarij, & Cancellariam Regentis.

Primo, quòd possit committere absolutionem illorum qui ignoranter in supplicationibus, vel in literis apostolicis, aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item quòd possit corrigere nomina, & cognomina personarum, & beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item quòd possit omnes causas beneficiales, etiam non deuolutas, committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item quòd processus auctoritate Apostolica decretos, aggrauare possit, cum inuocatione brachij secularis, & sententias executioni demandari facere, contra intrusos, & intrudendos, per literas Apostolicas desuper confictien. & non alias.

Item

Item quòd possit concedere quibusuis petentibus conseruatorias per triennium, in forma.

Item ꝙ possit quibuslibet nobilibus personis petentibus, dare indultum de celebrando in locis interdictis: & per triennium reconciliari faciendo ecclesias in Cæmeteria polluta, in forma.

Item quòd possit admittere, & recipere resignationes beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, etiam generaliter, vel specialiter reseruatorum, simpliciter, vel ex causa permutationis, & desuper supplicationes per Concessum signare, pro literis Apostolicis inde conficiendis, vt moris est.

Item quòd possit signare supplicationes duorum Referendariorum manibus signatas, de nouis prouisionibus, Si neutri, & surrogationibus pro Colligantibus, in quibus non detur clausula generalē reseruationem importans.

Item quòd possit signare supplicationes, etiam manibus duorum Referendariorum signatas, de beneficiis ecclesiasticis vacantibus, sæcularibus, ac regularibus, dispositioni Apostolicæ generaliter non reseruatis, quorum cuiuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen. paruorum, seu totidem in alia moneta, secundum communem æstimationem valorem annuum non excedat.

Item quòd possit signare supplicationes, manus vnius Referendarij signatas, super defectu natalium, ad omnes sacros ordines.

Item quòd in beneficiis, generaliter, vel specialiter non reseruatis, impetrationum quarumlibet reformationes, de non obstante, & dispensationum omissarum, ac beneficiorum valoribus, & qualitatibus, natalíumque defectibus, signare possit.

Item, quòd possit ad ordines suscipiendos arctatis, prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, vsq; ad proxima tunc à iure statuta tẽpora; in quibus sic arctati, successiue ad ipsos ordines promoueãtur.

Pla

Placet, Publicentur, & describatur. M.

Lectæ, & publicatæ fuerunt suprascriptæ Regulæ, ordinationes, & Constitutiones, Romæ in Cancellaria apostolica, Anno Incarnationis dominicæ, 1565. die vero sabbati. XVIIII. Mẽsis Ianuarij, Pontificatus prælibati Sanctissimi D.N. Papæ Anno primo.

A. Lomellinus Custos.

RESERVATIO MENSIVM APOSTOLICORVM, & alternatiua pro Episcopis Residentibus.

SAnctissimus in Christo pater, & Dominus noster, dominus Pius, diuina prouidentia Papa Quintus (qui antea quascunque gratias præuentiuas ad vacatura beneficia, à Prædecessoribus suis emanatas, certis tunc expressis modo, & forma reuocauerat) Cupiens pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis de beneficiis ecclesiasticis prouidere: Omnia, & singula beneficia ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis ordinum regularia, qualitercunque qualificata, & vbilibet existentia, inantea vsque ad quinquennium, à die præsentis constitutionis computandum, in singulis, Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Augusti, Octobris, & Nouembris, mensibus, alias quam per resignationem, extra Romanam Curiam quomodolibet vacatura, ad Collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem quorumcunque Collatorum, & Collatricum, secularium, & regularium (non tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut aliorum,

sub

sub concordatis inter sedem Apostolicam, & quoscunque alios initis, & per eos quibus illa acceptare, & obseruare debuerunt, acceptatis, & obseruatis, quæ ledere non intendit, comprehensorum quomodo libet pertinentia dispositioni suæ generaliter reseruauit.

Et voluit, quod in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam Motu proprio fient de mense in quo vacauerint, dispositiue mentio fiat: Alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ.

Et quod priuilegia, & indulta apostolica de disponendo de huiusmodi beneficiis, etiam cum clausulis derogatoriarum derogatoriis, ne fortioribus, efficacioribus, & insolitis, irritantibúsque, & aliis decretis, quibusuis personis, & Collegiis, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, quomodolibet concessa, aduersus reseruationem huiusmodi nullatenus suffragentur. Sicque in præmissis per quoscunque &c. iudicari debere, ac irritum &c. decreuit.

Et insuper Sanctitas sua, volens Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis apud eorum Ecclesiam, seu illorum diœcesi pro tempore residentibus gratificari, eis, quod quotiescunque, & quandiu, apud eorum ecclesias seu in eorum diœc. resederint duntaxat, de quibusuis dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, Canonicatibus, & præbendis, ac aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura, & sine cura sæcularibus, & quorumvis ordinum regularibus, ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quauis aliam dispositionem (non tamen simplicem institutionem) pertinentibus, que in antea in singulis Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus vacare contigerit, dummodo alias dispositioni apostolicæ generaliter reseruata, vel ex generali reseruatione apostolica affecta non fuerint, libere disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, quòd dicti Episcopi, Archiepiscopi,

copi, & Patriarchæ de Collatione, & prouisione, seu alia dispositione beneficiorum, in reliquibus mensibus videlicet, Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouembris, pro tempore vacantium, quæ ex tunc, pro vt ex ea die, & è contra, dispositioni suæ (vt præfertur) reseruauit, se non intromittant. Et, si quomodolibet se intromiserint, collationes, & prouisiones, ac aliæ dispositiones beneficiorum per eos in vim præsentis concessionis pro tempore faciendæ nullæ, & inanes, nullíusque roboris, vel momenti, ipsíq; beneficio alternatiua huiusmodi eo ipso priuati existãt, ac Episcopi, & Archiepiscopi, & Patriarchæ præfati infra tres menses, à die publicationis presentis constitutionis computañ. se alternatiuã huiusmodi acceptare, vel recusare coram notario publico, & testibus declarare teneantur alioquin lapso trimestri, alternatiua huiusmodi illis nullatanus suffragetur. Decernens irritum, &c.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta regula Romæ, in Cancellaria Apostolica. Anno Incarnationis Domini cæ. 1565. die vero Iouis. xxiiij. mensis Ianuarij, Pontificatus Sanc. D.N. Papæ. Anno primo.

A. Lomellinus Custos.

Reuocatio facultatum concessarum Legatis, & Nuntijs apostolicis.

SAnctissimus in Christo pater, & Dominus noster Dominus Pius diuina prouidentia Papa. V. qui nuper, in Consistorio suo secreto, quoscunque suos, & Sedis Apostolicæ Legatos in Italia per prædecessores suos constitutos, de Fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio reuocauerat, cuique innotuit diuersos suos, & eiusdem Sedis Legatos etiam de latere, ac Nuntios per eosdem prædecessores creatos, & deputatos prætextu facultatum eis cõcessarum forsan ob prouinciarum, & locorum, in quibus Legati, & Nuntij munere funguntur, a Ro-

Cu. distantiam,& exinde ignotam eis Sanct. suę mentem,ea aliquando concedunt,à quibus eadem Sanct. sua abstinet,& decreuit:volens præmissis occurrere, ac intendens ipsorum legatorum ,& Nuntiorum facultates reformare,omnia & singula facultates,& indulta quibusuis suis ,& dictæ Sedis Legatis etiam de latere Nuntiis,in quibusuis Regnis, Prouinciis, Ducatibus ,dominiis, ciuitatibus ,& locis tam citra, quam vltra montes per quoscunque Roman.Pontifices prædecessores suos,ac Sedem Apostolicam etiam Consistorialiter creatis ,& deputatis sub quibuscunque tenoribus ,& formis, ac cum quibusuis declarationibus,attestationibus,& reuocationibus , præseruatiuis ,ac derogatoriarum de rogatoriis ,aliisque efficacioribus ,& insolitis clausulis , irritantibusque, & aliis decretis etiam Motu proprio,& ex certa scientia,ac de apostolicæ potestatis plenitudine ,& ex quibusuis etiam vrgentissimis causis ,ac quauis consideratione etiam consistorialiter concessa , Quorum omnium tenores , & formas,ac decreta in illis apposita Sanctitas sua haberi voluit pro expressis , quo ad ea,in quibus nõdum sunt effectum sortita,reuocauit, cassauit,& annullauit.Ac quicquid prætextu facultatum , & indultorum , reuocatorum huiusmodi post publicationem præsentis constitutionis contigerit attentari , irritum , & inane decreuit , statuto , ordinatione,& declaratione suis in crastinum assumptionis suæ editis, quibus voluit ipsos Cardinales in constitutionis per eandem Sanct.suam in posterum edendis,& publicandis non comprehendi , nisi illæ fauorem concernerent, vel ipsæ constitutiones de eorundem Cardinaliunm,vel maioris partis eorum consilio ediræ forent,nequaquam obstantibus.

Placet,publicetur,& describatur.M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta regula Romæ in Cancellaria Apostolica Anno Incarnationis Dominicæ 1565.Die vero Martis 19.mensis Februarij,Pontificatus præfati Sanctissi. D. N. Papæ Anno primo.

A. Lomellius Custos.

Prorogatio expeditionis literarum quo ad concessa per fel.rec. Paulum Papam Quartum.

SAnctissimus in Christo pater ,& dominus noster dominus Pius diuina prouidentia Papa Quintus qui in crastino suæ assumptionis ad summi apostolatus apicem,per certam cõstitutionem suam voluerat, quòd cõcessa per fel.rec.Pium Quartum prædecessorem suum,& de eius mandato,expedirentur in forma Rationi congruit, sub die coronationis suæ , vt moris est,& idem quo ad concessa per Piæ me.Paulum Papam IIII. etiam prædecessorem suum ad sex menses dumtaxat,ab ipsa die Coronationis incipiendos , obseruari voluerat , Volens ipsorum , quilitteras super concessis per eundem Paulum IIII. prædecessorem nondum expediuerint, indẽnitati consulere , dictos sex menses ad alios sex mẽses à fine prædictorum sex mensium computandos prorogauit.

Placet,publicetur,& describatur.M.

Lecta,& publicata fuit suprascripta regula Romæ in Cancellaria Apostolica Anno Incarnationis Domini cæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto , Die vero Martis xvj.Mẽsis Iulij,Põtificatus præfati Sanctiss.D.N.Papæ Anno Primo.

A.Lomellinus Custos.

Declaratio Concilij Tridentini de compaternitate,& affinitate ex fornicatione,ac matrimonijs desuper contractu,& contrahendis.

SAnctissimus in Christo pater D.N,D.Pius diuina prouidẽtia PP.V.Ad cuius notitiã peruenit,quòd, cum in decretis Sacri Concilij Tridentini certæ tãtũ personæ enumerentur,inter quas duntaxa cognatio spiritualis deinceps cõtrahatur,ab aliquibus reuocatur in dubiũ,an,qui vltra personas in dictis decretis enumeratas,quoquo modo cognatione spirituali an

ce confirmationem dicti Concilij coniuncti erant, absq; dispensatione apostolica matrimonium post dictam confirmationem contrahere potuerint, ac hodie, & de cetero cõtrahere possint, cum ante prædictam confirmationem id facere de iure minime liceret. Et insuper cum in eisdem decretis statuantur affinitatem, quæ ex fornicatione contrahitur, in illis solummodo attendi debere, qui primo, vel secundo affinitatis gradu coniunguntur, ab aliquibus pariter dubitetur, An matrimonia inter personas, quæ ante confirmationem dicti Concilii tertio, vlteriori vel huiusmodi affinitatis gradu coniunctæ, erant, post confirmationem eiusdem Concilij absque dispensatione apostolica contracta, quæ deinceps contrahi contigerit, dirimi debeant, Sanctitas sua ad tollendum omne dubium, eos, qui ante confirmationem prædicti Concilij cognationem spiritualem, contraxerunt (dummodo non sint ex personis in dictis decretis enumeratis, & inter quas tantum Concilium voluit deinceps contrahi) hanc cognationem spiritualem matrimonij vinculo inter se absque dispensatione aliqua libere, & licite copulari posse, ac matrimonia etiam post confirmationem huiusmodi absque dispensatione sedis apostolicæ inter eas iam contracta valere, plenãq; roboris firmitatem obtinere. Et similiter matrimonia post confirmationem Concilij absque dispensatione apostolica sequuta, & quæ de cætero sequentur, inter personas, quæ ante dictam confirmationem affinitatem (infra tamen secundum gradum ex fornicatione prouenientem) contraxerant propter huiusmodi affinitatem dirimi non debere, sed valida, & efficacia existere declarauit, Sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios etiam S.R.E. Cardinales, sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decreuit.

Placet

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta regula Romæ, in Cancellaria Apostolica Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Die vero Martis vigesima Mensis Augusti, Pontificatus præfati Sanctiss. D.N. Papæ Anno primo.

A. Lomellinus Custos.

Declaratio regulæ Pij IIII. super expressione gradus proprinquioris in dispensationibus Matrimonialibus.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, dominus Pius diuina prouidentia Papa V. Attendens per quãdam constitutionem dudum per fel. rec. Pium Papam Quartum Sanctitatis suæ prædecessorẽ editam, qua cauetur quòd in dispensationibus matrimonialibus, pro diuersis consanguinitatis, seu affinitatis ex eodem stipite prouenientibus gradibus coniunctis non remotioris solum, prout olim fieri solebat, sed etiam proprinquioris graduum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes ac desuper confectæ literæ nullius sint roboris, vel momenti prout in dicta Constitutione plenius continetur, à dispositione iuris communis, & laudabili, ac antiquo Ro. Cur. stylo, nimium recedi, ac fauorem matrimonij debitum restringi, Volensque propterea iuri, & stylo prædictis, necnon piæ memoriæ Gregorij XI. & Clementis VI. Roma. Pont. etiam Sanctitatis suæ prædecessorum vestigiis inhærendo, Sacramento, & libertati matrimonij, quantum cum Deo potest, fauere statuit, & ordinauit quòd de cætero in quibuscunque dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros, & mulieres, inuicem diuersis prohibitis consanguinitatis, seu affinitatis, aut mixtis, ex communi,

seu ab eodem stipite surgentibus, quicunque illi sint, dummodo primum quoquo modo non attingant, cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus coniunctos, ab eadem Sanctitate sua, & pro tempore existente Rom. Pont. aut Sede apostolica impetrarit, vel alias concedi contigerit, ac literis, commissionibúsque desuper etiam locorum ordinariis faciendis gradus remotior attendatur, trahátque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratoriis iuxta Greg. & Clem. præd. huiusmodi constitutiones quas quo ad hoc innouauit, & inuiolabiliter obseruari mandauit, dispensationésque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas literas, & processus habitos per easdem dispensatis, seu his, cum quibus dispensari mandatur propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de surreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari, perinde ac si in literis, seu commissionibus huiusmodi de proximiore, seu vtroque gradu, specialis, & expressa mentio facta fuisset. Sícque per quoscunque Iudices, & commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus super his à quocunque, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decreuit, constitutione Pij prædeces. huiusmodi ceterísque contrariis non obstantibus quibuscunque.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta regula Romæ, in Cancellaria Apostolica Anno Incarnationis Dominicæ 1566. Die vero Martis. xx. Mensis Augusti Pontificatus præfati Sanctissi. D. N. Papæ Anno primo.

A. Lomellinus Custos.

Alia

Alia prorogatio expeditionum Pauli. 4.

SAnctissimus in Christo pater, & dominus noster dominus Pius diuina prouidentia Papa Quintus, qui in crastino suæ assumptionis ad summi apostolatus apicem per certam constitutionem suam voluerat, quòd concessa per fel. rec. Pium Papam Quartum prædecessorem suum, & de eius mandato expedirentur in forma Rationi congruit, sub die coronationis suæ, vt moris est & idem quo ad concessa per piæ memoriæ Paulum Papam Quartum etiam prædecessorem suum ad sex menses duntaxat abipsa die coronationis incipiendos, obseruari voluerat, & deinde per aliam constitutionem suam in Cancellaria apostolica successiue publicatam dictos sex menses ad alios sex menses à fine primo dictorum sex mensium computandos prorogauerat, volens eorum, qui literas super concessis per eundem Paulum prædecessorem nondum expediuerunt commoditati pariter, & indemnitati peramplius consulere, vltimo dictos sex menses ad alios sex menses à fine vltimo dictorum sex mensium huiusmodi computandos, absque spe alterius prorogationis, prorogauit.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta regula Romæ, in Cãcellaria Apostolica Anno Incarnationis Dominicæ 1566. Die vero Iouis sexta Mensis Februarij Pontificatus Sanctissi. D. N. Papæ Anno secundo.

A. Lomellinus Custos.

Reuocatio indultorum S. R. E. Cardinalium cum limitationibus pro futura illorum concessione.

SAnctissimus in Christo pater & dominus noster dominus Pius diuina prouidentia Papa. V. Ex tam multis S. R. E. Cardinalium super beneficiorum Ecclesiasticorum dispositione Indultis, & multiplica-

tione aliarum super alias facultatum, quæ quotidie litteris dictorum indultorum diffusiue inseruntur, sæpenumero impeditus, quo minus solitam ante hac sedis huius benignitatem erga pauperes, & benemeritos liberaliter exercere possit. Idcirco rationem capere volens, vt, tanta de hinc eiusmodi Indultorum, & facultatum largitione præcisa, dictis personis commodius beneficiendi via sibi libera recludatur, omnia, & quæcunque indulta, concessiones, facultates, & alia priuilegia conferendi quæcunque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumuis ordinum regularia qualitercunque qualificata, ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quamcunque aliam dispositionem, dictorum Cardinalium, ratione Patriarchalium, Metropolitan. & aliarum Cathedralium Ecclesiarum, necnon monasteriorum, prioratuum, dignitatum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quæ quomodolibet obtinent, & in posterum obtinebunt, ac etiam quorum collatio, prouisio, & quæuis alia dispositio, illis ex causa factæ per eos cessionis, regiminis, & administrationis, seu commendæ, aut resignationis, ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum huiusmodi Apostolica auctoritate reseruata existit, vel in posterum reseruabitur, necnon quorumcunque inferiorum collatorum, & collatricum, de iure, priuilegio, consuetudine, ac alias quomodolibet pertinentia, & etiam illa commendandi, ac alias de eis disponendi, omnibus, & singulis Cardinalibus prædictis etiam de dictorum inferiorum collatorum consensu, per quoscunque Rom. Pont. ac sanctitatem suam, & dictam sedem, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & etiam ex pactis inter dictos Pontifices, & Cardinales diuersis temporibus factis, firmatis, & iuratis, ac quibusuis oneribus, & aliis causis concessa, & etiam iteratis vicibus innouata, atque extensa quibuscunque concepta formulis, ac etiam restitutiuis, mentis attestatiuis, præseruatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficatioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon vim contractus inducentibus, & aliis decretis suffulta, quorum omnium tenores Sanctitas sua haberi voluit pro expressis, specialiter, & expresse reuocauit, literasque Apostolicas desuper confectas, & quo ad ea, in quibus illa nondum erant sortita effectum, & inde secuta quæcunque cassauit, & annullauit, viresque, & effectum de cætero nõ habere decreuit. Præterea voluit, & ordinauit, quòd omnes deinceps literæ Apostolicæ facultatum, & indultorum huiusmodi pro singulis Cardinalibus prædictis præsentibus, & futuris ad vnam tantum cathedralem, vel maiorem Ecclesiam, seu illius loco vnum, vel duo monasterium, seu monasteria, aut vnum aliud, vel duo alia beneficium, seu beneficia in dictis literis exprimendam, seu exprimendum, vel exprimenda, quam, seu quod, vel quæ ipsi Cardinales vltra illas sex Episcopales, ac presbyterales, & diaconales Cardinalium Ecclesias tunc temporis obtinebunt, seu cuius, vel quorum collatio eis reseruata fuerit, vt præfertur. Ac etiam sublata omnino altera huiusmodi indultorum parte super consensu ipsorum Cardinalium requirendo in prouisione beneficiorum apud sedem prædictam, pro tempore vacantium, alias subdictis indultis comprehensorum, de quibus omnibus Sanctitas sua posthac libere disponere intendit, & etiam citra facultates commendandi monasteria, aliasque beneficia Ecclesiastica, sæcularia, & regularia, necnon disponendi de monasteriis, etiam cura, & conuentu carentibus, & de dignitatibus, conuentualibus, & in metropolitan. aliisque cathedralibus post pontificales maioribus, & in collegiatis ecclesiis principalibus, Ac etiam disponendi de beneficiis Referendariorum, causarum Palatij Apostolici Auditorum, Protonotariorũ, & aliorum officialium dictæ Sedis, necnon familiarium, cæterorumque omnium, qui constitutionibus decla-

ratoriis fel. recor. Pauli Papæ III. ad perpetuam rei memoriam editis continentur. Denique cum moderatione facultatum disponendi de beneficiis familiarium ipsorum Cardinalium, ac concessionũ eis etiam per regulas Cancellariæ Apostolicæ factarum, de consensu per ipsos in prouisionibus Apostolicis præstando ad eos solos familiares continuos commensales eorundem, qui vera, & actuali familiaritate continua commensalitate huiusmodi durante extra Romanam Curiam, vel Cardinalibus ipsis in dicta Curia existentibus, apud dictam Sedem decesserint, & ad ea sola beneficia, quæ ipsi familiares continui commensales viuentes, ad collationem dictorum Cardinalium pertinentia obtinebant, seu quæ ex collatione sibi ab eisdem Cardinalibus facta assecuti fuerant, expediantur. Aliter vero etiam motu scientia, & potestate similibus, ac etiã cum præsentium speciali, & expressa derogatione expeditæ, nullius sint prorsus roboris, vel momenti, Et nihilominus huiusmodi constitutiones, & regulas super beneficiis familiarium Cardinalium editas, etiam quo ad Cardinales indulta huiusmodi non habentes ad familiares, & beneficia prædicta duntaxat restrinxit, & moderatus fuit. Decernens sic in iis, cæterisque omnibus præmissis per quoscunque &c. etiam causarum dicti palatij Auditores, ac etiam ipsos Cardinales, sublata &c. necnon irritum, & inane quicquid secus per quoscunque etiam prætextu indultorum, facultatum, & concessionum huiusmodi, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Statuto, ordinatione, decreto, & declaratione suæ Sanctitatis in crastinum eius assumptionis ad summi apostolatus apicem editis, quod Cardinales in constitutionibus, & regulis per eam post priorum suorum Constitutionum, & regularum editionem, & publicationem in posterum faciendis, non includantur, nisi illæ eorundem Cardinalium fauorem concernant, vel ipsæ ædendæ constitutiones de illorum, seu maioris partis

tis eorum consilio editæ fuerint, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta regula Romæ, in Cancellaria Apostolica Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimoseptimo, Die vero Mercurij vltima Mensis Aprilis Pontificatus præfati Sanctiss. D. N. Papæ Anno Secundo.

A. Lomellinus Custos.

Reseruatio beneficiorum vacantium, & quæ in posterum vacabunt Sede Episcopali vacante.

SAnctissimus in Christo P. & D. N. D. Pius diuina prouidentia Papa V. Cupiens pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis, de beneficiis ecclesiasticis prouidere, omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & quorumvis ordinũ regularia qualitercunque qualificata, & vbilibet existentia, Sede Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali & primitiali quarumcunque ecclesiarum cathedralium, etiam Metropolitanarum, Patriarchaliũ, & Primitialium, pro tempore Pastoribus destitutarum vacante, quomodolibet vacantia, & vacatura, tam in prædictis, quam aliis ecclesiis, necnon ciuitatibus, & diœcesibus quibuscunque, ad eorundem Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, & Primatum collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem quomodolibet pertinentia, dispositioni suæ reseruauit. Sicque in præmissis per quoscunque, &c. sublata, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c. decreuit.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta Regula Romę, in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ

minicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Die vero nona Menſis Martij, Pontificatus prælibati Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Anno Tertio.

A. Lomellinus Cuſtos.

Reuocatio facultatum concedendi commiſſiones alienationum bonorum Eccleſiaſticorum, aut Piorum locorum, Camerario, & Cam. Apoſt. Clericorum Collegio conceſſarum.

MOtu proprio, &c. Volentes indemnitati Eccleſiarum aliorumque piorum locorum quantum cũ Deo poſſumus, conſulere, ac prouidere, ne illorum bona ſine noſtra, aut ſucceſſoris noſtri ſcientia, & licentia alienentur, aut perpetuo, vel ad longum tempus, aut vnam, vel plures illa conducere volentes, vitam locentur, aut de his alio titulo diſponatur: Oēs, & ſingulas facultates, & licentias concedendi cõmiſſiones alienationum, vel permutationum, aut affrancationum, autillarum confirmationum quorum vis bonorum eccleſiaſticorum, aut locorũ piorum cuiuſcũque valoris exiſtentium, etiam ſummam annuã quinque ducatorum auri de Camera non excedentiũ, aut alterius minoris valoris informa, quæ dicitur, Si in euidẽtem, Dilecto filio Vitellio Sanctæ Mariæ in via lata diacono Cardinali Vitellio nuncupato S.R.E. Camerario, eiuſque anteceſſoribus, & Clericorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Collegio tam per fel. rec. Gregorium IX. Bonifacium IX. Vrbanum VI. Martinum V. Gregorium V. Sixtum IIII. Innocentium VIII. Iulium II. Leonem X. Paulum III. & Iulium ſimiliter III. ac alios quoſcunque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, etiam Motu proprio, ex certa ſcientia & ex quauis cauſa etiam vrgentiſſima cum quibuſvis clauſulis etiam derogatoriarũ derogatorius, ac quibuſvis decretis, etiam irri

ſtrantibus, & in vim contractus conceſſas, confirmatas, & innouatas, illorũ omniũ tenores pro ſufficiẽter expreſſis habentes, ꝑpetuo reuocamus, caſſamus, & annullamus, Interdicentes, & expreſſe prohibentes eidem Camerario, & Clericis, ac aliis eiuſdem Cameræ Apoſtolicæ officialibus ſub pœna indignationis noſtræ, ne in futurum licentias, & facultates, ac commiſſiones alienationum huiuſmodi ſub quouis prætextu concedant: Ac cõmiſſiones, & conceſſiones cõmiſſionum huiuſmodi contra voluntatem, ordinationem, & decretum noſtrum, nullas, inualidas, & irritas eſſe decernimus, & declaramus. Sicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, &c. ſublata, &c. iudicari, &c. debere, Necnon irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his à dictis Camerario, Clericis, & aliis officialibus, & Iudicibus præfatis, vel quibuſvis aliis quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus præmiſſis, conſtitutionibus, & ordinationibus priuilegiis quoque indultis, & literis apoſtolicis prædictis, & aliis quibuſvis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores, &c. pro ſufficienter expreſſis habentes, derogamus, illaque quoad præmiſſa caſſamus, reuocamus, & annullamus. Cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentis noſtri Motus proprij etiam abſque illius data, & regiſtratura ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat, tam in iudicio quam extra, quacunque regula, ſeu conſtitutione apoſtolica contraria non obſtante. Volumus autem, quòd præſens noſter Motus proprius in Cancellaria noſtra apoſtolica, & acie campi Floræ de more publicetur & inter conſtitutiones perpetuas deſcribatur. Et quia difficile foret præſens ad ſingula quæq; loca deferri, volumus, & etiã declaramus, q; eius tranſumptis etim impreſſis, manu alicuius Notarij. ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius ꝓlati munitis, eadẽ prorſus fides adhibea

bearur, quæ præsenti Motui proprio adhiberetur, si foret exhibitus, vel ostensis.

Placet, Motu Proprio. M.

Lectus, & publicatus fuit supradictus Motus proprius Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis dominicæ, 1568. die vero Martis decima septima Augusti: Pontificatus Sanctissimi D. N. Pij Papæ V. Anno Tertio.

A. Lomellinus Custos.

Ordinatio, quod mandata, quæ in forma Significauit pro rerum subtractarum seu illas subtrahentium restitutione fiunt, ad eorum, quorum interest, duntaxat instantiam expediantur.

SAnctissimus in Christo pater, & Dominus noster, dominus Pius diuina prouidentia Papa V. Volens super expeditione mandatorum, quæ fiunt in forma Significauit, pro rerum subtractarum, aut deperdita tum restitutione, seu illarum, & illas subtrahentium reuelatione modum & formam statuere (manente in aliis reformatione officij Correctoris literarum cõtradictarum à Sanctitate sua edita) præsenti, quod perpetuo obseruari vult scripto ordinat, vt mandata pro restitutione, seu releuatione huiusmodi dentur (modo super illis supplicationes in præsentia suæ Sanctitatis signatæ fuerint) ad eorum duntaxat instantiam, quorum ciuiliter interest. Quæ supplicationes, rem ipsam, de qua agitur, resque valorem, nominatim, & specifice exprimant, nisi forte sint pro ecclesiis, locis piis, communitatibus, vniuersitatibus, Collegiis, aut vniuersalibus successoribus, quos verisimile est certã rerũ notitiã non habere, tunc etenim hac ipsa personarũ qualitate expressa, ita demũ ferri poterit quædã in genere designatio rerũ, si designatio neque nimis vaga, & incerta, atq; adeo inuerisimilis sit & tamẽ obstẽdat res ipsas (id quod peipue in omnibu, attẽ

dendum est) minime vulgares existere, Committantur autem Episcopo ordinario loci, vel eius Vicario in spiritualibus generali sub hac forma verborũ, quæ est ex Concilio Tridentino, videlicet, Si causa diligenter & magna maturitate per ipsum examinata pro rei, loci, temporis, & personæ qualitatibus sibi pro sua conscientia videbitur expedire. Decernens irritum, &c.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta regula Romæ, in Cancellaria apostolica Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingẽtesimo sexagesimoseptimo, Die vero Martis vigesimaseptima mẽsis Iunij, Pontificatus prælibati Sanctissi. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno Quinto.

A. Lomellinus Custos.

Reseruatio mensium apostolicorum, & alternatiua pro Episcopis residentibus.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, dominus Pius diuina prouidentia Papa V. Excurso pridem quinquennij tempore, quo Sanctitas sua, vt pauperibus Clericis, & aliis benemeritis prouideret, constitutionem suam omnium beneficiorum ecclesiasticorum in octo mensibus, & quo ad Episcopos, & alios superiores Prælatos, residentes in sex dũtaxat alternatis, tunc expressis extra Rom. Cur. alias quam per resignationem, prædicto durante tempore vacaturorum, reseruatorum ediderat. Rursus eadem causa omnia beneficia ecclesiastica, cum cura, & sine cura, secularia, & quorumvis ordinum regularia qualitercunque qualificata, & vbicunque existentia, in mensibus, Aprilis, Maij, Iulij, Augusti, Octobris, Nouembris, Ianuarij, & Februarij, vsque ad aliud quinquennium à die publicationis præsentis constitutionis computandum, extra dictam curiam, alias quam per resignationem quoquo modo vacatura, ad colla

collationem, prouisionē, præsentationem, electionē, & quāuis aliam dispositionem, quorūcunq; collatorū, & collatricū, sæcularium & regularium (non tamē S.R.E. Cardinalium) aut aliorum sub concordatis, inter Sedē apostolicā & quoscunq; alios initis, & per eos, qui ea acceptare, & obseruare debuerunt, acceptatis, & obseruatis, quę lędere non intendit, comprehensorum quomodo libet pertinentia, dispositioni suæ generaliter reseruauit. Volens in supplicationibus, seu confessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam Motu proprio fient, de mēse in quo vacauerint dispositiue mentionē fieri, alioquin gratias nullas esse, Ac priuilegia, & indulta disponendi de huiusmodi beneficiis, aut quod illa sub huiusmodi reseruationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusuis derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnō irritātibus & aliis decretis, quibusuis personis, & Collegiis cuiuscunque dignitatis, status, ordinis, & conditionis existentibus quomodolibet concessa, aduersus reuocationem huiusmodi minime suffragari. Insuper sanctitas ipsa ad gratificandum supradictis Prælatis denuo intenta, omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis apud ecclesias aut diœ. suas, iuxta Concilij Tridentini dispositionem residentibus duntaxat, de omnibus, & quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus, ad liberam ipsorum dispositionem, seu præsentationem, vel electionem pertinentibus, quæ inantea in mensibus Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, Decembris, & Februarij, extra curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni apostolicæ reseruata, vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, vt si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum, in aliis sex mensibus videlicet Martij, Maij, Iulij, Septembris, Nouembris, & Ianuarij vacaturorum, quæ etiam dispositioni suæ (vt prę fertur) renes

seruauit, sese intromiserint, aut quo minus prouisiones & gratiæ sanctitatis suæ, de illis debitum effectū consequantur, impedimentum quocunque modo præstiterint, seu qui à residentia prædicta nisi in casibus à dicto Concilio permissis, defecerint, vsu, & beneficio prædictæ facultatis, eo ipso priuati existant, & Collationes, & aliæ dispositiones de beneficiis illius prætextu deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero, qui, gratiam alternatiuæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem huiusmodi per patentes literas suo sigillo munitas, declarare, & literas ipsas, huc ad Datarium sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, tunc demum, & non antea vti incipiant gratia supradicta. Decernens in prædictis omnibus per quoscunque &c. Iudicari debere, ac irritum &c.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta & publicata fuit supradicta regula, Romæ, in Cancellaria apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo, Die verò Iouis prima mensis Martij Pontificatus præfati Sanctiss. D. N. Anno Sexto.

Io. Lomellinus Custos.

Bandodelli libri prohibiti.

LA Santità di N. S. Pio per la diuina prouidentia Papa Quinto, desiderosa, come sempre è stata circa l'estirpatione delle heresie, e per obuiare à quelle, che non si estendino, ne dilatino piu, e per prouedere che non si tenghino, vendino, ne impimino libri heretici, & prohibiti, acciò in modo alcuno non si leggano: Per tanto il molto Reuerendo P. F. Maestro Tomaso Manricquez de l'ordine di S. Dominico Maestro del sacro palatio, di espresso ordine, & cōmissione di sua Beatitudine, per il presente Bando prohibisse & commanda, che nissun Altigiano, obothegaro ardisca, ne presuma vendere, o tenere per vendere alcuna sorte de libri, di qualsiuoglia scientia, o qualità

si siano, se non quelli che de l'hanno per principal' arte. sotto pena, & a pena di perdere detti libri, & di scudi 500. d'oro d'applicarsi per S.P molto reuerenda ad vsi pij & altre pene corporali ad arbitrio di sua P. molto Reueren.& che tuti quelli, che n'hanno comprato da quindici giorni inqua, l'habbino a presentare a S P.molto Reuer.sotto la medesime pene.

Item, che nissun libraro, ne nissun'altra persona, di qualsiuoglia stato, o conditione aldisca, ne presuma vendere, ne donare, ouero imprestare alcuna sorte de libri prohibiti, di qualsiuoglia titolo, senza espressa licentia in scriptis di sua P. molto Reuer.sotto la medeme pene.

Item che nissũ Giudeo possa, ne debbia vendere, ne comprare libri di quasi uoglia sorte si siano, senza espressa licentia in scriptis di sua P.molto Reuer.

Item che nissun Doganiero, di qualsiuoglia Dogana di Roma, tanto di terra, comme d'acqua ardisca, ne presuma sotto le sodette pene espedire, ne relassare alcuna sorte di libri, che li peruenerãno in sore Dogane, senza espressa licentia in scriptis di sua P.molto Reueren.o del suo Vice regente.

Item che tutti librari, & qualsiuoglia altra persona, comme di sopra, che fanno venire di fuora libri, li facciano venire con inuentarij giusti, perche senza quelli inuentarij non si cauaranno di Dogana, & se li inuentarij non saranno giusti, perderanno tutti tali loro libri, quali haueranno fatto venire. Datum Romæ, in palatio Apostolico die xix. Ianuarij 1566.

Frater Tho. Manricquez Sacri palatij Magister.

Claudius de Valle Sanctæ Inquisitionis Not. de mandato. ss. Ioannes Vincenzo Trombetta ho fatto lo soprascritto bando per Roma, nelli lochi soliti, e consueti a dì 21. Glennaro. 1566.

Quod

Quod iudices capitolini possint in integrum restituere litigantes aduersus impedimentum sedis vacantis Pij 4.

PIVS PP. QVINTVS.

MOTV Proprio &c. Cupientes litium compendiis, litigatorumque dispendiis quantum possumus, salubriter consulere, scientes per obitum fe. rec. Pij 4. prædecessoris nostri, iustitium in Curia capitolij à die obitus præfati Pij, vsque in crastinum nostræ coronationis indictum fuisse, & durasse, Propterea quæ de lapsu, & cursu instantiarum, & fatalium quæstiones, & dubia exoriri posse Motu proprio &c. committimus, & mandamus Senatori, & Collateralibus, alliisque iudicibus dictæ Cu. tam ordinariis, quàm delegatis, & subdelegatis, vt in causis coram eis pendentibus indecisis, partes ipsas ad prosequendum causas huiusmodi ad tantundem temporis spatium, quantum suprascriptum durauit impedimentum eorum arbitrio in integrum restituant. Non obstant. præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, stylo Palatij, & curiæ prædictæ, statutisque, & nouis reformationibus Vrbis in contrarium quomolibet disponen. quibus, pro hac vice dumtaxat, & ad huiusmodi effectum, & non alias, derogamus &c. cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio, & extra, & quod copiæ impressæ subscriptæ manu alterius ex dictæ Curiæ Correctoris, in iudicio fides adhibeatur, cancellariæ regula contraria non obstan.

Placet. M.

Edictum publicum contra notarios non portantes ad notas Archiuium Ro. Cu.

ALexander Riarius I. V. D. Protonarius Apostolicus Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Ge-

neralis Auditor, Romanæque Curiæ iudex ordinarius, ac Archiuij Romanæ Curiæ Corrector, & defensor, tenore præsentis publici edicti ad instantiam Magnifici Domini Ioannis Baptistæ Bizzoni Cameræ Apostolicæ Procuratoris Fiscalis, & venerabilis Collegij Scriptorum Archiuij per nos concessi monemus omnes, & singulos Notarios Vrbis, & Romanæ Curiæ in eodem Archiuio descriptos, & matriculatos, necnon quascunque personas eorumdem notariorum defunctorum seu etiam à Romana Curia, absentium illorum notas, & scripturas retinentes, quatenus infra octo dies proximos, quos sibi pro peremptorio termino assignamus, sub excommunicationis, & falsitatis, ac periurij, & quingentorum ducatorum Cameræ Apostolicæ applicandis pœnis, debeant respectiue iuxta formam Bullæ erectionis dicti Collegij, & iuramenti in eorum creatione, & descriptione præstiti, omnes & singulas notas actorum, etiam iudicialium coram quibuscunque iudicibus apostolicis Commissariis in eadem Vrbe factorum, & habitorum, de quibus rogati fuerint, & defunctorum seu absentium detentas. (His duntaxat exceptis) quo ad notas instrumentorum prædictorum tantum, quæ inter ciues Romanos originarios à Romanis parentibus ortos rogatæ fuerint, non autem ex priuilegio ascitos, & quæ in Curiis vrbis, & eorum tribunalibus, vel Auditorio nostro, & Cameræ Apostolicæ per notarios perpetuos, qui etiam officiales Sedis Apostolicæ existunt in pertinentibus, & spectantibus, ad eorum officium, vel apud acta, & vigore causarum coram eis vertentibus, per se, vel eorum substitutos, per eorum tamen notarios principales, & eorum Auditores approbatos, quo ad causas, & iudicialia acta, & ab ipsis dependen. tantum, vel alias per originarios proprios in rebus, & negociis, & materiis, in quibus hactenus ratione sui officij vel alias rogari soliciti sunt, & consueuerunt, ad dictum Archiuium reportasse alias lapsis dictis octo diebus singulatiter: & in singulos eorundem, qui in præmissis culpabiles fuerint, vnica citatione præuia, ad declarationem dictarum sententiarum, & pœnarum, & illarum executionem, appellatione, remota, procedatur. Hanc autem nostræ monitionis cedulam valuis, seu portis Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ ad instar edictorum plublicorum, quæ olim in albo prætorio scribebantur, affigi iussimus, vt per eius inspectionem cunctis fiat manifestum, cum non sit verisimile apud ipsos monitos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus est publicatum, ac eosdem monitos affici, ac si personaliter eis forer monitorium huiusmodi intimatum. In cuius rei testimonium hanc nostram monitionem fieri, & per eundem dominum procuratorem fiscalem subscribi, nostrique sigilli iussimus impressione communiri. D. & Actum Romæ in domo habitationis, nostræ sub Anno à natiuitate Domini M. D. LXVI. Indictione nona, die verò xij. mensis Februarij, Pontificatus Sanctiss. domini nostri, domini Pij Papæ Quinti Anno Primo.

Alex. Riarius Aud. Cameræ, & Corrector. Alex. Magnus Defensor. Gaspar Reidetus Archiui Ro. Cu. scrip. & Cu. Causar. Cam. Apost. Not. subscripsit.

Io. B. Fiscalis.

Die quinta Martij 1566. presentes literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis suprascriptis, vt moris est per me Bart. Sottocasa Cursor.

Scipio de Octauianis Magister Cursor.

Constitutio S. D. N. P. diuina prouidentia Papæ. V. per dominos Medicos obseruanda.

PIVS P P.V. Ad perpetuã rei memoriã.

SVpra gregem Dominicum nostræ vigilantiæ diuinitus creditum vigilis speculatoris, prout nobis desuper conceditur, exercentes officium, ad ea, per quæ animarum saluti cum diuini nominis gloria

consuli valeat, libenter intendimus, vt Christi fideles post Baptismum in peccata lapsi, per sacramentum pœnitentiæ DEO reconcilientur. Sane, cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccatis proueniat, dicente Domino languido, quem sanauerat: Vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi cõtingat, ac propterea prouide feli. recor. Innocentius III. prædecessor noster Medicis præceperit, vt, cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, vt animarum Medicos vocent, ac cum eis hoc in extrema ægritudine constitutis suadetur, in desperationis articulum incidant. Nos igitur volentes hoc tam salutare præceptum nulla temporis præscriptione aboleri, sed semper obseruari, constitutionem præfatam auctoritate apostolica tenore præsentium innouamus, & hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus, & decernimus, quod omnes Medici cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, vt idoneo confessori omnia peccata sua iuxta ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die vlterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientiam oneramus, concesserit, & eis per fidem confessoris in scriptis factam constiterit, quòd infirmi, vt præmittitur, peccata sua confessi fuerint. Coniunctos vero, ac omnes familiares, & domesticos infirmi in Domino rogamus, & monemus, vt de infirmitate parochum certiorem faciant, ac tam parochus, quam coniuncti, & familiares præfati infirmum ad confessionem peccatorum suadeant, & inducant. Quòd si qui Medicorum præmissa non obseruauerint, vltra pœnas in dicta constitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuo sint in fames, & gradu medicinæ, quo infigniti erant, omnino priuentur, & à Collegio, seu vniuersitate Medicorum eiiciantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur. Et, vt hæc omnia inuiolabiliter obseruentur,

volu

volumus, & eadem auctoritate præcipimus, & mandamus, vt nullus posthac vbique locorum in Medicina Doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis collegio, & vniuersitate concedatur, nisi omnia in præsenti nostra constitutione cõtenta, medio eorum iuramento, coram Notario publico, & Testibus obseruare in eorum manibus, vel Ordinarij iurauerint, & de huiusmodi iuramento in priuilegio, seu licentia medendi specialis mentio fiat. Quòd si collegia, & vniuersitates præfatæ non recepto à promouendis iuramento huiusmodi, eosdem ad gradum prædictum promouerint, aut eisdem medendi licentiam præstiterint, pœnam priuationis facultatis alios vlterius doctorandi incurrant. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & diœcesibus propriis præsentes nostras literas publicari faciant, ac iuramentum prædictum à Medicis iam promotis, seu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in ciuitatibus, & diœcesibus prædictis admittant, nisi eis constiterit eosdem iuramentum huiusmodi præstitisse, & contumaces, & iurare, ac iuramentum huiusmodi iam præstitum exhibere recusantes, gradu medicinæ, & omnibus priuilegiis eisdem Medicis, tam coniunctim, quam diuisim eis, & eorum cuilibet concessis per quosuis etiam Romanos Pontifices priuent, ac ab ingressu Ecclesiæ arceant, donec resipuerint. Non obstantibus præmissis, Priuilegiis, indultis, literis Apostolicis, quibusuis personis collegio, & vniuersitati sub quibusuis verborum formis, & tenoribus concessis. Quæ omnia quo ad effectum validitatis constitutionis nostræ, tantum reuocamus, cassamus, & annullamus, & omnes Principes seculares, ac alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi eisdem in

remissionem peccatorum nihilominus iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis assistãt & suum fauorem, & auxilium præstent, ac contrafacientes pœnis etiam temporalibus afficiant. Volumus autem, quòd præsentes literæ in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur: Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, Volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiã impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die 8. Martij. M.D.LXVI. Pontificatus Nostri Anno primo.

Cæ. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Indictione nona, Die verò xj. mẽsis Martij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D.N.D. Pij Diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno primo retroscriptæ literæ seu breue, affixæ, & publicatæ fuerut in valuis Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ per me Camillum Cherubinum Apostolicum Cursorem.

Scipio de Octauianis Magister Cursorum.

Iubileum pro vnione Christi fidelium, & defensione Reipublicæ Christianæ contra infideles.

PIVS PAPA. V.

VNiuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionẽ. Cum grauissima, & asperrima tempora Populi Christiani, in quæ Pontificatus noster incidit, consideramus, perturbatur intimo dolore cor nostrum, & summo

mo mœrore conficitur, tum ex damnis, calamitatibusque præsentibus, tum ex magnitudine periculorum instantium. Nanque & in multis Prouinciis, propter hæreses introductas, non sine miserabili animarum pernicie Christiani populi vnitas, concordiaque dirempta est, &, dum reliquæ nationes catholicam fidem verbo quidem profitentur, factis autem, & moribus nequaquam tali professioni congruẽtibus Deum grauiter offendunt, aucta est mirum in modum impiorum hostium potentia, & adeo creuit, vt iam Christianæ reipublicæ salus in extremum discrimen adducta sit. Quotidie enim ad nos, & literæ, & nuncij afferũtur de classibus, de copiis, & pedestribus, de reliquis rebus ab bellorum & terrestrium, & maritimorum vsus necessariis, quas potentissimus, & immanissimus Turcarum Tyrãnus incredibili studio, diligentia, ac sumptu comparat, ad bellum terra, marique Christiano populo primo quoque tempore inferendum, & Christianorum non religionem modo, sed etiam nomen penitus, si posset, abolendum, atque delendum. Huic tantæ, tamque horribili, quæ impendet, tempestati occurrere, & pro commisso nobis officio pastorali, saluti populi Christiani consulere cupimus, pro qua etiam sanguinem, & vitam ipsam libentissime profundere parati essemus. Sed, vt propter iniquitates, & peccata iræ diuinæ merito extimescenda est vltio, ita, si populus Christianus sese ad Deum conuerterit, & pœnitentiam egerit, sperandum est Deum, vt est benignus, & misericors, & præstabilis super malitia, nec vult peccatorum mortem, sed vt conuertantur, & viuant, quique ipse nos inuitat, dicens: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, suis fidelibus auxilio futurum, nec passurum hæreditatem suam ab infidelibus occupari. Etsi enim vires hostium maximæ sunt, tamen maior est, qui in nobis est, quam qui contra nos, potensque est Dominus, tam in paucis saluare quam in multis. Quo circa ex parte omnipotentis Dei, & per viscera mi-

sericordiæ illius, omnes, & singulos vtriusque sexus Christifideles hortamur, & monemus, vt hoc acceptabili tempore ad Dominum, & Redemptorem nostrum humili corde conuersi, conscientiam suam diligenti studeant examinatione discutere, & orationibus, atque eleemosynarum erogationibus vacare, iuxta ipsorum conscientiam, siue sacerdotum, quibus peccata sua confiteantur, salutare consilium. Vt vero eò libentius faciant dignos pœnitentiæ fructus, quò talium operum maiorem sunt fructum, & præmium percepturi, nos de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum eius Apostolorum Petri, ac Pauli auctoritate confisi, & pro illa, quam nobis, licet insufficientibus meritis, Deus dedit ligandi, ac soluendi, & thesauros Ecclesiæ aperiendi potestate, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, qui hoc quadragesimalis ieiunij tempore, postquam harum literarum notitiam habuerint, in sequentis hebdomadæ quarta, & sexta feria, ac sabbato, pro defensione Reipublicæ Christianæ contra hostes, & prountione Christifidelium pias ad Deum preces effuderint, ac pro suæ deuotionis affectu eleemosynas erogauerint, sacrámque Eucharistiam postea die Dominico deuotè susceperint. Post diem verò sacratissimum Resurrectionis dominicæ, si prius harum literarum notitiam non habuerint, & post ipsas literas promulgatas, in sequentis hebdomadæ quarta itidem, & sexta feria, ac sabbato ieiunauerint, & orando, vt præfertur, sacram communionem die dominico proximo perceperint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, quæ Christifidelibus Ecclesias almæ Vrbis, & extra Vrbem ad id deputatas anno Iubilei visitantibus concessa est, misericorditer in Domino elargimur. Dantes eis potestatem eligendi, quem voluerint, confessorem cuiusuis ordinis regularem, siue sæcularem presbyterorum, qui, confessione eorum audita, ipsos à quibusuis peccatis, quamuis grauibus, & enormibus, etiam Sedi

Sedi Apostolicæ reseruatis, & in Bulla, quæ in die cœnæ Domini legi consueuit, contentis, & à censuris, in quas inciderint, iniuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, absoluere, & quæuis vota ab eis emissa (votis duntaxat castitatis, & religionis exceptis) in alia pietatis opera commutare possit. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Cupientes autem has literas primo quoque tempore in omnium notitiam perferri, mandamus vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis, vt cum primum poterunt, eas promulgent ipsi in ciuitatibus suis, & à suffraganeis suis promulgandas curent. Ipsis verò Episcopis, vt statim ipsi quoque per parochos suæ cuiusque eorum ciuitatis, atque diœcesis eas faciant publicari. Id verò quo facilius fieri possit, transumptis ipsarum literarum manu alicuius publici notarij scriptis, subscriptisve, vel in hac alma Vrbe, aut alibi impressis, & sigillo, ac subscriptione munitis personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ fidem sine vlla dubitatione haberi volumus, atque decernimus, præsentibus post primam vicem minime valituris. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annullo Piscatoris, die. 9 Martij. M. D. LXVI. Pontificatus nostri anno primo.

Ant. Florebellus Lauellinus.

Reuocatio licentiarum, ac facultatum celebrandi Missas vespertino tempore.

SAnctissimus in Christo Pater, & dominus noster dominus Pius diuina prouidentia Papa V. ad cuius notitiam peruenit, quòd nonnulli cathedralium etiã forsan Metropolitanarum, Collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, Conuentuum domorum, & aliorum piorum locorum sæcularium, & di

& diuersorum ordinum, ac militiarum regularium Prælati, Capitula, Clerici, Fratres, aliíque superiores & personæ antiquum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritũ in statutis missarum celebrandarum temporibus peruertere saragentes, diuersas licentias, & facultates missas, quæ media nocte, & seu in aurora Natiuitatis ac de mane Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & forsan aliarum festiuitatum iuxta prædictum ritum celebrari consueuerant, de sero etiam forsan circa Solis occasum vigiliæ festiuitatum earundem in suis Ecclesiis, & Capellis celebrandi, seu celebrari faciendi ab Apostolica Sede, vel eius legatis, ac etiã maiori Pœnitentiario pro tempore existente variis prætextibus impetrauerunt, illisque iampridem vtuntur, hoc ab antiquo catholicæ Ecclesiæ instituto sanctorumque Patrum decretis deuiare considerãs, ac propterea hunc abusum ab ecclesia Dei sub mouere volens, omnes, ac singulas, licentias, & facultates huiusmodi hactenus etiã Motu proprio, vel quorumvis etiam Imperatorum, Regum, & aliorũ principum contemplatione, & ex quibusuis causis quomodolibet concessas, ac Apostolicas, & alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habens, apostolica auctoritate, ex certa scientia reuocauit, ac omnino cassauit, & annullauit hac præsenti perpetuo valitura constitutione quibusvis Prelatis, Capitulis, Clericis Fratribus, aliisque superioribus, & personis eorumdem Ecclesiarũ Monasteriorum, Cõuentuum, domorum, & aliorum piorum locorum in virtute sanctæ obediẽtiæ, & sub indignationis suæ, ac perpetuæ suspensionis à diuinis pœna districtius inhibens, ne deinceps Missas vespertino tempore hominilicentiarum, & facultatum hõi, aut alio quouis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumant, ac mandans locorum Ordinariis, vt eandem præsentem constitutionem sub prędictis, & aliis sibi beneuisis pœnis per quoscunque Prælatos, capitula, clericos, fratres, superiores, & personas

sonas huiusmodi inuiolabiliter obseruari faciant, cõtradictores quoslibet auctoritate apostolica compescendo. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, conuentuum, domorum, & aliorum locorum prædictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eisdem Ecclesiis, monasteriis, domibus, & locis, illorũque capitulis, conuentibus, superioribus, & personis, ac ordinibus sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritãtibus, & aliis decretis, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum principum instantiam, aut eorum contemplatione, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet, concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus ipsa Sanctitas sua illorum tenores pro expressis habens, specialiter, & expresse derogauit, illáque, quoad præmissa, cassauit penitus, & annullauit, cæterisque contrariis quibuscunque decernens præsentes, earumque copias per aliquem ex suis Curforibus in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Lateranen. ac Cancellariæ Apostolicæ valuis affixas, omnes, cum primum earum notitiã habuerint, perinde afficere, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Placet, & ita mandamus. M.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingentesimo sexagesimo sexto, Indictione nona, die vero xxviij. mensis Martij Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidẽtia Papa quinti Anno primo suprascriptæ literæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerũt in locis suprascriptis vt moris est per me Bernardinum Andreultium apostolicũ Cursorem.

Scipio de Octauianis Magister Curs.

Bul

Bulla S.D.N.D.Pij PP.V. Prohibitioni, Blasphemiæ, Sodomiæ, Simoniæ, Concubinariatus, ac contra deambulantes per Ecclesias, pauperes per eas mendicantes, ac alios in eis illicita facientes. necnon de tollendis ex eis capsis, & depositis mortuorum, de non laborando in diebus Festiuis, ac circa plurima alia Dei honorem, & diuinum cultum concernentia.

Pius Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CVm primum apostolatus officium diuina nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam, & cogitationem nostram in Dominici gregis fidei nostræ crediti salute defiximus, & Christi fideles, Deo iuuante, ita dirigere statuimus, vt à vitiis, & peccatis abstinentes, iter, quod ad vitam æternam ducit, insistant. Cum autem ad omnia, quæ diuinã maiestatem aliquo modo possent offendere amouenda mentis nostræ aciem intenderimus, ea primum, & sine mora emendare decreuimus, quæ Deo præter cetera displicere, & iram eius prouocare cum diuinæ docent scripturæ, tum grauissima exẽpla declarant: nẽpe diuini cultus neglectum, simoniæ labẽ, blasphemiæ crimẽ, & libidinis naturæ contrariæ vitium execrandum, propter quæ populi, & nationes bellorum, famis, & pestilentiæ calamitatibus iusta Dei vltione sæpe plectuntur. Etsi autẽ cõtra eos, qui tam grauia crimina admiserint, multa prædecessoribus nostris constitutiones editæ fuerunt: tamen quia parũ est leges edere, nisi sint, qui eas debitis temporibus exequantur: Ideirco, ne forsan ex tolerantia sperare impunitatem audeant, scientes pleroſque pœnarũ grauitate magis quã Dei timore arceri solere à voluntate peccandi, omnes, & singulas sententias, censuras, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, & apostolica auctoritate innouamus, nec de earum rigore, quicquã relaxamus, admonemus

musque eos, qui talia perpetrare veritinon fuerint, non solum subituros eas pœnas, quæ sacris sunt Canonibus constitutæ, sed eas etiam, quas leges ciuiles comminantur, & nostri quoque arbitrij discretio pro personarum qualitate constituet. Mandantes ciuitatum, & locorum status nostri Ecclesiastici pro tempore Ordinariis, & Gubernatoribus, illis quidem sub pœna suspensionis à diuinis, his vero sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ, vt quos debitum Deo cultũ in Ecclesiis nõ tribuere, aliisq; nefandis criminibus pollutos esse cõpererint, cõprehẽdi curẽt pœnis afficiendo cõpetentibus. Sciturisetiã ipsis Iudicibus, q̃, si post hanc nostrã constitutionem in castigandis huiusmodi delictis negligentes fuerint, Primũ qnidẽ Dei omnipotẽtis Iudicio obnoxij erũt, deinde nostrã quoq; incurrent indignationẽ. Vt autẽ pœnarum certitudo cũctis facilius innotescat, nõnullas hîc duximus exprimẽdas, aliis nihilominus cõtra huiusmodi criminũ reos à iure statutis in suo robore manentibus. Vt igitur Deo optimo maximo, gloriosæ Virgini, & sanctis oĩbus debitus honor deferatur, Gregorij 10. prędecessoris nostri cõstitutionẽ innouãtes, ac statuta in Tridẽtino Cõcilio obseruari volentes, statuimus, & ordinamus, vt ad Ecclesias sit humilis, & deuotus ingressus, quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, & omnes genibus flexis sanctissimũ sacramentũ adorent, ad nomen Iesu Christi Domini nostri cũ exhibitione reuerẽtię caput inclinẽt, nullus indictis Ecclesiis seditionẽ faciat, tumultũ exciret, clamores moueat, impetumve cõmittat, cessẽt vana, fœda, & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus oẽs iudiciorũ, & alia quęcunq;, quę diuinũ officiũ perturbare possunt. Nullus intra Ecclesias deãbulare audeat, siue pręsumat, dum celebrantur sacra missarũ mysteria, & alia diuina officia. Qui vero prędicta petulanti animo contempserint, præter diuinæ vltiõis acrimoniã, nostri quoq; arbitrij pœnas incurrẽt, q̃ oĩa locorũ quoq; ordinarij in suis Ecclesiis facient

plenam, ciẽt obseruari. Quicunque vero in Ecclesiis, dũ ibi sacrificiũ Missæ, & diuina celebrantur officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad sanctissimũ sacramentũ irreuerenter sedere, aut aliquid, quod scãdalũ generet, aut diuina perturbet officia, facere præsumpserit, pœnã viginti quinque ducatorũ incurrat, præter alias arbitrio nostro imponendas, & moderandas pœnas, & qui nõ habebit in ære, luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui vero in Ecclesiis cum mulieribus impudicis, siue etiam honestis colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in Ecclesijs, vt supra, obscenis, & inhonestis verbis, aut signis vsus fuerit, aut alia fœda colloquia cũ personis quibuscunque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut alias corporaliter puniatur. Mãdamus præterea omnibus, & singulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacristis, Ostiariis, & aliis ipsarum Custodibus, quatenus præfatos omnes in Ecclesiis delinquentes admoneant, & vt in eis vetita fieri non permittant, vel saltem ipsis Ordinariis, vel officialibus nostris puniendos deferant, quod si facere neglexerint pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent. Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore missarum, prędicationum, aliorumque diuinorum officiorum ire non sinant, sed eos ad valuas Ecclesiarum stare faciant, sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos eiici curauerint, & Parochis dimidij aurei, Religiosis etiam Claustralibus, siue regularibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt in ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales eiiciat, & si negligentes fuerint, grauissime ab Ordinario corripiantur: quòd si illi parere recusauerint, grauissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro

nostro, siue superiorũ suorum. Et, vt in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem prouideant, vt capsæ omnes, & depositæ, seu alia cadauerum conditoria super terram existentia omnino amoueantur, prout alias statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Cum vero dierum festorum obseruatio ad Dei cultum maxime pertineat, & in Lege diuina præcipiatur, Cupientes abusus prauos, qui ex eorum inobseruantia inualuerunt, omnino corrigere, & antiquorum canonum statuta renouantes, mandamus, vt omnes Dies dominici, & precipue in honorem Dei, beatæ Marię virginis, Sanctorum Apostolorum feriati cum omni veneratione obseruentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, diuinis officiis deuote intendant, ab omni illicito, & seruili opere abstineant, Mercatus non fiant, profanæ negotiationes & Iudiciorum strepitus conquiescant. Qui vero in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit: præter diuinam vltionem, & amissionem animalium, quibus ad vecturam vtetur, etiam graues pœnas incurret, arbitrio nostro, seu vicarij nostri in vrbe. In aliis autem locis arbitrio ordinariorum, vel aliorum magistratuum, ita vt præuentioni locus sit. Quibus omnibus districte præcipimus, vt hæc diligenter obseruari procurent, illas etiam festiuitates, quæ iuxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueuerunt, iuxta laudabilem consuetudinem debita cum reuerentia obseruari faciant, sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis, & moderandis. Et, vt Simoniacæ prauitatis labes prorsus aboleatur, Constitutiones antecessorum nostrorum contra Simoniachos editas & presertim Pauli II. inuiolabiliter obseruari mandamus, & delinquentes tam in sacrorum ordinum receptione, quam in beneficiorum assecutione, statutis etiam inferius pœnis nostra auctoritate affici volumus. Quicunque igitur detestabile crimen Simoniacæ prauitatis commisisse conuictus fuerit in consec

quendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Ecclesiasticas simoniace acquisiuerit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascunque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticũ simoniace adeptus fuerit, illis similiter sit ipso iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perciperit, restitutionem teneatur, & perpetuo sit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commisisse conuictus fuerit, præter supradictas pœnas etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis degradatus, a fidelium consortio eiiciatur. Qui verò ordines & beneficia simoniace contulerint, pœnis à iure statutis puniantur, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis, etiam si Episcopi, Archiepiscopi, vel maiores fuerint. Caueat præterea quicunque, ne in sacramentorum exhibitione Simoniacum aliquid faciant, Alioquin grauissime puniantur per locorũ ordinarios, qui huiusmodi criminis reos cum maxima seueritate coercere procurent, iuxta Concilij Tridentini statuta. Ad abolendum verò nefarium, & execrabile blasphemię scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & Imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem propter nimiam Iudicum in puniendo segniciem, vel potius desuetudinem, supra modum inualuit, Leonis. X. prædecessoris nostri in nouissimo Lateranen. Concilo statuta innouantes, Decernimus vt, quicunque laicus Deũ & Dominũ nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, pro prima vice pœnam vigintiquinque ducatorum incurrat: pro secunda pœna duplicabitur: pro tertia autem centum ducatos soluet, & ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui verò plebeius fuerit, nec erit soluendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores

Eccle

Ecclesiæ constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per Vrbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicunque clericus in hoc blasphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus vnius anni omnium, & quorumcũque beneficiorum suorum: pro secunda, beneficiis ipsis priuetur: pro tertio omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quòd si clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verberaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Quirreliquos Sanctos blasphemauerit, pro qualitate blasphemiæ, atque personæ, arbitrio Iudicis puniatur. Si quis crimẽ nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentię, perpetrauerit, Curię sæculari puniendus tradatur. Et, si clericus fuerit, omnibus degradatus, simili pœnæ subiiciatur. Monemus præterea omnes locorum ordinarios, & in virtute sanctę obedientiæ eis præcipimus, vt statuta TRIDENTINI Concilij contra Concubinarios tam Clericos, quam laicos edita districte faciant obseruari, reddituri Deo ac nobis, si id omiserint, rationem. Et, vt præmissorum delictorum simoniæ, blasphemiæ, ac stupri nefandi notitia facilius habeatur. Volumus quòd in singulis casibus, non solum per accusationem, & inquisitionem, sed etiam ad simplicem, & secretam denuntiationem procedatur per quoscunque Iudices, alias tamen de iure competentes, tam ratione delicti, quam personarum, ita quòd inter eos locus sit preuentioni. Monemus præterea omnes, & singulos, vt solum Dei timorem præ oculis habentes, & non alia animi praua affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quòd si aliqui ex calumnia aliquos denunciasse comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus, & mandamus. Mulctæ autem pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus locis pijs arbitrio nostro in Vrbe,

Universidad de Deusto
Biblioteca

extra vero, ordinariorum, pro tertia accusatori, qui delinquentes detulerit. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus S. R. E. feudatariis, sub pœna priuationis feudorum, quæ ab ipsa Ecclesia Romana obtinent, reliquos vero Principes Christianos, & Terrarum Dominos hortamur in domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore, præmissa omnia in suis dominiis, ac Terris exactissime seruari faciant, vberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi, Non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac exemptionibus, priuilegiis, indultis, facultatibus, & literis Apostolicis, quibusuis Capitulis, Conuentibus, Militiis, ordinibus, & personis cuiuscunque qualitatis, & conditionis existentibus, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiã derogatoriarum derogatorijs alijsque efficacioribus, & in solitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habẽtes, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, statuti, decreti, ordinationis, præcepti monitionis, voluntatis, & derogationis infrigere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud

apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1566 Kal. April. Pontificatus nostri anno primo. Antonius Florebellus Lauellinus. Visa de Curia Io. Riuctius.

H. Cumin.

Bulla S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Super confirmatione, ac reualidatione Bullæ olim à Sanctæ me. Paulo Papa iiij. contra Iudæos edita.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex Christi Vicarius in terris non nunquam ea, quæ pro zelo religionis à cæteris Romanis Pontificibus prædecessoribus suis concessa dicuntur, vt illibata persistant, approbat, & confirmat prout in domino conspicit salubriter expedire. Dudũ felicis recordationis Paulus Papa iiij. prædecessor, zelo fidei Christianę motus, certum modum viuendi, & habitandi Iudæis præscripserit, prout in quadam eius constitutione, cuius tenor sequitur, & est talis videlicet. Paulus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cum nimis absurdum, & inconueniens existat, vt Iudæi, quos propria culpa perpetuæ seruituti submisit, sub prætextu, quod pietas Christiana illos recepret, & eorum cohabitationẽ sustineat, Christianis adeo sint ingrati, vt eis pro gratia contumeliam reddant: & in eos pro seruitute, quã illis debent dominatum vẽdicare procurent, Nos, ad quorum notitiam nuper deuenit, eosdem Iudæos in alma Vrbe nostra, & nonnullis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ciuitatibus, terris, & locis in id insolentiæ prorupisse, vt nõ solum mixtim cum Christianis, & prope eorũ Ecclesias nulla intercedẽte habitus distinctione cohabitare, verũ etiã domos in nobilioribus ciuitatũ, terratũ, & locorum, quibus degũt, vicis, & plateis con

ducere: & bona stabilia comparare, & possidere, ac nutrices, & ancillas, aliosque seruientes Christianos mercenarios habere, & diuersa alia in ignominiam, & contemptum Christiani nominis perpetrare præsumant, considerantes Ecclesiam Romanam eosdem Iudæos tolerare in testimonium veræ fidei Christianæ, & ad hoc, vt ipsi Sedis Apostolicæ pietate, & benignitate allecti, errores suos tandem recognoscant, & ad verum Catholicæ fidei lumen peruenire satagant, & propterea conuenire, vt, quandiu in eorum erroribus persistunt, effectu operis recognoscant se seruos, Christianos verò liberos per Iesum Christum Deũ, & dominũ nostrũ effectos fuisse, iniquumque existere, vt filij liberæ filiis famulentur ancillæ, volentes in præmissis, quantum cum Deo possumus salubriter prouidere, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, Quod de cetero perpetuis futuris temporibus, tam in dicta Vrbe, quam in quibusuis aliis ipsius Romañ. Ecclesiæ ciuitatibus, terris, & locis Iudæi omnes in vno, & eodem, ac si ille capax non fuerit in duobus, aut tribus, vel tot, quot satis sint, contiguis, & ab habitationibus Christianorum penitus seiunctis per nos in Vrbe, & per Magistratus nostros in aliis ciuitatibus, terris, & locis prædictis designandis vicis, ad quos vnicus tantum ingressus pateat, & quibus solum vnicus exitus detur, omnino habitent: Et in singulis ciuitatibus, terris, & locis, in quibus habitauerint, vnicam tantum Synagogam in loco solito habeant, nec aliam de nouo construere, aut bona immobilia possidere possint. Quinimo omnes eorum Synagogas præter vnam tantum demoliri, & deuastare, ac bona immobilia, quæ ad præsens possident infra tempus eis per ipsos Magistratus præfigendum Christianis vendere. Et ad hoc, vt pro Iudæis vbique dignoscantur, masculi biretum, Fœminæ vero aliud signum patens, ita vt nullo modo celari, aut abscondi possit glauci coloris palam deferre teneantur, & astricti sint, nec super non

non delatione Bireti, aut alterius signi huiusmodi prætextu cuiusuis eorum gradus, vel præeminentiæ, seu tolerantiæ excusari, aut per eiusdem Ecclesiæ Camerarium, vel Cameræ Apostolicæ clericos, seu alias illi præsidentes personas, aut Sedis Apostolicæ Legatos, vel eorum vicelegatos quouismodo dispensari, aut absolui possint, Nutrices quoque, seu Ancillas, aut alios vtriusque sexus seruientes Christianos habere, vel eorum infantes per mulieres Christianas lactari, aut nutriri facere, seu Dominicis, vel aliis de præcepto Ecclesiæ Festis diebus in publico laborare, aut laborari facere, seu Christianos quoquomodo grauare, aut contractus fictos, vel simulatos celebrare, seu cum ipsis Christianis ludere, aut comedere, vel familiaritatem, seu conuersationem habere nullatenus præsumant. Nec in libris rationum, & computorum, quæ cum Christianis pro tempore habebunt, aliis quam latinis literis, & alio quam vulgari Italico sermone vti possint, & si vtantur, libri huiusmodi contra Christianos nullam fidem faciant. Iudæi quoque præfati sola arte Strazzariæ, seu cenciariæ, vt vulgo dicitur, contenti, aliquam Mercaturam frumenti, vel ordei, aut aliarum rerum vsui humano necessariarum facere, Et qui ex eis Medici fuerint etiam vocati, & rogati ad curam Christianorum accedere, aut illi interesse nequeant, nec se à pauperibus Christianis dominos vocari patiantur. Et menses in eorum rationibus, & computis ex triginta diebus completis, omnino conficiant, & dies, qui ad numerum triginta non ascenderint non pro Mensibus integris, sed solum pro tot diebus, quot in effectu fuerint, computentur, & iuxta ipsorum dierum numerum, & non ad rationem integri mensis eorum credita exigant, ac pignora eis pro cautione pecuniarum suarum pro tempore consignata nisi transactis prius à die, quo illa eis data fuerint decem, & octo integris mensibus vendere nequeant, & postquam menses prædicti effluxerint, si ipsi Iudæi pignora huiusmodi

vendiderint, omnem pecuniam, quæ eorum credito superfuerint, domino pignorum consignare. Et statuta ciuitatum, terrarum, & locorum, in quibus pro tempore habitauerint, fauorem Christianorum concernentia inuiolabiliter obseruare etiam teneantur, & si circa præmissa in aliquo quomodolibet defecerint, iuxta qualitatem delicti in Vrbe per nos, seu Vicarium nostrum, aut alios à nobis deputandos, ac in ciuitatibus, terris, & locis prædictis per eosdem Magistratus, etiam tanquam rebelles, & criminis læsæ Maiestatis rei, ac à toto populo Christiano diffidati nostri, & ipsorum Vicarij, ac deputandorum, & Magistratuum arbitrio puniri possint. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis tolerantiis, seu priuilegiis, & indultis Apostolicis, eisdem Iudæis per quoscunque Romañ. Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, aut illius Legatos, vel ipsius Romañ. Ecclesiæ Camerarios, & Cameræ Apostolicæ Clericos, seu alios illi Præsidentes sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ne non irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio, habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæteris quecunque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis & dero

& derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, Pridie Idus Iulij Pontificatus nostri anno primo. Nos igitur cupientes, vt constitutio, statuta, & ordinationes huiusmodi perpetuis futuris temporibus obseruentur, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, & non ad alicuius alterius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra deliberatione, constitutionem, statuta, & ordinationes huiusmodi, & prout illa concernunt omnia, & singula in dicti prædecessoris literis contenta, & inde secuta quæcunque auctoritate Apostolica præsentium tenore approbamus, innouamus, & confirmamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus, ac volumus, & sub interminatione diuini iudicij præcipimus, & mandamus ea omnia in posterum obseruari firmiter, non solum in Terris, & Dominiis nobis subiectis, sed etiam vbique locorum, Et ad omnem circa colorem Bireti per masculos, & signi per fœminas deferendorum huiusmodi submouendam hæsitationem declaramus dictum colorem esse, qui vulgo gialdo dicitur. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in ciuitatibus, & Diœc. propriis præsentes nostras literas publicari, & obseruari faciãt. Et oẽs Principes sæculares, & alios Dños, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi, eisdem in remissionẽ peccatorũ nihilominus iniungentes, quòd in præmissis omnibus eisdẽ Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis assistant, & suum fauorem, & auxilium præstent, ac contrafacientes pœnis, etiam temporalibus afficiant. Non obstantibus om-

nibus quæ idē Paulus prædeceſſor in ſupradictis literis voluit non obſtare, Priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis per recolendæ memoriæ Pium iiij. Romañ. Pontificem prædeceſſorem noſtrum, & Sedem Apoſtolicam, etiam forſan Conſiſtorialiter, ac per viam generalis legis, & ſtatuti, ac in vim ſtipulati contractus, ex quauis, etiam vrgentiſſima, & oneroſa cauſa, ac Motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibúſque, & aliis decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, etiam ſi in eis diſponeretur, & caueretur expreſſe, quòd ad delationem bireti glauci coloris huiuſmodi in itinere, ac quod non, vt præmittitur, in loco clauſo habitare tenerentur, & quod bona ſtabilia vſque ad certam ſummam acquirere, ac ſocietatem cum Chriſtianis ſuper rebus ad annonam ſpectantibus inire, ac conuerſationem cum eiſdem Chriſtifidelibus habere, ac pignora alias quam præſcripto modo diſtrahere, ac plures Synagogas retinere poſſent, indulſerit, aut alias quomodolibet eis dictas literas Pauli prædeceſſoris in fauorem Hebræorum prædictorum limitauerit. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia exquiſita forma ſeruanda foret, & in eis caueatur quòd nullatenus derogari poſſit illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, necnon modos, & formas ad id ſeruandas pro indiuiduo ſeruatis habentes harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus. Et literas eiuſdē Pauli prædeceſſoris, & oĩa in eis cõtenta obſeruari in omnibus, & per omnia mandamus, perinde ac ſi literæ Pij ſimiliter prædeceſſoris noſtri non emanaſſent, aut ſi aliqui

quibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hõmini mentionem. Volumus autem, quòd præſentes literæ in Cancellaria, & acie campi Floræ publicentur, & inter Conſtitutiones extrauagantes perpetuo valituras conſcribantur. Et, quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quòd earum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides vbicunque adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, innouationis, confirmationis, decreti, præcepti, mandati, requiſitionis, obſecrationis, iniunctionis, derogationis declarationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ Apud ſanctũ Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1566. xiij. Kal. Maij. Pont. noſtri anno primo.

Cæ. Glorierius. Viſa de Curia Io. Riuerius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione nona, die vero prima menſis Maij pontificatus Sanctiſſi. in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno primo Retroſcriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis retroſcriptis per nos Scipionem de Octauianis & Io. Andream Panizzam Apoſtolicos Curſores.

Camillus Cherubinus Magiſt. Curſ.

Bulla

Bullæ S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. super clausura, & reformatione quarumcunque Monialium.

Pius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

CIrca pastoralis officij nobis, meritis licet impari-bus, desuper commissi curam (quantum nobis ex alto permittitur) inuigilantes, assidue ad ea, per quæ singulis erroribus, & excessibus obuiatur, ac personis quibuslibet, præsertim fœmineis sexus virginitatem suam altissimo vouentibus sub Religionis iugo Christo Saluatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, à semita iustitiæ, & honestatis declinationibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruũ, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, & diuinam merito possit offendere Maiestatem, opportune succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantiæ partes propensius impartimur, prout id in domino salubriter expedire cõspicimus. Hac igitur perpetuo valitura Constitutione, inhærentes etiam Constitutioni fel. rec. Bonifacij Papæ viij. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, & decretis Concilij Tridentini super clausura Monialium editis, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuo decernimus, vniuersos & singulas Moniales præsentes, atque futuras cuiuscunque Religionis, Ordinis, vel Militiarum, etiam Hierosolymitan. sint, quæ vel iam receptæ sint, vel in posterũ in quibusvis Monasteriis, siue domibus recipientur, & tacite, vel expresse Religionem professæ, etiam si Conuersæ, aut quocunque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis, vel fundationibus earum Regulæ ad clausuram non teneantur, nec vnquam in earũ Monasteriis, seu domibus etiam ab immemorabili tempore ea seruata non fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis, seu domibus de cætero debere permanere

nere clausura iuxta formam dictæ Cõstitutionis fel. rec. Bonifacij Papæ viij. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, in sacro Concilio Tridentin. approbatæ, & innouatæ, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam districte obseruari mãdamus. Quòd si aliquæ Moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarij vna cum superioribus earum omnibus iuris, & facti remediis compellant easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcise subeundum dictam clausuram, & perpetuo obseruandum. Mulieres quoque, quæ Tertiariç, seu de pœnitentia dicuntur, cuiuscunque fuerint ordinis in congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne votũ emiserint ad clausuram præcise, vt præmittitur, & ipsæ teneantur. Quòd si votum solemne nõ emiserint, Ordinarij vna cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittãt, & profiteãtur, ac post emissionem, & professionem eidem clausuræ se subiiciant, quòd si recusauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint scandalose viuere, seueriſſime puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omnino volentibus interdicimus, & perpetuo prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum ordinem, Religionem, Congregationem vel recipiant. Quòd si cõtra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarũ quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas, prout etiam præsenti decreto irritas facimus, & annullamus. Porrò ne Moniales, vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aũt incõmodum aliquod in earum necessitatibus maxime impertinentibus ad illarum victum patiantur, sed vt

eis

eis opportune consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinariis, & superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per Conuersas, quæ non sint professæ, vel si professæ fuerint, sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monasterium degant, & nō ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum Constitutionibus permissis, & de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij, vel earum Superiorum. Et de cetero nullæ aliæ Conuersæ professæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum vel prælatorum possint. Quòd si aduersus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit prout ex nunc nullam irritam facimus, & annullamus. Quòd si prædicto modo necessitatibus Monialium, & Mulierum Tertiarum prædictarum succurri sufficienter nō poterit, mandamus ipsis Ordinariis, & Superioribus earū, vt ipsi prouideant de aliis personis piis, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemosynas colligant, vel alias eo meliori & commodiori modo, quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum Monialium, & Mulierum prædictarum arbitrio Ordinariorum, & Superiorum earundem, & prout eis congruētius expedire videbitur, prouideatur, & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes etiā similiter dispositioni dictæ Cōstitutionis Bonifacij, & Concilij Tridentini decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis districte inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum monasteriis recipiant, & admittant, siue recipi, & admitti permittant, quam ex propriis reditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint. Mandantes propterea in virtute sanctę obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, & interdi-

mi

natione maledictionis æternæ vniuersis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & diœc. propriis præsentes nostras literas publicari faciant, ac in monasteriis monialium sibi ordinario iure subiectis, in his vero, quę ad Roman. mediate, vel immediate spectant Ecclesiam, Sedis apostolicæ auctoritate vna cum Superioribus eorundem monasteriorū clausuram, vt præmittitur, quam primum poterint seruari procurent. Contradictores, atque rebelles per cēsuram ecclesiasticam, appellatione postposita, cōpescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Ac, vt hoc tam salutare decretum facilius obseruetur, omnes principes seculares, & alios dominos, & magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorū iniungentes, quòd in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis monialium Superioribus assistant, ac suum fauorem, & auxilium præstent, ac impediētes pœnis etiam temporalibus afficiant. Præmissis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus etiam per sedem Apostolicam approbatis, & confirmatis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam in fundatione, & institutione eisdem monasteriis, vel domibus, & monialibus sub quibuscūque verborum formis, & clausulis irritatibus, & aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, nō aūt per clausulas generales idē importāte, mentio, seu quæuis alia expressio habēda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbū inferē tur, p sufficiēter expressis habentes, quo ad effectum

vali

validitatis nostræ cõstitutionis tantũ derogamus, cõtrariis quibuscunq;. Aut si aliquibus cõmuniter, vel diuisim ab eadẽ sit Sede indultũ, quod interdici, aut suspẽdi nõ possint per literas Apostolicas nõ faciẽtes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Per hoc autem in monasteriis exemptis ordinarij locorum quo ad alia nullam sibi credant iurisdictionem, vel potestatem aliquatenus eis attributam. Volumus autem, q̃ præsentes literæ ad valuas Basilicæ beati Pauli apostolorum principis, & in Cancellaria nostra, ac acie campi Floræ publicentur, & inter Constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur. Et, quia difficile foret præsentes ad singula quæcunque loca deferri, Volumus, & etiam declaramus, quòd earum transumptis etiam impressis manu alicuius notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, statuti, decreti, mandati, interdicti, prohibitionis, annullationis, præcepti, inhibitionis, requisitionis, obsecrationis, iniunctionis, derogationis, declarationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctũ Petrum, anno Incarnationis M.D.LXVI. quarto Kal. Iunij. Pontificatus nostri anno primo.

Visa de Curia Io. Riuetius. ſſ. Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo, ſexageſimo ſexto, indictione nona, die verò nona menſis Iunij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ Quinti anno primo. Retroſcriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicæ principis apoſtolorum

lorum Sancti Petri de vrbe, Cancellariæ apoſtolicæ, & in acie campi Floræ, dimiſſis copiis earundem in retroſcriptis locis affixis per nos Io. Guerardi, & Nicolaum de Matthæis Curſ.

Antonius Clerici Magiſter Curſorum.

Motus proprius S. D. N. Pij Papæ contra omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Patriarchas, & alias Eccleſiaſticas perſonas curam animarum habentes, non reſidentes.

Vt Illuſtriſs & Reuerendiſs. D. A. C. contra eos, vſque ad ſententiam excluſiue procedat, & deinde referat prælibato S. D. N. Papæ. Quo vero ad alios curam animarum habẽ. vſque ad ſentẽtiam incluſiue.

PIVS PP. QVINTVS.

MOtu proprio &c. Cum alias per fel. rec. Pium 4. prædeceſſorem noſtrum, iuxta formam Concilij Trid. & aliarum Bullarum emanatarum, tam ab ipſo Pio prædeceſſore noſtro, quam aliis Rom. Pont. Motu proprio, cuius tenores pro expreſſis haberi volumus, ex ipſius certa ſcientia, & de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine fuerit mandatum dilecto filio Alexandro Riario noſtro, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, vt omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarcas & alias Eccleſiaſticas perſonas curam animarum habentes non reſidẽtes pœnas in dicto Concilio, & Bullis contentas incurriſſe declaret, & ad illarum effectum executioni demandentur per eundem Alexandrum Auditorem noſtrũ, & vt ne de eius iuriſdictione in poſterũ dubitari contingat, Denuo eidem Auditori noſtro auctoritate noſtra committimus, & mandamus, quatenus ſtatim cã contra Epiſcopos, quã Archiepiſcopos, & alios quoſcunque prælatos, tam in Vrbe, quam alibi, & vbique locorum exiſtẽn. & in propriis diœc. nõ reſidẽn. conſtito ſibi quãtum ſufficere videbitur, ſummarie, ſimpliciter, & de pleno, ſola veritate inſpecta, & manu regia de inobedientia propria vſque ad ſententiam excluſiue procedat, & deinde nobis referat, vt nos in

Consistorio nostro secreto, de fratrum nostrorum consilio, vt moris est, ad sentẽtiam priuationis, & depositionis prelatorum inobedientiũ huiusmodi procedere valeamus, prout procedere intendimus, quo vero ad alios curam animarum habeñ. vsque ad sententiam inclusiue procedat, & exequatur iuxta formam, & tenorẽ dict. Cõcilij, & literarum nostrarum prefatarum, cum eisdem facultatibus, vt supra, & alia faciat, & exequatur, prout in dictis literis, siue Bullis continetur, cum potestate cirãdi, inhibendi, excommunicandi, suspendendi à diuinis, declarandi, interdicendi, aggrauandi, reaggrauandi, carcerãdi, & brachium seculare decernendi, relaxandi, & exequendi, aliaque faciendi necessaria quomodolibet, & opportuna, contrariis quibuscunque non obstantibus, Et quòd præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, ac vbique fidem faciat in iudicio, & extra, regula contraria, & aliis quibuscunque, quibus omnibus expresse derogamus, non obstantibus. Die decima Iunij. 1566.

Placet, Motu proprio. M.

Motus proprius S D.N.D. Pij Papæ V. Reformationis alterius Motus proprij fel. rec. Pij Papæ iiij super admissione appellationum causarum criminalium.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Cum (sicut accepimus) à dilecto filio Alexandro Riario Auditore nostro, & appellationum Iudice ordinario ex diuersis literis in forma Motus proprij, per fel. rec. Pium iiij. & alios Põtifices prędecessores nostros, & præsertim sub dat. Romæ apud S. Petrũ, xij. Kal. Iunij, anno sexto, quorum omnium tenores, hic volumus pro expressis haberi, emanato, de non admittendis appellationibus, neque decernendis inhibitionibus monitoriis, & citationibus in causis criminalibus, Fiscum nostrum quomodolibet concernentibus, in quibus reos contigerit condemnari, nisi prius facto actuali depositio, pœna

pœnarum, in quibus ex delicto delinquentes ipsi, aut illi, qui pro eisdem fideiussissent, vel ex contractu quo quomodo condemnandi venirent, aut eatenus condemnati fuissent, cõtingat quod alij, etiam optimum ius fouentes, interdum ob nimiam eorum paupertatem modum talia depositia faciendi non habentes, & sic secluso eis ob non factum depositum remedio appellationis, eorum bonum ius, quod prætendunt deducere in appellatione, remanet incognitum, & deperditum, & præsertim ad illos, qui non sunt confessi crimen: Nos igitur, more pij pastoris, præmissis omnibus obuiare volentes, ne appellationis remedium, eiusque prosequutio pauperibus tolli videatur: Motu simili, & ex certa nostra scientia, dictas literas mitigantes, & reformãtes, Tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus, ac perpetuo obseruari mandamus, quòd in similibus causis Fiscalibus, & aliis, de quibus in literis, & motu proprio huiusmodi fit mentio, omnes, & singulæ appellationes, ac quæcunque desuper pro tempore præsentatæ, ac præsentandæ commissiones, per dictum Alexandrum modernum, & pro tempore existentem Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditorem, tanquam iudicem talium appellationum, necnon per quemcunq; alium iudicem huiusmodi iurisdictionem habentem admittant, ac recipiant, & admitti, ac recipi libere, & licite possint, valeant, ac debeant, illarumque vigore quascunq; inhibitiones, citationes, seu monitoria decernen. & alia facien. in præmissis necessaria, eisdem Auditori nostro, & iudicibus præfatis, ad id iurisdictionem habentibus, auctoritatem damus, ac licentiam impartimur, præstita tamen prius cautione idonea per partem, seu partes appellantes non tamen confessos, in forma depositi, pro pœna, in qua condemnatus extitit, & seu respectiue de se constituendo in carcere, & ibidem remanendo in quacunque parte iudicij, & quatenus pars esset diues, facto prius actuali depositio, arbitrio iudicis

ad quem. Quo vero ad confessos: liceat iudici à quo, non obstantibus huiusmodi appellationibus & inhibitionibus, & absque aliquarum pœnarum incursu, ad vlteriorem exequutionem pro pœnæ huiusmodi consequutione procedere, & neque tam ipsi quam partes ad literarum, seu Motus proprij præfati observantiam, quo ad hæc, & illa quoquomodo cõcernentia, nisi iuxta præsentem limitationem, & moderationem, vllatenus teneantur, & itain præmissis omnibus, & singulis, per quoscunque iudices, etiam Cameræ Apostolicæ Camerarium, Præsidentẽ, Clericos, Thesaurarios, ac Procuratores Fiscales, & S. R. E. Cardinales &c. sublata &c. iudicari &c. deberi, irritũ &c. perpetuo decernimus. Non obstantibus præmissis, cæterisque contrariis quibuscũque. Volumus autem præsentis nostri Motus proprij solã signaturam sufficere, & fidem facere, in iudicio, & extra, regula contraria nõ obstante, etiam absque eo quòd per Cursores præsentetur.

Placet Motu proprio. M.

Motus proprius S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, per quem alius Motus proprius fel. rec. Pij quarti: sub Dat. Romæ &c. duodecimo Kal. Iunij, anno sexto, quo ad non admitten. appellationes neque decernen. inhibitiones &c. in causis criminalibus, moderatur: quo ad allegationem nouæ causæ in causis treguarum, & pacis fractarum, declaratur, quo ad spatiũ sex mensium, condemnatis in contumaciam ad sese expurgare præfixum ad annum prorogatur, quo vero ad præuentionem inter Iudicem Ecclesiasticum, & laicum, ad terminos iuris reducitur.

PIVS PP. QVINTVS.

MOtu proprio &c. Cum ob innumeras Rom. Põt. occupationes, ac particularium rerum quarumlibet status ignorantiam contingat ab eo quandoq; literas emanare, quæ in magnum aliquorum præiudicium

dicium redundare noscuntur, minime reprehendendum esse videtur, si tandem, prę iudicio cognito, literas huiusmodi, etiam si per eius prędecessorem emanauerint tanquam per inaduertentiam editas reuocat, & limitat, aliasq; desuper disponit, prout, rerum, & temporum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum si quidem fel. rec. Pius Papa iiij. prædecessor noster cupiens criminibus, & excessibus, qui in dies oriebãtur, prouidere, per quasdam suas in forma Motus proprij editas literas inter alia statuit, quòd in causis treguarum, & pacis fractarum ipsi fractores, vel eorum fideiussores allegare nõ possent, quòd offensa ex noua causa processisset, nec allegata cuiquam suffragaretur. Et etiam quod in causis mistis inter Iudicem Ecclesiasticum, & laicum locus sit præuentioni, ita tamen quòd iudex Ecclesiasticus in casu præuentionis non possit procedere contra laicum, sed illum debeat remittere ad iudicem laicum, & alias prout in eisdem literis plenius continetur. Nos considerantes à ratione, & iuris debito alienum esse eos, qui criminis innoxij fuerint, eorumque fideiussores, si treguæ, pax, seu fideiussiones de non offendendo postea ex noua emergente occasione, fractæ fuerint, earum occasione grauari debere, cum præcipue paces, treguę, seu fideiussiones huiusmodi de non offendendo non ad offensionem ex futuris causis, sed ex præteritis tantum oriantur, literas præfatas quo ad præmissa reuocantes, cassantes, & moderantes, effectumque suum sortiri in præmissis non posse decernentes, Motu simili &c. nouam causam in pacis, treguarum, seu fideiussionum huiusmodi fractione principales tantum videlicet qui fuerunt causæ pacis treguarum, seu fideiussionum de non offendendo huiusmodi factarum seu faciendarum præstitarum, seu præstandarum, si ipsi aliquo modo, seu aliquis eorum in dictis fractionibus interuenerint, seu interuenerit, videlicet si aliquis ex dictis principalibus aliquem ex

comprehensis in pace, tregua, seu fideiussione de non offendēdo offenderit, vel ipse ab aliquo ex ipsis comprehensis offendatur, non excusare. Si vero supradicti principales, seu aliquis eorum in fractione pacis, treguæ, seu fideiussionis huiusmodi, vt supra, non interuenerint, seu interuenerit, ipsos, eorumque consanguineos, & fideiussores, ceteróque in pace, tregua, seu fideiussione de non offendendo comprehensos, & quemlibet eorum nouam causam huiusmodi allegare posse, & ea probata, excusari debere, & quoquomodo grauari, perturbari, aut inquietari non posse, neque debere, idque tam in causis motis, & indecisis pendentibus, quam etiam finitis, & in quibus etiam pronunciatum fuit (dummodo sententiæ desuper latæ totaliter non sint executioni demandatæ) locum sibi vendicare posse, & debere declaramus. Cúmque etiam sæpe contingat partes ipsas, contra quas in contumaciam procedi consueuit vel ita negotiorum mole grauari, vel ita longe abesse, vt ipsorum contumaciam sex mensium spatio huiusmodi expurgare minime queant, terminum sex mensium huiusmodi ad annum prorogamus, ac contumacibus huiusmodi defensiones non nisi post anni elapsi terminum denegari debere, ac quascúnque aliter quam vt præmittitur ferendas sententias nullas, inanes, nulliusque roboris, & momenti fore, & esse, prout nos eas exnunc tanquam contra iuris debitum, & de facto latas annullamus, cassamus, & irritamus. Quo vero ad præuentionem inter iudicem ecclesiasticum, & laicum, declaramus illam habere locum in terminis, & statu, prout ante dictum Motum proprium erat, ac ipsum ad terminos iuris in hoc reducimus, & volumus vt in præuentionibus procedatur iuxta formam iuris, & sacrorum decretorum Concilij Tridentini, & non alias aliter, nec alio modo, sicque & non aliter per quoscunque iudices &c. etiam S. R. E. Cardinales, ac causarum Palatij apostolici Auditores sublata &c. iudicari debere, irritum quoque &c. auctoritate apostolica

stolica tenore præsentium statuimus, & decernimus. Et nihilominus pro potiori præmissorum, validitate, omnibus, & singulis iudicibus tam ordinariis, quam delegatis, & subdelegatis, ac eorum locatenentibus, & notariis sub excommunicationis maioris, ac indignationis nostræ, officiorúmque suorum priuationis pœnis, ne contra præmissa, aut illorum aliqua facere, & attentare præsumant, districtius inhibemus. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quarũcunque ciuitatum, prouinciarum, & locorum etiam iuramento, &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis vniuersitatibus, communitatibus, & hominibus prouinciarum, ciuitatum, & locorum prædictorum quomodolibet concessis, &c. Quibus omnibus &c. etiam si de illis &c. illorum tenores &c. hac vice latissime derogamus, cæteríque contrariis quibusqunque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio M.

ET de reuocatione, cassatione, declaratione, reductione, voluntate, prorogatione, annulatione, irritatione, statuto, & decreto, inhibitione, derogatione, & aliis præmissis, quæ hic pro simul, vel ad partem repetitis habeantur, latissime exten. Et quòd præmissorum omnium, & singulorum, & præsertim præsentibus contrariorum pro sufficienter expressis habeantur. Et quòd præsentis Motus proprij etiam absque data, & registratura sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio, & extra, regula cõtraria non obstante, eiusque transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Quódque Cameræ, & Cancellariæ apostolicis, ac audientiæ causarum Palatij apostolici valuis, & in acie campi Floræ dimissis ibi copiis affixis, post mensem

affixionis huiusmodi computandum, omnes ita afficiant, & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Fiat, M.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, indictione nona, die verò vigesima mensis Iunij, Pontificatus sanct. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno primo, supradictus Motus proprius affixus, & publicatus fuit ad valuas principis Apostolorum de Vrbe, Cameræ, ac Cancellariæ Apostolicarum, necnon in audientia literarum contradictarum, ac in acie campi Florę, dimissis inibi copiis affixis per me Ioannem Guerardi præfati S. D. N. Papæ Cursorem.

Ant. Clerici Magister Cursorum.

Exemptiones ab exactionibus, datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, &c. vtriusque sexus, Religiosis personis Ordinum Mendicantium concessæ per sanctiss. in Christo P. & D.N.D. Pium diuina prouidentia Papa V.

In nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

NOuerint vniuersi, & singuli hoc præsens publicum transumpti instrumentum inspecturi, visuri, lecturi, & audituri, quòd nos Alexander Riarius Protonotarius Apostolicus, Curiæ causarum Cameræ apost. generalis aud. Rom. Curiæ iudex ordinarius, vniuersarum quoque literarum apostolicarum executor à Sanctiss. D. N Papæ, sanctáque sede apost. specialiter deputatus, pro parte, & ad instan. Reuer. dominorum Magistri Eustachij Luchatelli Bon. procuratoris generalis ordinis prædicatorum S. Dominici, ac priorum, guardianorum fratrum, & eorum quarumcunque Ecclesiarum conuentuum, & monasteriorum, & aliorum quorumcunque monachorum, & monialium omnium ordinum mendicantium Almæ Vrbis,

Vrbis, ac totius orbis terrarum respectiue principalium citare fecimus, & mandauimus per edictum publicum, vt moris est, propter ferias generales nuper indictas ad instar edictorum publicorum, quæ olim in albo prætorio scribebantur, omnes & singulos sua communiter, vel diuisim interesse putantes ex aduerso principales, eorúmque procuratores, si qui erant in Ro. Curia pro eisdem ad dicen. & excipien. quicquid verbo, vel in scriptis contra infrascriptas literas Apostolicas libertatis, immunitatis, & exemptionis, ac aliorum, prout in eis in forma breuis sub annulo piscatoris expeditas, dicere, siue excipere volebant, necnon viden. iurare testes super recognitione, quatenus opus sit, videndúmque, & audiendum illas respectiue transumptari, & exemplari, ac in publicas transumpti formas redigi mandari, auctoritatémque, & decretum desuper interponi, vel dicendum, & causam si quam haberent rationabilem, quare præmissa fieri non deberent allegandum ad diē, ac horam infrascriptas. Quibus aduenientibus, comparuit in iudicio coram nobis Reuerendus dominus frater Thomas Gratianus Perusinus Ordinis præfati S. Dominici procurator substitutus à dicto domino Magistro Eustachio procuratore generali præfato, prout in actis nostri notarij infrascripti de substitutione præfata constat, dicto nomine procuratorio, necnon nomine, & vice omnium, & singulorum priorum, guardianorum, & fratrum, ac monialium, & aliorum quorumcunque superius specificatorum instan. principalium, & reproducta citatione præfata edicti publici per vnum ex S.D.N. Papæ Cursoribus, vt moris est, affixa, & publicata, citatorúmq; in eadem contentorum non comparentium contumaciam accusauit, ipsósque contumaces reputari, & in eorum contumaciam dictas infrascriptas literas apostolicas transumptari, & exemplari, ac in publicam transumpti formam redigi, mandari, auctoritatémque & decretum desuper interponi à nobis debita

cum instantia postulauit. Nos tunc Alexander auditor, & iudex præfatus dictos citatos non comparentes reputauimus non immerito contumaces, & in eorum contumacia attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam, & rationi consonam, & quia per inspectionem dictarum literarum infrascriptarum, quas sufficienter, & legitime recognouimus, ac per præsentes recognoscimus, ac reperimus eas omni suspicione carentes idcirco eas per discretum virum D. Io. Antonium Curtum nostrum, & dictæ Curiæ causarum Cameræ apost. notarium transumptari, & exemplari, ac in publicam, & autenticam transumpti formam redigi fecimus, & mandauimus, Volentes, & auctoritate Curiæ nostræ statuentes, quòd huic nostro transumpto de cætero ea prorsus vbique adhibeatur fides, & creduliras in iudicio, & extra, quæ, qualis, & quanta adhiberetur ipsis propriis originalibus literis, si vobis exhibitæ essent, vel ostensæ, quarum quidem literarum tenor sequitur, & est talis, videlicet.

PIVS PP. V.

AD perpetuam rei memoriam. Dum ad vberes, quos sacri Mendicantium Ordines in agro Dominico quotidie faciunt fructus, attente respicimus, & attente considerationis indagine perscrutamur iptatis habitum, in quibus sub humilitatis spiritu deuotum Altissimo præstant famulatum, dignum, quin potius debitum reputamus, vt illis ea libenter concedamus, per quæ semotis quibuslibet grauaminibus, promptiores eiusdem Altissimi inhæreant seruitiis. Hinc est, quòd nos volentes eosdem Mendicantium ordines, & dilectos filios eorum fratres, & monachos, cæteráque personas, ac etiã Moniales quaslibet eiusdem ordinis sub illorum cura degẽtes specialibus fauoribus, & gratiis prosequi, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra sciẽtia, ac de Apostolicæ potestatis plenitu

plenitudine, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus. Omnes, & singuli mendicantium ordinum huiusmodi fratres Monachi, & dilectæ filiæ in Christo Moniales, seu sorores, ac aliæ vtriusque sexus personæ regulares vbilibet per totũ Christianum orbem diffusi, & constituti, illorumque monasteria, cœnobia, domus, conuentus, Ecclesiæ, capellę, oratoria, & alia loca etiam vnita, ac membra, & depẽdentia, necnon terræ cultæ, & incultæ, possessiones, prædia, agri, & alia omnia, & singula mobilia, & immobilia, ac se mouentia, & vbilibet, ac in quibuscunque rebus consistentia bona, necnon eorum in dictis bonis laboratores, Coloni, Arrendatarij, Locatarij, & affictuarij, negotiorũmque suorum gestores vniuersi, quomodolibet nuncupati, nunc, & pro tẽpore existentes in perpetuũ ab omnibus, & singulis exactionibus tã in Vrbanis, quam Rusticis, nec non Datiis, Gabellis, Pedagiis, Vectigalibus, Collectis, Impositionibus, & oneribus ordinariis, & extraordinariis, ac tam realibus, quam personalibus meris, & mixtis, etiam subsidio triennali, & augmento, ac foculariibus equorum taxis, Militúmq; hospitiis, ac alias quibuscunque nominibus nuncupatis quauis auctoritate, quomodolibet impositis, & imponendis, & quæ laicis, ac aliis quibusuis quomodolibet imponi consueuerunt, & in futurum imponentur, ac ratione quarũcunque mercium, & rerum cuiuscunque generis, vel qualitatis existentium tam per mare, & aquam dulcem, quam terram vndecunque & quomodocunque pro tempore delatarum, necnon animalium quorũcunque mortuorum, & viuorum, & quæ alias quomodolibet, & ex quauis causa, ac super quibuscunq; rebus tam in alma Vrbe nostra, quam extra eam vbilibet locorum exiguntur, & in futurum exigentur, necnon à contributionibus, & solutionibus in illis faciendis, ac tam pro victu, & vestitu quam quocunq; alio vsu suo tantum, ac tam emendo quam vendẽdo, & alias quomodolibet negotiando, necnon etiam à solu

solutione quadrantis pro singulis libri carnium de animalibus, quæ nunc, & pro tẽpore ex armentis occidi contigerit, necnon etiam quæ in suis ædibus, prædiis, & possessionibus priuatim derinẽt, & nutriũt, ac, à contributione sumptuum, & expensarum, quæ aliquando pro pontibus, viis, aquæ ductibus, muris, mœnibus, aliisue machinis struendis, & reparandis, seu reficiendis, ac Ciuitatum, Terrarũ, & locorũ quorumcunque fortificationibus, necnon etiam aliis in omnibus, & per omnia, ac tam in dicta Vrbe, quam extra eam vbilibet penitus, & omnino liberi, immunes, & exempti, ac liberæ, & exemptæ, liberáque immunia & exempta sint, & esse censeantur, ac pro talibus teneantur, & reputentur. Quodque terræ, agri, possessiones, & loca aratiua, vt præfertur in illis, quæ aliquando pro pascuis animalium ad certum tẽpus reseruantur nullatenus vnquam comprehendantur, nec comprehendi censeantur, ac etiam Monasteria, Cœnobia, aliaque omnia regularia loca prædicta, pro quorumcunque Militum tam equitum, quã peditum hospitiis, quemadmodum magno cum nostro dolore hucusque in plerisque locis factum comperimus, nequaquam assignentur, nec assignari debeant. Et insuper quòd fructus, reditus, prouentus, introitus, & alia quæcunque bona Monasteriorum, Cœnobiorum & aliorum locorum regularium præfatorum ab aliis quam à Syndicis, & procuratoribus religiosis fratribus monachis, & monialibus, aliisque personis præfatis exigi, illaque duntaxat in beneficium loci, vel sustentationem ipsorum religiosorum fratrũ, & monialium expendi, nec per alios quoscunq; quouis nomine censeantur, nec in alium quam præmissum vsum cõuerti, seu expendi possint neque debeãt, nisi de consensu superiorum illius loci, cui data, vel consignata, aut donata fuerint, seu ad quem alias spectabunt, nec etiam soli tutores, aut curatores, seu protectores, & alio nomine Sancti, aut alias nuncupati, de eisdẽ bonis vllo modo disponere possint. Quodque

que idipsum etiam de eleemosynis, oblationibus, & quibuscunque aliis donatiuis intelligi, & obseruari debeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo statuimus, ordinamus, volumus, & declaramus. Necnon fratres, Monachos, Moniales, ac alias regulares personas eorumq; Monasteria, Cœnobia, Cõuentus, Ecclesias, Capellas, Oratoria, & alia loca, ac terras, possessiones, prædia, agros, & bona, necnon laboratores, Colonos, Arrendatarios, Locatarios, Affictuarios, ac gestores, prædicta, vt præfertur libera, immunia, & exempta eisdem auctoritate, & tenore facimus, ac fore, & esse decernimus. Mandantes propterea dilectis filiis modernis, & pro tẽpore existentibus Cameræ Apostolicæ Camerario, Præsidentibus, & Clericis, ac commissariis agentibus, & officialibus quibuscunque, vt omnibus, & singulis tam virorum, quam Mulierum Monasteriis mendicantiũ ordinum huiusmodi existentibus sub ditione nostra temporali mediate, vel immediate constitutis, tantũ sal. quantum pro eorum vsu sufficerit, singulis annis, omni dilatione cessante, & contradictione remota, contribuere, & assignare, ac contribui, & assignari facere debeant realiter, & cum effectu. Districtius etiã in virtute sanctæ obediẽtiæ, & sub indignationis nostræ, ac excommunicationis maioris latæ sententiæ, ac duorum millium ducatorum auri de Camera pro vna Basilicæ sancti Petri de Vrbe, & pro altera medietatibus singulis monasteriis, & locis præfatis, quæ molestari, seu perturbari contigerit, irremissibiliter applicandorũ pœnis eo ipso, si & quoties contrafactũ fuerit incurrendis. Inhibentes tam illis, quam dilectis filiis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, datiorum, Gabellarum, onerum, & aliorũ præmissorũ exactoribus, Conductoribus, Appaltatoribus, necnon quibusuis Communitatibus, & Vniuersitatibus, illarumque officialibus, & personis, aliisq; quibuscũque, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, quatenus præmissa omnia, & singula

gula inuiolabiliter,& perpetuo obseruent,ac ab omnibus obseruari faciant, neque fratres, monachos, moniales,& alias religiosas personas aliosque suprà dictos super præmissis quomodolibet molestent, & perturbent,neque permittant per quoscunque quomodolibet molestari, seu perturbari:Et si quis cõtradicere, aut quouis modo contrauenire præsumpserit,per mandatum executiuum contra ipsum cuiuscunque dignitatis,status ordinis, vel præeminentiæ fuerit,ipso facto procedi:Et sic per quoscunque iudices,& Commissarios quauis auctoritate fungen. sublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffinirt debere, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit,irritum, & inane decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis,Archiepiscopis, & Episcopis, siue eorum Vicariis in spiritualibus generalibus,necnon dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ apostolicæ generali auditori,ac Abbatibus, Prioribus,Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis,& capitulis, ac aliis quarumcunque Ecclesiarum Prælatis,& personis,vbilibet,& in quibuscunque regionibus,terris,& locis existentibus,ac aliis,ad quos quomodolibet spectat,& spectabit,per præsentes Motu simili mandamus quatenus ipsi,& eorum quilibet per se,vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum,Monachorum,Monialiũ, aliarumque religiosarum personarum præfatorum fuerint requisiti, solenniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, & eorum singulos statuto,ordinatione, voluntate,declaratione, constitutione,deputatione,mandato,inhibitione,decreto, aliisque præmissis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper Camerarium, præsidẽtes, clericos,& Commissarios Cameræ huiusmodi,necnon

Lega

Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Collectores, Gabellarios,& Exactores prædictos, aut quoscunq; alios ad aliquam solutionem,contributionẽ, vel præstationem præmissorum occasione quomodolibet facienda quouismodo cogi,& compelli, aut alias cõtra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari,aut inquietari.Contradictores quoslibet, & rebelles per prædictas,aliasque opportunas censuras,& pœnas,appellatione postposita,compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras,& pœnas huiusmodi incurrisse declarando, interdictum Ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc,si opus sit, auxilio brachij secularis.Nõ obstañ.fel.rec.Bonifacij Papæ viij. prædecessoris nostri de vna, & concilij generalis de duabus dietis dũmodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentiũ non extrahatur,ac omnibus illis,quæ in contrarium per quoscunque officiales, & quosuis alios, ac præsertim per officiales ciuitatis nostræ Bonoñ.& quosuis alios adducta sunt hactenus,& deducẽtur in posterum,ac adduci,& allegari possent,necnon quibuscunque litibus, & causis, tam in Rom.Cu.quam extra eam vbilibet,ac coram quibuscunque iudicibus etiam palatij nostri causarum Auditoribus, ac S.R.E. Card. super præmissis inter quoscunque quomodolibet pendentibus, ac etiam instructis,& ad sententiam deductis, vel etiam à sententia terminatis, nisi in fauorem Ecclesiæ fuerint. Et præsertim quadam lite inter huiusmodi regulares, ac ciues, & communitatem dictæ Ciuitatis Bonoñ. in Romana Curia pendente,quas,& quam, ac omnes processus,& scripturas productas,& producendas,ac Registra,& sententias vbiuis comparentes,& latas, ac ferendas ad nos auocamus,& penitus extinguimus,cassamus,annullamus, & delemus, perpetuumque desuper silentium imponimus,Necnon quibusuis apostolicis, ac in prouincialibus,& synodalibus conciliis editis generalibus,vel specialibus constitutionibus,& ordina-

tioni

tionibus etiam contra exemptos quomodolibet editis,& edēdis,ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica,vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis illis,& eorum singulis, sub quibuscunque tenoribus,& formis,ac cum quibusuis etiam derogatoriarū derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis,ac insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere,& specie, etiam Motu simili, & ex certa scientia etiam consistorialiter, & alias quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium cōcessis,approbatis,& innouatis, Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dunraxat specialiter,& expresse derogamus, contrariis quibuscunque,aut si aliquibus communiter,vel diuisim ab eadem sit sede indultum quod interdici,suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris, die vegesimanona Iulij.1566. Pontificatus nostri anno primo.

V.Maccharanus. F. de Torres.

QVibusomnibus, ac singulis præmissis tanquam rite, rectéque, ac legitime factis auctoritatem, & decretum dictę Curiæ, atq; nostram duximus interponendam, & interposuimus, ac interponimus præsentium per tenorem. In quorum omnium, & singulorū præmissorum fidem, & testimonium veritatis presentes exinde fieri,& per eundem Notarium nostrum infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus, sigilliq;ue nostri quo in similibus vtimur, iussimus,& fecimus impressione muniri. Datum Romæ, in Palatio nostræ solitæ residentiæ, in quo iura redduntur, & partium causæ audiuntur, sub anno à Natiuitate Domini. 1566. indictione nona, die vero quarta mensis Septembris, Pontificatus sanctissim.

D.N.D.

D.N.D.Pij diuina prouidētia PP.V.anno primo,præsentibus ibidē discretis viris DD. Fabritio Galletto, & Pompeo Antonino Curiæ nostræ notariis,testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis specialiter, atque rogatis.

Bulla S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, reuocationis licētiarum Græcu Latino more,& Latinū Græco ritu Missas, ac alia diuina officia celebrandi, hactenus concessarum.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

PRouidentia Romañ.Pontificis plurimum circunspecta,nonnunquam ea, quæ, certis suadentibus causis,per eius prædecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus causis alterat,& ad pristinum statū reducit,prout equitas suader,& in domino conspicit expedire. Sane cum ad notitiam nostram pernenerit,quod nonnulli presbyteri tam Græci,quam Latini antiquum S.R.E.ritum tam in celebratione Missarum,quam aliorum diuinorum officiorum peruertere satagentes,diuersas licētias,& facultates Missas, & alia diuina officia Græci Latino more, ac Latini Græco ritu celebrandi ab Apostolica sede, vel eius Legatis,ac etiam maiore pœnitentiario pro tempore existēte variis prætextibus impetrarunt, illisque iam pridem vtuntur, hoc ab antiquo catholicæ Ecclesiæ instituto, sanctorumque patrum decretis deuiare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpantes,& submouere volētes,omnes,& singulas licentias, & facultates huiusmodi hactenus etiam Motu proprio, vel quorumuis etiam Imperatorum,Regum, & aliorum Principum cōmplatione,& ex quibusuis causis quomodolibet concessas, ac apostolicas,& alias literas desuper confectas,illarum omnium tenores pro sufficienter expressis ha-

bentes, apostolica auctoritate ex certa scientia hac præsenti nostra perpetuo valitura Constitutione reuocamus, cassamus, annullam⁹, irritamus, quibusuis presbyteris tam Græcis, quam Latinis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis à diuinis pœnis districtius inhibentes, ne deinceps presbyteri Græci, præcipue vxorati, Latino more, & Latini Græco ritu huiusmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quouis prætextu Missas, & alia diuina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in ciuitatibus, & diœc. propriis præsentes nostras literas publicari, & sub prædictis, & aliis sibi beneuisis pœnis perquoscũque prælatos, Capitula, Clericos, fratres, Superiores, & personas quaslibet inuiolabiliter obseruari faciant. Contradictores quoslibet auctoritate apostolica cõpescendo. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis cõstitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnõ Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, & aliorum locorum quorumcunque etiam iuramento, cõfirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eisdẽ Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, & locis, illorumque Capitulis, Conuentibus, Superioribus, & personis, ac ordinibus sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis etiam ad Imperatorum, Regũ, Reginarum, Ducum, & aliorũ Principum instantiam, aut eorum contemplatione, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet cõcessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, illaque quo ad præmissa cassamus penitus,

tus, & annullamus, cæterisque cõtraris quibuscunq;. Volumus autẽ, quòd præsentes literæ ad valuas Beati Petri Apostolorum principis, & Cancellariæ nostræ, ac in acie Campi Floræ publicentur, & inter Constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conseribantur. Et, quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd eorum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarij subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, cassationis, annullationis, irritationis, mandati, inhibitionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Marcum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto. Tertio decimo Kal. Septemb. Pontificatus Nostri anno primo.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto indictione nona, die vero veneris vigesima mensis Septembris Pontificatus autem sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius primo præsentes retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ principis apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi-Floræ per nos Bartolomæum Sottocasa, & Io. Andream Rogerium præfati S. D. N. Papæ Curso.

Niçolaus de Matthæis Mag. Curs.

Brene S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. super reuocatione licentiarum ingrediendi Monasteria, ac domos Carthusien. & aliorum quorumcunque regularium ordinum, etiam mendicantium quibusuis mulieribus concessarum.

PIVS PP. QVINTVS.

AD perpetuam rei memoriam. Regularium personarum, quę, relicto sæculo, Dei se obsequio dedicarunt, pro commisso nobis officio quieti consulere cupientes, ad ea remouenda, quæ religiosum earũ propositum impedire possunt, curam nostram libenter impẽdimus, vt nulla re, q̃ eas à diuino cultu auocet, præpeditæ, secundum ordinum suorum regularia instituta, & decretum sacri Tridentini Concilij, tranquillis mentibus gratum altissimo impendere possint famulatum. Quia igitur & Carthusiensium ordinis, & aliorum regularem vitam professorum quies non parũ solet, sicut accepimus, perturbari, propterea q̃ mulieres, modestiæ matronalis oblitæ domos, ac Mon. eorum contra ipsorum instituta, præter xtu confessionalium, aut aliarum Literarum apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis præsidentibus aliquando recusantibus, & renitentibus, non sine magna eorũ molestia, nec sine graui laicorum etiam offensione, ac scãdalo, si quando admitti nimis facile videatur: huic rei prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine omnes & singulas facultates, ac licentias ingrediendi monasteria, ac domos Carthusiẽ. & aliorum quorumcũque regularium ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacunque dignitate, ac præeminentia præditis, etiã Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscunq; verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, & efficacioribus, & insolitis clausulis,

necnon

necnon irritantibus decretis ab apostolica sede quomodocunque concessas, quarum tenores perinde ac si de verbo ad verbum præsentibus inserterentur, haberi volumus pro expressis, tenore præsentium reuocamus, & cassas, irritas, & inanes esse decernimus, districte prohibentes mulieribus quidem, prædictas facultates, & licentias prætẽdentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non possint, nisi à nobis, aut à Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolui, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos, & monasteria ingredi audeãt. Ipsis vero Monasteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus quocunque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & fratribus, siue mendicantibus, siue non mendicantibus, sub priuationis officiorũ, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterũ ad illa, & alia omnia, & suspensionis à diuinis, ipso facto sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittere ve præsumant. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cęterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, & mandamus, vt hæ literæ ad valuas Basilicæ beati Petri Apostolorum principis, & in Cancellaria nostra, atque in acie Campi floræ de more publicẽtur. Quia verò difficile foret has literas ad omnia loca deferri, volumus, & declaramus, vt earum exemplis, & transumptis manu scriptis, vel impressis, & manu alicuius notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, par vbique fides habeatur, ac si præsentes exhibitæ essent, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxiiij. Octobris 1566. Pontificatus nostri anno primo.

Antonius Florebellus Lauellinus.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingẽtesimo sexagesimo sexto. Indictione nona, die vigesima

octaua mẽsis Octobris pontificatus Sanctiſſi. in Chriſto Patris,& Domini noſtri Domini Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno primo ſupraſcriptæ literæ affixæ,& publicatæ fuerunt in locis ſupraſcriptis,per nos Bernardinum Andreutium, & Io. Andream Rogerium Apoſtolicos Curſores.

Philibertus Chappuis Magiſt. Curſ.

Motus proprius S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ V. ſuper exemption. Monaſteriorum,& aliorum locorum ab hoſpitio militum &c.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Cum,ſicut non ſine graui dolore nobis innotuit,omnia,& ſingula,ſeu quam plurima huius almæ Vrbis, ac etiam ſtatus noſtri Eccleſiaſtici Conuentus, & Monaſteria, & alia eccleſiaſtica, & pia loca tam ſæcularia, quam regularia, & à perſonis religioſis quomodolibet inhabitata, eo tempore, quo equites, & milites eiuſdem almæ Vrbis,ac ſtatus Eccl. præfati pro defenſione ipſius Vrbis, & ſtatus aduerſus infeſtiſſimum Turcarum tyrannum,vel ob alias,quæ pro tempore ſeſe offerunt, cauſas expediri, & ad diuerſa eiuſdem ſtatus loca tranſmitti contingit, ab eiſdem equitibus, & militibus perturbentur,& moleſtentur, ipſique conuentus, monaſteria, & alia eccleſiaſtica, & pia loca in eorundem equitum, ſeu militum diſtributione nonnullos eorundem equitum, & militum intra eorum domos, & monaſterij hoſpitio excipere,& recipere cogantur, in maximum eorum detrimentum, diuini cultus perturbationem, grauiſſimum religionis dedecus, Dei optimi maximi offenſam, & non ſolum præter omnem noſtram intentionem, verum etiam intolerabilem animi noſtri amaritudinẽ. Quapropter nos in præmiſſis quantum cum Deo poſſumus de optimo remedio celeri manu prouidere, ac monaſteriorum, & aliorum eccleſiaſticorum, & piorum locorum huiuſmodi perſonarum Deo altiſſimo die, noctuque famulan

mulantium quieti,integritati,& decori conſulere volentes, Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine vniuerſis,& ſingulis tam dictæ almæ Vrbis, quam totius ſtatus præfati Gubernatoribus, Poteſtatibus, Ducibus, & Capitaneis,Communitatibuſque,& vniuerſitatibus, & aliis, ad quos ſpectat, & pertinet,ac ſpectabit,& pertinebit quomodolibet in futurum,ne deinceps perpetuis futuris temporibus in eorundem militum, & equorum diſtributione tam in tranſeundo, quam inibi commorando, Communitatibus, & vniuerſitatibus videlicet,ne dictos equites,ac milites in eiſdem monaſteriis,cœnobiis, domibus, & aliis eccleſiaſticis, & piis locis ſub duorum millium ducatorum auri Cameræ apoſtolicæ ipſo facto applican. & aliis arbitrij noſtri pœnis, quouis quæſito colore, cauſa, ingenio, ſiue prætextu diſtribuere, ſiue aſſignare, vel ad illos recipiendum, & hoſpitio excipiendum cogere,ipſis verò Capitaneis, & Ducibus, ne eoſdem ſuos equites, & milites ſub indignationis noſtræ, ac priuationis officiorum ſuorum, aliſque etiam arbitrij noſtri pœnis in dictis monaſteriis,cœnobiis, domibus, & aliis eccleſiaſticis, & piis locis, & ſi Communitates, & Vniuerſitates ipſæ eadem loca eiſdem aſſignaſſent, diſtribuant,Gubernatoribus verò,& ipſarum ciuitatum,& locorum prætoribus, ac aliis officialibus quibuſcunque,quo minus præmiſſa ab ipſis Communitatibus,& Vniuerſitatibus,ac Capitaneis,& Ducibus fiãt, ſub eiuſdem indignationis noſtræ,ac etiã priuationis officiorum ſuorum præfatorum reſpectiue pœnis auctoritate apoſtolica ſinant,vel permittãt, inhibemus, præcipimus,committimus,& mandamus. Et inſuper tam illis, quã equitibus,& militibus præfatis,ne monaſteria,cœnobia, & loca pia huiuſmodi in perſonis, rebus,& bonis, aut alias deſuper quomodolibet moleſtare,perturbare,impedire,& inquietare, ſeu moleſtari,perturbari,vel alias inquietari facere audeãt,ſeu præſumant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub

iam dictis pœnis eadem auctoritate inhibemus, præcipimus, committimus, & mandamus, ipsa Monasteria, cœnobia, domos, & alia ecclesiastica, & pia loca ex nunc ab eisdem militibus, & equitibus, ac onere illos hospitio excipiendi, motu, & auctoritate similibus eximendo, & totaliter liberando, ac libera, & immunia facien. Necnon dilectis filiis nostris Vitellotio Card. Vitellio nuncupato, & pro tempore existenti S.R.E. Camerario, ac præsidentibus, & clericis Cameræ apostolicæ, vt eisdem monasteriis, & piis locis in præmissis efficacis defensionis præsidiis assisten. non permittant illa, seu eorum personas à prædictis militibus, & equitibus, illorumque hospitio grauari contra præsentium tenorem, sed literas, & exemptiones huiusmodi eis desuper concedant, ac fuo-rabiliter defendant etiam præcipimus, & mandamus, & sic per quoscunque iudices, sublata, &c. iudicari, &c. debere, irritumque, &c. decernimus. Non obstan. quibusuis constitutionibus, ordinationibus apostolicis, statutis, etiam iuramento, &c. roboratis, Priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusuis etiam prædictis, ac aliis quibusuis personis sub quibuscunque tenoribus, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, & concedendis, quibus omnibus illorum tenores &c. latissime derogamus, cæteris-que contrariis quibuscunque, cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione ad effectum, &c. & de commission. mandato, inhibitione, præcepto, exemptione, liberatione, decreto, & derogatione, aliisque præmissis extenden. perpetuo in forma gratiosa, & si vi-debitur cum opportuna executorum deputatione qui assistant, ac sub censuris, & pœnis etiam pecuniariis, &c. cum facultate grauandi, &c. inuocato, &c. sæcularis, cum oppurtuna dictarum derogatione latissime extenden. & quod præmissorum omnium, & singulorum etiam maior, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis etiam ad partem pro quolibet

libet monasterio, & pio loco si videbitur per breue nostrum expedien. seu si videbitur præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio, extráque, regula contraria non obstante.

Placet Motu proprio, & ita mandamus. M.

Motus proprius S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. in fauorem Rei frumentariæ, ac artis Agriculturæ.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio &c. Cupientes pro commisso nobis apostolico munere omnibus regimini, ac curæ nostræ subiectis populis non modo spiritualia fideliter, vt debemus, dispensare, sed in temporalibus etiã, quantum cum Deo possumus, salubriter prouidere, nullam prætermittimus diligentiam pro pauperum, qui sub hoc nostro temporali gubernio viuunt, subleuandis necessitatibus, ac potentiorum oppressionibus propulsandis. Hinc est, quòd, quum ad rei frumentariæ negotium, quod præcipua pro eorundem pauperum, substentatione, & victu cura eget, animum nostrum intendimus, summopere nobis laborandum cognoscimus, vt fraudibus, quæ in dies Annonæ à ditioribus fiunt, quo carius eam vendant, omni studio, ac diligentia prouideatur. Intelligentes itaque non sine animi nostri molestia diuites ipsos, ac potentes non modo propria ipsorum frumenta, bladáque, quæ ex prædiis suis, propriá que agricultura colligunt in horreis recondere, ac conclusa supprimere, & donec illorum pretium pro eorum auaritia adauctum compiciant, ab omni prorsus venditione abstinere, verum etiam à laboratoribus, operariisque propriis, ac etiam subditis (si Barones sint) illud vili precio comparare, donec tantam vndique tritici copiam cumularint, vt pauperes, qui aliunde frumentum venale non reperiunt, necessitate ducti, ab eisdé diuitibus, & Baronibus eo precio emere cogantur, quod venditorum ipsorum auaritia affectauerit.

Quinimo eos etiam, qui ad Vrbem hanc nostram quo vndique ex omnibus mundi partibus Christifideles confluunt, frumenta, bladaque prædicta importare cupiunt, omni via, & ratione impedire, ac retardare præsumunt, contra summorũ Põtificũ Prędecessorũ nostrorũ decreta, ordinationésq;, & in maximũ etiam animarum suarum periculum: Nos præmissis remedium aliquod opportunum adhibere omnino volentes, in primis diuites prædictos omnes, ac Barones hortamur in domino, & monemus, vt Dei largitatem in seipsos agnoscentes, pauperibus benigniores in posterum sese præbeant, atque ab huiusmodi detestabili frumentario quæstu prorsus abstineant, memores scriptum esse, quòd qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium. Quòd si propria frumenta, quæ ipsis vltra vsum eorum supersunt, debitis temporibus, prout certe deberent, vendere detractant, at saltem ab alienorum emptione, & illicita negotiatione abstineant, & quam Dei benignitas populis fertilitatem anni concedere dignatur, eam ipsi inuidiose perturbare non præsumant. Quòd si tam à prædictis emptionibus frumentorum, quam ab impediendo subditos eorum, aliosque ad Vrbem Romam frumenta, bladaque omnia deferentes, in posterum non abstinuerint, sciant se pœnas in cõstitutionibus Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, præcipueque Clem. VII. pro abundantia rei frumentariæ, & agriculturæ exercendæ anno à nativitate D. N. 1524. X. Kal. Martij editis incursuros, quas quidem prædecessorum nostrorũ dispositiones præsenti nostra perpetuo duratura cõstitutione in hac parte innouamus: Declarantes insuper omnes cuiusque generis, qualitatis, & conditionis fuerint qui frumentum, aliaque blada vltra vsum familiæ suæ, animo, & intentione illa cariùs vendendi emunt sine licentia in scriptis ab ordinario annonæ pro tempore obtenta (quam tamen rationabili de

de causa tantum, & gratis omnino concedi volumus) non modo pœnas amissionis ipsius frumenti, & bladorum, & alias pecuniarias ab ipso ordinario pro tẽpore impositas incursuros, sed etiam Dei omnipotẽtis maiestatem summopere læsuros, grauiterque in eo peccaturos. Barones vero, & alios dominos, terrarumque vniuersitates, omnesque alios nobis, & sanctæ sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subiectos, cuiuscunque status, aut cõditionis existerint, etiam si Episcopali, Metropolitana, Patriarchali, & Cardinalatus etiam dignitate præfulgeant, qui subditorum suorum frumẽta, aliaque blada, vltra vsum, & necessitatem suam, & familiæ suæ emerint, quique accedentes ad Vrbem cum frumentis, aliisque rebus ad victũ necessariis directe, vel indirecte impediunt, vel remorantur, pœnas in dicta Clem. VII. prædecessoris nostri constitutione expressas incursuros, videlicet priuationis feudorum, suspensionis, excommunicationis, & interdicti iuxta tenorem, & formam prædictæ constitutionis, aliarumque in ea expressarum, quas in hac parte per præsentes nostras innouamus, & earum tenores hic pro sufficienter expressis haberi volumus. Vt vero facilius, commodiusque omnes possint ad vrbem hanc nostram frumenta, bladaque libere conuehere, eos, vt præfertur, dicta de causa ad Vrbem accedentes, ab omni pedagio, gabella, aut onere quocunque pro dictis frumenti, bladorumque comportatione eximimus, ac liberamus, immunesque, & exemptos esse, ac fore perpetuo declaramus, Mandantes omnibus tam vniuersitatibus terrarum, quam Gubernatoribus, Rectoribus, aliisq; dominis, nobis, ac sanctæ Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subiectis quocunque titulo, vel dignitate præfulgeant, etiam si S.R.E. Cardin. existant, ne prædictorum frumentorum, aliorumque bladorum ad Vrbem venientium occasione, quicquam solui ab ipsis vectoribus faciant, aut quoquomodo in Ciuitatibus, Terris, ac locis regiminis eorum subiectis dicta

cta de causa solui permittant, aut patiantur, sub pœnis supradictis, aliisque arbitrio nostro declarandis. Volumus etiam, quòd venientes ea de causa ad Vrbem videlicet ad frumenta, bladaque prædicta conuehēda, tuti omnino sint ab omnibus ciuilibus executionibus, tam pro eorum debitis, quā pro Cameralibus quibuscunque exactionibus, & repræsaliis quacunque de causa, & contra quoscunque decretis, seu decernendis, Irritum, & inane decernentes, quidquid contra, & aduersus prędictos, seu eorum animalia, & res, quas secum prædicta de causa detulerint, tam in accedendo ad Vrbem, vbique commorando per biduum ad effectum vendendi ea, quæ attulerint quam etiam in redeundo ad eorum solitam habitationem, executum, vel quoquomodo attētatum fuerit. Inhibeñ. omnibus cuiuscunque generis executoribus, seu cuiuæ ministris, ne prædictos dicta de causa ad Vrbem accendentes, ibique, vt præfertur, commorantes, seu inde discedētes molestare præsumant, sub pœnis arbitrio Præfecti Annonæ pro tēpore infligendis. Eos etiam, qui agriculturam ipsam pro cōmuni bono laudabiliter intra quadragintа ab Vrbe miliaria exercēr, dignis fauoribus, & priuilegiis prosequi volentes, tam messium quam seminum tempore, dum scilicet colligendo, vel seminando tritico verisimiliter occupātur, ab omni supradicta executione, etiam si ex obligatione in forma Cameræ processerit, tutos omnino, ac saluos fore, & esse declaramus dummodo aliunde quam ex agriculturæ fructibus soluere non possint. Boues vero aratorios, omniaque instrumenta ad agriculturam necessaria non supradictis temporibus tantum, sed perpetuo pro quavis ciuili obligatione auferri, aut alia ratione impediri prohibemus. Declarantes insuper in tacitis quibuscunque hypothecis à quocūque quauis de causa inductis prædictos boues, aliaque instrumenta prædicta minime comprehensa fore. Et in summa prædictis rebus agriculturæ inseruientibus, tamquam cō-

mo

moditatis imo necessitatis publicæ instrumentis omnia priuilegia concedentes, quæ bonis dotalibus de iure concessa esse reperiuntur, Sicque per quoscunque iudices, &c. irritū, & innane, &c. Quæ omnia quo fidelius ab omnibus obseruentur. volumus Dilectos filios nostros Ludouicum Simoneram, Marcū Antonium Amulium, & Vitellotium Vitellium Camerarium S.R.E. Card. ea, quam ipsorum grauitatē, & virtutem decet, diligentia curare. Dantes eis in prę missis plenam, & omnimodam facultatem, & eam, quam nos ipsi habemus, potestatem pro præmissorū executione, obseruantiaque, cum potestate declarādi, & decidendi, si quid in præsenti nostra constitutione, declaratione, aut diffinitione egere videbitur. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon Vrbis, Terrarum, Oppidorum, & Villarum quarumcunque iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, reformatioñ. & decretis, priuilegiis quoque, & indultis apostolicis communitatibus, vniuersitatibus baronibus, ac aliis præfatis, à dicta Sede Apostolica, vel à nobis forsan concessis, quæ eis quo ad præmissa nolumus suffragari, Neenō pactis, & conditionibus, ac omnibus aliis quæ dicti prædecessores volurunt non obstare, cōtrariis quibuscunque. Cæterum, ne de præmissis qnē quam dubitare contingat, volumus, quòd præsentium literarū tenor per omnia loca publica dictę Vrbis solemniter publicari debeant, ipsæque literæ sic publicatæ perinde arctent omnes, quos concernunt, ac si singulis eorū personaliter intimatę fuissent. Volumus autem, quòd præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio, & extra, quacunque regula seu constitutione Apostol. contraria non obstante.

Placet Motu proprio. M.

Die Vndecima Octobris 1566. Admissa est hæc cedula motus proprij ex decreto Cameræ, & registrata

libro

libro secundo signaturam Sanct. D. N. Papæ apud me Notarium fol. 113.

Hie. de Tarano.

Anno à Natiuitate Domini 1566. Indictione nona, die vero vigesima mẽsis Octobris, Pontificatus sanctiss. D. N. Pij Papæ quinti anno primo, infrascriptę literæ apostolicæ affixæ fuerunt, ac publicatæ in acie Campi Florę, ac valuis Cancellariæ Apostolicæ, vt moris est, per nos Franciscum Sottocasa, & Nicolaũ de Mattheis Cursores.

Philibertus Capius Magister Cursorum.

Motus proprius S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. de veritate exprimenda, &c. in dispensationibus matrimonialibus, & aliis gratiis sub pœna falsi.

MOtu proprio, &c. Cum, sicut accepimus, nõnulli suæ conscientiæ prodigi, ac propriæ salutis immemores, vt facilius à nobis, & Sede Apostolica dispensationes matrimoniales, & alias gratias, & concessiones obtineant, gradus cõsanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, ac scientiam illorum aliter quam eis à principio ab ipsis partibus significatum, vel narratum fuerit exponunt, & si matrimonia huiusmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis narrant, ac alias diuersimode veram facti speciem tam in ipsis dispensationibus matrimonialibus, quam pro aliis quibuscunque gratiis, & concessionibus obtinendis immutent, ac propterea cum non solum in impetrationibus huiusmodi falsitas narretur, verum etiam in partibus plerũque pro verificatione gratiarum huiusmodi veritas immuretur, & falsitas committatur. Nos igitur huiusmodi abusibus, & erroribus obuiare cupientes, motu proprio, &c. omnes, & singulos procuratores tam officij sacræ pœnitentiariæ, seu contradictarum, quã alios quoscunque sollicitatores, & scriptores, quos copistas vocãt, qui veritatẽ facti à narratiõe, quã ab ipsis parti

partibus habuerũt quo ad substãtialia, & qualitates necessario exprimẽdas diuersam faciũt, seu quoquo inuertunt, aut immutãt, depranãtur, & per subreptionẽ, & obreptionem gratias à nobis extorquẽt, pœnã falsi incurrere, & ea puniri omnino debere decernimus, & declaramus. Mãdantes propterea Almæ Vrbis Gubernatori, Camerę Apostolicæ auditori, & Vicario, quatenus in præmissis reos, & culpabiles reper tos pœna falsi, vt præmittitur, puniant: cum potestate citandi etiam per edictũ, constito summarie de non tuto accessu, aliáque dicendi, & faciendi in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Nõ obstãt. præmissis, cõstitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisq; cõtrariis nequaquã obstãñ. irritũ quoque, & inane, &c. sicq;, &c. iudicari, & diffiniri debere, sublata, & decernẽ. Et ꝙ præsentis motus proprij, & absq; data, & registratura sola signatura sufficiat, & vbiq; fidem faciat in iudicio, & extra, regula cõtraria nõ obstãte eiusq; transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica cõstitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque Cameræ, & Cancellariæ apostolicæ, ac audientiæ causarum Palatij apostolici valuis, & in acie Campi Florę dimissis inibi copiis affixis omnes afficiant, & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Placet Motu proprio. M.

Die quinta Decẽbris 1566. suprascriptę literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis suprascriptis dimissis in eisdem locis copiis affixis, per me Nicolaum de Mattheis Curs. Ioan Guerardi Mag. Cur.

Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. super declaratione decreti Concilij Trident. de cognatione spirituali in maritum, vel vxorem suscipientu, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, & quascunque alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & baptizati.

Pius

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CVm illius vicem, licet minime suffragantibus meritis, geramus in terris, de cuius vultu prodit iudicium, & vident oculi æquitatem, officij nostri debitam prosequimur actionem, si obscuros sacrorũ Canonum sensus ita aperire studemus, vt piis Christi fidelium mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur. Sane licet ex eo quòd in Concilio Tridentiñ. decretum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantum contrahi, qui suscipiunt baptizatum de Baptismo, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, necnon baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, in reliquis personis, quæ per antiquos Canones occasione cognationis huiusmodi contrahere prohibebantur, omne impedimentum sublatum esse videatur: adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an saltem impedimentum cognationis spiritualis huiusmodi inter maritum, vel vxorem suscipientis, & patrem, ac matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de vno coniuge de altero etiam prohitum esse videatur. Nos piarum mentium quieti, & Matrimoniorum fauori (quantum ex alto nobis permittitur) consulere volentes, à præcisis verbis Concilij minime discedẽdum in præmissis esse censuimus. Et propterea nullum amplius impedimẽtum ratione cognationis huiusmodi subesse decernimus, & declaramus, quominus interdictos maritum, vel vxorem suscipientis, & baptizatũ, baptizatique patrem, & matrem, & quascunque alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas, Matrimonium libere, & licite cõtrahi possit, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus, atque statuimus: decernentes irritum, & inane, si quid secus à quoquam quacunque dignitate, auctoritate, & potestate prædito contigerit iudicari. Non obstantibus

tibus cõstitutionibus, & ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentes literæ in Cancellaria nostra apostolica, & acie Campi Floræ de more publicẽtur, & inter Constituriones perpetuo valituras describantur. Et, quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forẽt exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ declarationis, decreti, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noueritincursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingẽtesimo sexagesimo sexto. Quarto Kal. Decembris. Pontificatus nostri anno primo.

Cæ. Glorierius.

Visa de Curia Io. Barengus. H. Cumyn.
Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini 1566. Indictione nona, die verò xix. mensis Decembris, Pont. sancti. D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius primo, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ apostolicæ, & acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Antoniũ Clerici, & Io. Andream Rogerium præfati S.D.N. Papæ Cursores.

Stephanus de Olea. Mag. Curs.

Bulla S.D.N.D. Pij diuina prouidentia P. pæ V. super declaratione decreti Concilij Tridentini de impedimento affinitatis ex fornicatione prouenien.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum Pontificem spectat Canonicas sanctiones, quæ expressiorem sensum postulare videntur, re diligenter perspecta, ita declarare, & aliàs prouidere, vt omnis dubietas de piis Christifidelium mentibus euellatur. Sane postquam ex eo quod Trident. Synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proueniēs, per quod non solum matrimonium contrahi prohibetur, sed etiam postea factum dirimitur, ad eos tantum restrinxit, qui primo, & secundo gradu coniunguntur, in vlterioribus vero gradibus statuit matrimonium postea factum non dirimi; à pluribus Christifidelibus, vt accepimus, est dubitandum, an licet in vlterioribus gradibus huiusmodi matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen tuxta antiquos Canones contrahi prohibeatur. Et propterea nos omnem ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, ac matrimonij libertati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, Declaramus, & apostolica auctoritate decernimus nullum hodie impedimentum remanere, quo minus in vlterioribus gradibus huiusmodi libere, & licite matrimonium contrahi possit, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus, atque statuimus, decernentes irritum, & inane, si quid secus à quoquam quacūque dignitate, auctoritate, & potestate prædita contigerit iudicari, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quòd præsentes literæ in cancellaria nostra apostolica, & acie campi Floræ de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur, & quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quòd earum Transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur,

tur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ 1566. quarto Kal. Decembris. Pont. Nostri anno primo.

Visa de Curia Io. Barengus. Cæ. Glorierius.
Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini 1566. Indictione nona, die vero decima nona mensis Decembris Pont. Sanctiss. D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti anno eius primo retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt Romæ in valuis cancellariæ apostolicæ, & acie campi Floræ, vt moris est, per nos Io. Andream Rogerium, & Camillum, Cherub. Cursor. Stephanus de Olea Mag. Curs.

Bulla S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. reuocatio omnium Indulgentiarum etiam perpetuarum, pro quibus consequendis manus adiutrices sunt porrigendæ, & quæ questuandi facultatum quomodolibet continent.

PIVS *Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

ETsi Dominici gregis saluti semper intenti, singulis cum humilitate poscentibus ea benigne concedere nos, & prædecessores nostri studuerint, per quæ, peccatorum mole depositā, salus ipsis succedat, & hostis humani generis seruitute ereptas animas lucrifaciant Altissimo, qui eas nobis sua bonitate cōmisit: id tamen propensiori studio nos præcauendum esse censemus, ne cuiusuis indulgētiæ, remissionis, vel facultatis obtentu Christifideles procliuiores

ad illicita in posterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentiuum, & exinde clauium auctoritas deducatur in contemptũ, & Christi fideles quam plurimum scandalizentur. Sane cum ad auditũ nostrum ex diuersis mundi partibus quamplurimæ querelæ perlatæ fuerit, quòd vigore diuersarum indulgentiarum, & facultatum per prædecessores nostros, ac etiam nos, vel auctoritate nostra tam fabricæ nostræ Basilicæ Principis Apostolorum, & Ecclesiæ sancti Ioãnis Lateranẽ. de Vrbe, ipsiúsque ecclesiæ, necnõ sancti Ioannis, & sancti Lazari Hierosolymitañ. ac sancti Spiritus in Saxia, & sancti Ioannis Laterañ. ac sancti Iacobi Incurabiliũ, de eadem Vrbe, necnon sancti Elmi, & sancti Bouis, ac sancti Gothardi, & sancti Lenghuzoni necnõ sancti Nicolai, & sancti Bernardi Montis Iouij, necnon sancti Leonardi, ac sanctæ Marthæ, necnon sanctissimi Crucifixi Syracusañ. ac sanctæ Mariæ de Monte serrato, Hospitalibus, ac etiam sancti Sebastiani prope & extra muros dictę Vrbis, necnon sancti Antonij de sancto Antonio Viennen. diœc. & Redemptionis captiuorum nuper Neapoli instituto Monasteriis illorumque, ac diuersis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Militiis, Confraternitatibus, Societatibus, & piis locis concessarum, multi Quęstores ex eisdem indulgentiis lucrum temporale tantum quærentes, nominibus fabricæ Ecclesiarum, Hospitalium, Monasteriorum, Militiarum, Confraternitatum, Societatum, & piorum locorum prædictorum in diuersis ciuitatibus, & diœc. quæstas facere, Confratres describere, Capellas, & oratoria erigere, illisque erectis indulgentias huiusmodi communicare, & in diuersis gradibus à iure prohibitis dispensare, ac plura etiam cõcedere, quam eis vigore facultatum prædictarum licitum sit, ipsique lucro intenti, pecuniasque potius quam Christifidelium salutem quærentes, ac eisdem indulgentiis sic abutentes, quæstum ex illis particularem facere conantur, varioque & diuersos Quæstores,

stores, Cõmissarios, Procuratores, Receptores, Thesaurarios, Factores, Nuncios, & alios Ministros constituere, qui non solum supradicta, sed etiã plura alia eis nunquam concessa facere, & concedere, Necnon locorum ordinarios, illorumque in spiritualibus Vicarios generales, & Officiales, ac Ministros, Ecclesiarumque & ordinum prælatos, Superiores, & personas quæstas huiusmodi impedientes, censuris Ecclesiasticis innodare, & alias in pluribus grauiter excedentes in diuinæ maiestatis offensam, ac suarum, & Christifidelium animarum perniciem, ac ordinariorum perturbationem, & piarum mentium scãdalum, præsumunt. Nos, qui Deo propitio, gregis Dominici, meritis licet insufficientibus curam gerimus, & illum spiritualis Thesauri elargitione cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem, ex præmissis, & aliis rationabilibus causis animum nostrum mouentibus, felicis recordationis Calixti quarti, Clementis VII. Pauli iij. Julij similiter iij. & diuersorum aliorum Romañ. pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate, & deliberatione omnes, & singulas indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones fabricæ, & ecclesiæ huiusmodi, necnon sancti Ioannis Hierosolymitañ. etiam pro constructione, & ædificatione illius nouæ ciuitatis prædictis, & quibusuis aliis Hospitalibus, Monasteriis, Ecclesiis, Domibus, Militiis, ordinibus etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, & Vniuersitatibus, & piis locis, illorumque ordinibus, Capitulis, Conuentibus, Magistris, Superioribus, & tam sæcularibus, quàm quorumuis etiam Mendicantium ordinum regularibus personis, tam singulariter, quàm vniuersaliter per quoscunque Romanor. pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia,

ac ex quibuſuis etiam vigentiſſimis cauſis, etiam cauſa redemptionis captiuorum, & alias quomodolibet conceſſis, pro quibus conſequendis manus ſunt porrigendæ adiutrices, & quæ quæſtuandi facultatem quomodolibet continent, illiarum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præſentibus pro expreſſis habentes, auctoritate apoſtolica tenore præſentium perpetuo reuocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, ac viribus vacuamus. Et inſuper perpetuo hac noſtra valitura conſtitutione decernimus, quòd exnunc de cætero ſub indignationis noſtræ pœna prætextu indulgentiarum, & facultatum per quoſcunque Romañ. pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & ſedem apoſtolicam etiam Motu ſimili, ac ſedis apoſtolicæ Legatos, & alios quomodolibet conceſſarum, & quas à nobis, & ſede prædicta in poſterum verbo, literis, aut quauis alia ſcriptura etiam manu noſtra ſignata, etiam cum clauſula, quòd ſola ſignatura ſufficiat, etiam in fauorem fidei, aut Cruciatæ ſanctæ, vel cuiuſcunque alterius piæ cauſæ etiam priuilegiatæ concedi quomodolibet contigerit, nullus quauis etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, & patriarcali, aut maiore dignitate etiam Cardinalatus honore, ſeu etiam Regali, vel temporali excellentia præfulgeat, audeat, vel præſumat quæſtas facere, aut Nuncios, Quæſtores, Commiſſarios, Theſaurarios, Receptores pro illis recipiendis in dictis Hoſpitalibus, Eccleſiis, Domibus, Monaſteriis, Militiis, & aliis ſupra nominatis, vel pro eis, aut illorum nominibus alibi conſtituere, & deputare, niſi ex ſpeciali licentia, & ex certa ſcientia noſtris, & Romañ. Pontificis pro tempore exiſtentis, de qua per literas noſtras, & eiuſdem Romani Pontificis pro tempore exiſtentis locorum ordinariis, vel eorum in ſpiritualibus Vicariis, ſeu officialibus derogationem præſentis noſtræ conſtitutionis illius tenore de verbo ad verbum inſerto, expreſſe continentes (Nos enim ex nunc irritum

decer

decernimus, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari) conſtare debeat. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in Ciuitatibus, & Diœc. ſuis præſentes noſtras literas publicare, & obſeruare debeant, Rogantesque omnes, & ſingulos principes ſæculares, & alios Dominos, & Magiſtratus temporales, eiſque per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum ſuorum iniungentes, quatenus in præmiſſis eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aſſiſtant, & ſuum auxilium, & fauorem præſtent cum auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis apoſtolicis necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon fabricæ eccleſiæ Hoſpitalium, Monaſteriorum, Militiarum Confraternitatum, Ordinum, Capitulorum, Conuentuum, aliorumque locorum prædictorum, & quorumuis illorum membrorum, & eccleſiarum etiam cathedralium & Metropolitañ. etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus ſtabilimentis vſibus, & naturis priuilegiis quoq; indultis, & literis apoſtolicis illis, & præſertim ſancti Ioãnis, & ſancti Lazari, ac ſancti Spiritus in Saxia, Hoſpitalibus, necnon ſancti Antonij de ſancto Antonio, & ſanctorum Nicolaj, & Bernardi Montis Iouij Monaſteriis, ipſorumq; Monaſteriorum Hoſpitalibus ſingulorumq; eorũ Conuentibus, Superioribus, & perſonis præfatis per quoſcunq; Romañ. Pontifices prædeceſſores, ac nos, & ſedẽ apoſtolicã ſub quibuſcũq; tenoribus, & formis, ac cũ quibuſuis etiã derogatoriarum derogatoriis, aliiſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnõ irritãtibus, & aliis decretis etiã motu ſimili,

& ex certa scientia, ac quauis etiam Imperiali, vel Regali consideratione, vel instantia, & alias quomodolibet concessis approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiã si pro illorum sufficiẽti derogatione de illis, corũq; totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa non autẽ per clausulas generales idẽ importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus specialiter, & expresse derogamus, & sufficienter derogatum esse volumus, contrariis quibuscunque, Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab apostolica sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quòd præsentes literæ in Cancellaria nostra apostolica, & acie campi Floræ de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret easdem præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd earum trasumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur, si originaliter forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, cassationis, irritationis, annullationis, vacationis, decreti, mandati, iniunctionis, derogationis, voluntatis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotẽtis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Sexto idibus

bus Februarij. Pont. Nostri anno secundo.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, indictione decima, die vero decima septima mensis Februarij, Pontificatus sanct. in Christo Patris, & D. N. D. Pij Papæ V. anno secundo, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Antonium Clerici, & Io. Andream Rogerium præfati S. D. N. Papæ Cursores.

Scipio de Octauianis Mag. Curs.

Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. super Collatione Parochialium Ecclesiarum.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad æternam rei memoriam.

IN conferendis beneficiis ecclesiasticis, & præsertim Parochialibus ecclesiis personis dignis, & habilibus, quæ in loco residere, & per seipsos curam exercere valeant, quantam diligentiã adhiberi oporteat, Alexander iij. in Lateranen. & Gregorij x. in Lugdunen. generalibus conciliis, ac Innocentij similiter iij. & aliorum Rom. Pont. prædecessorum nostrorum editæ constitutiones testantur: quod vt diligentius, ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, vt occurrente vacatione Parochialis ecclesiæ etiam generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti in fauorem S. R. E. Cardinalium, aut alias quomodolibet reseruatæ, vel affectæ, debeat Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur. Et deinde Episcopus, & qui iuspatronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Epis-

copo præscribendum aliquos clericos ad regendum ecclesiam idoneos Examinatoribus iuxta formam eiusdem Synodi deputatis, nominet, & non nisi ab eisdem Examinatoribus per concursum aliorum examinatorum, etiam tanquam magis idoneo ab Episcopo iudicato, & electo de ecclesia prouideatur: alias prouisiones, seu institutiones omnes præter formam prædictam factæ, surreptitiæ censeantur. Sed, quoniam res humanæ semper in deterius prolabuntur, nisi sit, qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet, & verendum sit, ne propter constitutionem huiusmodi transgressionem maximi abusus oriantur. Nos, ad quorum notitiam non sine graui nostra molestia peruenit, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, occurrente vacatione Parochialium ecclesiarum eas nullo, aut minus rite seruato examine, præsertim illo quod per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine rite seruato, personis minus dignis, carnalitatis, aut alium humanæ passionis affectum non rationis iudicium sequentes contulisse, & de eis prouidisse, volentes quantum cum Deo possumus huiusmodi, ac etiam futuris periculis occurrere, eorundem prædecessorum nostrorum constitutiones præfatas etiam innouando, auctoritate apostolica tenore præsentium omnes, & singulas collationes, prouisiones, institutiones, & quascunque dispositiones Parochialium ecclesiarum ab eisdem Episcopis, & Archiepiscopis, ac quibuscunque aliis collatoribus tam ordinariis, quam delegatis etiam S. R. E. Cardinalibus, ac sedis apostolicæ Legatis, vel Nunciis præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & esse, nullumque prouisis ius, aut titulum etiam coloratum possidendi præbere, & Parochiales ecclesias huiusmodi, vt prius ante collationes huiusmodi vaca

vacabant, exnunc vacare statuimus, decernimus, & declaramus, easque omnes pro tempore sic vacantes nostræ, & sedis apostolicæ, seu eorum quibus ius cõferendi eas, præterquam Episcopis, & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum eiusdẽ Concilij habere debent, competet, dispositioni reseruamus. Insuper ne Parochiales Ecclesiæ diu in suspẽso maneant in maximum animarum quarumcunq; Parochialium ecclesiarum, quarum dum pro tẽpore vacant, ad Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarcas & quosuis alios ordinarios collatores in mensibus ordinariis collatoribus etiam per nostras regulas assignatis prouisio, & collatio spectat, & pertinet, & quibus iidem Episcopi & ordinarij prædicti intra sex mensium spatium à die vacationis earundẽ perfecto examine iuxta formam Concilij Tridentini præfati non prouiderint, ac illarum etiam quarum collationes nobis, & dictæ sedi generaliter, vel specialiter, & ex quauis causa reseruatæ, seu affectæ existunt, aut aliàs ex indulto sedis apostolicæ competũt, ad quas occurrente illarũ vacatione Episcopi & Archiepiscopi præfati personas per examen concursu mutuo habito iuxta dicti Concilij Trid. formã approbatas, & magis idoneas non eligerint, aut electas nobis, vel successoribus nostris, aut iis, ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor mensium spatium à die illius vacationis non significauerint, necnon Parochiarium ecclesiarum similiũ, quæ Iurispatronatus ecclesiastici, vel aliorum seu clericorum & laicorum simul fuerint, si præsentatus intra tempus eisdem patronis à iure præfixum prævio examine iuxta formam dicti Concilij approbatus petatur institui, institutioque ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit, collationẽ, prouisionẽ, institutionem, ac omnimodã dispositionem nobis & ipsi sedi, ac personis indulta huiusmodi conferẽdi, prouidendi, seu instituẽdi obtinẽtibus respectiue reseruamus, data tam en in Parochialibus Iurispatro-

patus

natus optione ipsis patronis, vt si institutio ad ordinarios spectabit ipsis ordinariis illam facere negligentibus, & vltra dictos duos menses differentibus, possint pro huiusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad sedem apostolicam. Prohibentes etiã eisdem ordinariis ne tempus decem dierum eisdem ordinariis & patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, vltra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant. Districtius inhibentes, ne quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta huiusmodi obtinentes, vt præfertur, quacunque sit super hoc auctoritate munitus, de huiusmodi beneficiis sic reseruatis (vt præfertur) disponere, vel circa illa etiam per viam permutationis, vel alias innouare quoquomodo præsumat. Vt autẽ non solum dignis, sed magis idoneis repertis iuxta eiusdem Concilij decretum Parochiales ecclesiæ conferantur, volumus & eadem auctoritate decernimus quòd si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possint ij qui reiecti fuerint à mala electione huiusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem ordinarium vti nostrum, & sedis huiusmodi delegatum, aut alias ad ipsam sedem apostolicam appellare, ac præelectum ad nouum examen coram ipso appellationis Iudice, & eius examinatoribus prouocare, & constito de prioris eligentis irrationabili iudicio eoque reuocato, Parochialis magis idoneos per eundem iudicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum à quo appellatum fuit, spectaret) conferatur, alias eisdem magis idoneo per iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, prouisio, vel institutio spectabit. Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quominus electio per ordinarium primo loco facta inte

interim debitæ demandetur executioni, & prouisus ab eadem ecclesia causa appellationis huiusmodi dependente, non amoueatur. Et, si quis à sententia per iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad sedem ipsam apostolicam appellabit. Si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus, & inane. Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra, adhibeatur, quę præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque literæ ipsæ Cameræ, & Cancellariæ apostolicarum, & Audientiæ causarum Palatij apostolici valuis, & in acie campi Floræ dimissis inibi copiis publicatæ & affixæ omnes ita afficiant & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę declarationis, statuti, decreti, reseruationis, prohibitionis, inhibitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri, & Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1566. quintodecimo Kal. Aprilis, Pont. nostri anno secundo Cæ, Glorierius.

Visa de curia M. de Enciso. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, in dictione decima, die vero decimasexta mensis Maij, Pontificatus sanct. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius secundo, retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in retroscriptis locis, vt moris est per nos Alexandrum Astancollum & Io. Guerardum prælibati S.D.N. Papæ Curs.

Antonius Clerici Mag. Cursorum.

Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. super reseruatione beneficiorum.

PIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

CVm ex Apostolatus officio nobis (meritis licet imparib⁹) credito, cura Dominici gregis nobis immineat generalis, & exinde teneamur, more vigilis pastoris, vigillare, & attentius prouidere, vt Ecclesiis, Monasteriis, & quibusuis aliis beneficiis ecclesiasticis nunc & pro tempore, propter crimen hæresis, vacantibus, & vacaturis, tales viri eis præficiantur idonei, qui detestandas, ac nefarias hæreses, diabolo disseminante, contra veræ, & orthodoxę fidei puritatē exortas, de agro Domini extirpare, & populos sibi commissos ad catholicæ Ecclesiæ veritatem reducere, doctrina, verbo, & boni operis exemplo valeant: Præmissorum itaque consideratione inducti, & aliis ad id suadentibus rationabilibus causis, nonnullis etiam prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate, & deliberatione omnia, & singula beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumuis ordinum etiam sancti Ioannis Hierosolymitan. & aliarum quarumuis militiarum regularia quęcunque, & qualiacunque sint, etiam si sæcularia, canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis, vel collegiatis, & dignitates ipsæ in cathedralibus etiam Metropolitanis post pōtificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, Regularia vero beneficia huiusmodi monasteria etiam consistorialia, prioratus, præposituræ, præpositatus, dignitates etiam conuentuales, personatus, administrationes, vel officia etiā claustralia, ac hospitalia

lia & præceptoriæ, & alias quomodocunq; qualificata fuerint, ordinationi, & dispensationi nostræ, & sedis Apostolicæ hac perpetuo constitutione valitura auctoritate apostolica tenore præsentiū reseruamus. Declarantes omnes & quascunque impetrationes de beneficiis, vt præfertur, quomodocunque qualificatis certo modo in futurum faciendas, & obtinendas, beneficia huiusmodi propter hæresim vacantia, & in futurum vacatura non comprehendere, nisi specialiter, & dispositiue vacationis modus propter crimen hæresis expressus fuerit, & illū nullo modo sub quibusuis clausulis, & decretis comprehendi quantumcunque generalibus in quibusuis gratiis, & concessionibus per nos, & Romanos Pontifices successores nostros faciendis, etiam per fiat signatis, & concessis, ac decernentes omnes, & quascunque impetrationes de quibusuis beneficiis, vt præfertur qualificatis hactenus factas & obtentas, nisi earum vigore in iudicio per impetrantes crimen huiusmodi deductum fuerit, & super eo sententiam fauorabilem obtinuerint, vel dictorum beneficiorum possessionem assequuti fuerint, ad vacationem huiusmodi propter crimen hæresis se non extendere, & illum neminem comprehendere, sicque per quoscunque iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales iudicari, & interpretari debere, Irritum quoque, & inane, si secus per quoscunque quauis dignitate, & auctoritate præditos, iudicatum fuerit, decernimus. Volumus aūt, q̄ præsentes literæ in Cancellaria nostra Apostolica, & acie cāpi Floræ de more publicētur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæq; loca deferri, Volumus & etiā declaramus, q̄ earū trāsumptis etiā impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadē prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum

num liceat hanc paginam nostræ reseruationis, declarationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotētis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romę apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ. 1566. sexto Kal. Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

Cæ. Glorierius.

Visa de Curia Io. Rouetius. H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Locus † sigilli plumbei.

Anno à Natiuitate Domini 1567. Indictione decima, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris Pij Papæ quinti anno secundo, die verò xvij. mensis Februarij, retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Antonium Clerici, & Io. Andream Rogerium prædicti S.D.N.PP. Cursores.

Scipio de Octa. Mag. Curs.

Motus proprius S. D. N. D. Pij Papæ V. Confirmationis facultatum illustriß. & reuerendiß. P. Alexandro Riario Cameræ apostolicæ Generali Auditori concessarum.

PIVS PP. V.

MOtu proprio, &c. Cum, sicut nobis innotuit, fel. rec. Pius Papa iiij. prædecessor noster, tunc inhumanis agens in dilecti filij Alexandri Riarij tunc dicti prædecessoris, & Curiæ nostræ causarū Cameræ Apostolicæ generalis auditoris ad officium Auditoratus huiusmodi per ipsum prædecessorem tunc facta deputatione, quam plurima eidem Alexandro auditori concesserit priuilegia, prærogationes, facultates, & indulta pro administranda ad Dei laudem iustitia obligationum, ac contractuum tam in forma Cameræ apostolicæ, quam alias quomodocunque, & qualitercunque celebratorum, & celebrandorum exc

executione & alias prout in literis, & motibus propriis ab eodem Pio prædecessore nostro de super emanatis, ac etiam insuper quamplurima alia priuilegia, facultates prærogatiuæ, libertates, indulta, & alię gratiæ pro tempore existentibus eiusdem curiæ causarum Cameræ apostolicæ generalibus auditoribus & officialibus, atque Notariis eiusdem auditoriatus, tam forsan per dictum Pium quartum, quā Paulum secundum, Sixtum quartum, Iulium secundum, Leonem decimum, Clemētem septimum, Paulum iij. Iulium etiam iij. Paulum iiij. ac forsan alios Romanos Pōtifices prædecessores nostros, & pro tempore existentes sub diuersis formis, & tenoribus concessa fuerint, & sint, prout in motibus propriis supplicationibus & aliis literis desuper confectis dicitur contineri. Nos igitur, quorum mentis, & intentionis, ac enixæ voluntatis existit, vt priuilegia prædicta perpetuo inconcussa, & illæsa remaneāt, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruentur, ea potius augendo, quam diminuendo, eorundem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, tam eundem Alexandrum Riarium modernum auditorē nostrum, quam dilectos filios illius officiales, ac Notarios specialibus fauoribus, & gratiis prosequi voleñ. Motu simili, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium omnia, & singula, & quæcunque priuilegia, facultates, prærogatiuas, libertates, & indulta, ac alias spirituales, & temporales gratias tam præfato Alexandro per Pium quartum etiam circa executionem cōtractuum, in quibus proceditur executiue, vel procedi solet, quam pro tempore existentibus generalibus Auditoribus, & tribunali, ac officialibus eiusdem auditoratus tam coniunctim, quā diuisim per prænominatos prædecessores, necnon Sedem Apostolicam, ac alios quomodolibet sub quibusuis formis, & tenoribus, ac etiam sub quibusuis rebus, ac materiis, tam in genere, quam in specie, & tam per viam, & modum simplicis, vel nouæ con-

ceſſionis, quam confirmationis, & innouationis, vel aliis quomodolibet perpetuo confirmamus, approbamus, ac etiam innouamus. & quatenus opus ſit, reualidamus, illaq́ue omnia, & ſingula ab omnibus perpetuo, & inuiolabiliter, ac ad vnguem obſeruari volumus, decernimus, & mandamus. Et ita in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque iudices, & commiſſarios ordinarios, & extraordinarios, delegatos, & ſubdelegatos, quauis auctoritate fungentes, & functuros, etiam ſacri Palatij apoſtolici cauſarum auditores, &c. ac S.R.E. Cardinales &c. ſublata &c. iudicari, ſententiari, & diffiniri, ac obſeruari debere, necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis apoſtolicis, necnon in vniuerſalibus, prouincialibus, & ſynodalibus conciliis editis, & edendis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnõ etiam iuramento &c. roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, vſibus, ſtylis etiam per dictum Pium quartum editis, & factis, priuilegiis quoque, indultis, gratiis, prærogatiuis, reſcriptis, & motibus propriis, ac literis apoſtolicis quibuſcunque iudicibus, & perſonis, ac tribunalibus, & locis etiam circa obligationem in forma Cameræ, & contractuum, iuramentorum etiam per nos & ſeu dictos, & quoſcunque alios prædeceſſores noſtros, ac Sedem, & Cameram apoſtolicam, necnon aliis, & quibuſcunque etiam motu proprio &c. ac conſtitutionibus, &c. ac alias ſub quibuſuis tenoribus &c. forſan conceſſis, &c. quomolibet in poſterũ concedẽ. &c. quibus omnibus, & ſingulis & ſi de illis &c. eorum omnium tenores &c. pro expreſſis habentes, latiſſime hac vice ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe, & fore volumus, pariter & decernimus, necnon omnibus aliis, quæ ſupradicti prædeceſſores noſtri in gratiis per eos factis prædictis voluerunt non obſtare

obſtare, cæteriſq́ue contrariis quibuſcunque: Prouiſo quòd idem auditor Cameræ nunc, & pro tempore exiſtens obſeruet contenta, & ordinata in ſacroſancta Synodo Tridentin. Volumus autem præſentis noſtri Motus proprij ſolam ſignaturam ſufficere, & vbique fidem facere in iudicio & extra, regula contraria non obſtante, etiam abſque eo quòd per curſores præſententur.

Placet Motu proprio M.

Die trigeſima Ianuarij 1566. admiſſa eſt hæc Cædula Motus proprij ex decreto Cameræ collationata, & concordat. Hie. de Tarano.

Motus proprius S.D.N. D. Pij Papæ V. facultatis Illuſtriſſimo & reuerendiſſ. D. Iacobo Cardinali Sabello S.D.N. Papæ Vicario conceſſæ procedendi ad executionem obligationum in forma Cameræ inter perſonas Eccleſiaſticas.

PIVS PP. QVINTVS.

MOtu proprio &c. Conſiderantes varia diſpendia, & incommoda, quæ Eccleſiis monaſteriis, & aliis piis locis illorumque Rectoribus, Abbatibus, Archipresbyteris, Prioribus, Præpoſitis, & aliis beneficiatis in Alma Vrbe conſiſtentibus inferuntur, ſi ad diuerſa Tribunalia Vrbis euocari, & proprium Vicarij noſtri in dicta Vrbe Tribunal deſerere cogantur, & ob id ſæpe iura, & inſtrumenta, munimenta, & ſcripturæ bonorum eiſdem Eccleſiis, Monaſteriis, & locis piis deperduntur in detrimentum eorundem: Idcirco indemnitati eorum conſulere prout tenemur, & occurrere volentes, per facultatem, & poteſtatem dilecto filio Alexandro Riario cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori per felicis recordationis Pium Papam quartum prædeceſſorem noſtrũ ſub variis conceſſionibus conceſſã, & attributã quarũ omniũ tenores hic p̃ ſufficienter expreſſis etiã cũ

illarum Dat. haberi, seu inseri posse volumus, & decernimus, potestati, & iurisdictioni dilecti filij nostri Iacobi Tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin presbyteri Card. nostri in alma Vrbe, eiusque districtu Vicarij generalis circa personas ecclesiasticas. loca pia, illorumque bona, quæ iurisdictioni præfati Vicarij subsunt, etiam si inter eos contractus cum solita obligatione in forma Cameræ, seu Ripę & Ripettæ intercesserint, aliquod præiudicium factum non fuisse, sed quod idem Vicarius Cardinalis in omnibus, & per omnia procedere possit quo ad personas, & bona præfata prout ante eum cæteri Vicarij tępore quo Franciscus Albericus, & alij eiusdem Cameræ Auditores prædecessores in dicto Auditoriatus officio tunc fungebantur, procedebant, tenore præsentium auctoritate apostolica declaramus, & sic per quoscunque &c. sublata &c. irritum quoque &c. solamque præsentis nostri Motus proprij signaturam in iudicio, & extra etiam, absque illius registratura fidem facere regula contraria non obstāte decernimus. Non obstañ. constitutioñ. & ordinatioñ. apostolicis, & facultatibus, & indultis eidem auditori Cameræ concessis, cæterisq; contrariis nequaquam obstañ.

Placet Motu proprio. M.

Datum Romæ apud sanctum Marcum pridiæ Idus Septemb. anno I.

Edictum Super modo contrahendi matrimonia iuxta decretum Concili Tridentini.

CVm nouissime in sacrosancta œcumenica synodo Tridentina certus modus contrahendi matrimonia institutus fuerit, & aliter contracta matrimonia nulla, & irrita declarata ab eadem sancta synodo fuerint, prout latius in decreto sessione xxiiij. ca. j. de reformatione matrimonij, cuius tenor sequitur, & est talis, videlicet.

Tametsi

TAmetsi dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata, & vera esse matrimonia, quandiu ecclesia ea irrita non fecit, & proinde iure damnandi sint illi, vt eos sancta synodus, Anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse, nihilominus sancta Dei ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque, prohibuit. Verùm, cum sancta synodus animaduertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, & grauia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt: cui malo cum ab ecclesia quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur. Idcirco sacri Laterañ. Concilij sub Innocentio iij. celebrati vestigiis inhærendo, præcipit, vt in posterum antequam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festiuis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum impedimentum opponatur, ad celebrationem matrimonij in facie ecclesiæ procedatur, vbi parochus viro, & mulliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vel aliis vtatur verbis iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum. Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus, matrimonium cele-

bretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in ecclesia fiant, vt, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio sancta synodus relinquit. Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. Insuper parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine parocho, vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes grauiter arbitrio ordinarij puniri præcipit. Præterea eadem sancta synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent. Statuitque benedictionem à proprio parocho fieri, neque à quoquam nisi ab ipso parocho, vel ab ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij sacerdoti concedi posse, quacunque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio non obstante. Quòd si quis parochus, vel alius sacerdos siue regularis, siue sæcularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneant, quamdiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Habeat porochus librũ, in quo coniugum, & testium nomina, diemque & locum contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta synodus coniuges hortatur, vt, antequam contrahant, vel saltem triduo

triduo ante matrimonij consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie accedant. Si quæ prouinciæ aliis vltra prædictas laudabilibus consuetudinibus, & ceremoniis hac in re vtuntur, eas omnino retineri sancta synodus vehementer optat. Ne vero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, ordinariis omnibus præcipit, vt quamprimum poterint curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum diœcesum parochialibus ecclesiis. Idque in primo anno quam sæpissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.

NOs igitur volentes, vt par est, decretum huiusmodi obseruari, & suos de iure debitos effectus sortiri, vobis, & singulis omnibus Rectoribus, Vicariis, & curam animarum gerentibus, in quibusuis Patriarchalibus, collegiatis, & parochialibus ecclesiis, illorumque rectoribus, præpositis quocunque nomine appellentur, tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ, ac pœnis arbitrio nostro imponendis præcipimus, & monemus primo, secundo, tertio, & peremptoriæ, quatenus visis præsentibus, decretum præfatum in vestris ecclesiis, vbi multitudo fidelium adfuerit, intra missarum solemnia publicetis, & nuncietis proxime sequentibus, ita vt ad cuiuscunque parochianorum vestrorum notitiam verisimiliter peruenire possit, & deinde etiam singulo quoque die Dominico primo cuiuscunque mensis præsentis anni, ac illud, & omnia in eo contenta iuxta illius formam, & continentiam obseruari mandetis. In quorum omnium, & singulorum fidem, robur, & testimonium præsentis fieri, & per notarium nostrum coram nobis scribam infrascriptum subscribi, sigillique nostri, quo in talibus vtimur, iussimus impressiõe

communiri. Datum Romæ in ædibus nostris sub anno à natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1564. indictione septima, die vero xxij. Martij, Pont. sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Pij diuina prouidentia PP. 4. anno 5.

Iacobus Cardinalis Sabellus Vicarius.

Bulla S.D.N. Pij diuina prouidentia Papæ V. Prohibitoria, ne ciuitates, & loca S. R. E. posthac infeudentur.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ADmonet nos susceptæ cura regiminis vniuersalis ecclesiæ, cui, auctore domino, præsidemus, vt Ciuitates, Terræ, Oppida, & loca nobis, & sedi Apostolicæ in temporalibus mediate, & immediate subiecta perpetuo in iure, dominio, & proprietate, ac possessione dictæ sedis conseruentur. Sane, licet nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri per eorum Constitutiones rerum ecclesiasticarum alienationes prohibuerint, & iam factas reuocauerint, & annullauerint: nihilominus cum retroactis temporibus nonnulli nimium ambitiosi, & dominandi cupidi sub variis prætextibus, coloribus, & causis sæpe etiam falsis (quod non sine maximo animi nostri mœrore referimus) aliquibus Rom. Pont. suggestionibus, & insinuationibus suis conati sint ostendere, & persuadere magis vtile, & expediens sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sedi præfatæ fore, si aliquæ Ciuitates, Terræ, Oppida, Castra, Arces, & loca ad ius, & proprietatem eiusdem sedis pertinentia in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemuis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut alias ad longum tempus

concederentur, vel etiam ex eo, quod alias in feudum data, aut quouis alio titulo huiusmodi alienata fuerint, & propterea tanquam ad sedem prædictam deuoluta, vel deuoluenda posse, & debere de iure iterum infeudari, & alienari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, & concessiones à sede Apostolica emanasse: ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solum patrimonij, sed etiam existimationis recepisse dignoscitur: Hinc est quòd nos considerantes omnium Ciuitatum, & locorum prædictorum singularem fidem, & promptam deuotionem eidem sedi exhibitam omni tempore valde vtilem, & salutarē fuisse & esse: cvolentes non solū alienationes huiusmodi, quas tempore nostro omnino exulare intendimus, de medio tollere, & quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus ante Domini Nostri Iesu Christi in examine diei magni aduentus Tribunal villicationis nostræ rationem reditcuros nos esse, sed vt omnis alienationum huiusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur, quantum cum Deo possumus, per amplius prouidere, Constitutionibus prædecessorum nostrorum huiusmodi etiam inhærendo, illasque innouando, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, & de apostolicæ potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Card. in consistorio nostro secreto consultatione matura, de eorum consilio, & vnanimi assensu (qui etiam iurauerunt præsenti constitutioni non contrauenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præsentium attentantibus consentire, & absolutiones à iuramento huiusmodi non petere, nec acceptare) hac nostra perpetuo valitura constitutione decernimus, & declaramus Ciuitates, & loca prædicta etiam hactenus in feudum, aut quemuis alienationis titulum dari solita,

vel consueta ad nos, & sedem præfatam quomodolibet deuoluta, & pro tempore deuoluenda, absque alia vlteriori declaratione, & illorum possessionis apprehensione eo ipso sedi, & Cameræ apostolicæ incorporata, ac ad ius, & proprietatem, & dominium pristinum, ac possessionem rediisse censeri, perinde ac si per quadraginta annos, & vltra ciuitates, & loca præfata à nobis, & sede præfata immediate possessa, & nunquam in feudum, aut alium titulum concessa fuissent. Statuimúsque & decernimus, quòd omnes, & singulæ tam Communitates, & vniuersitates, quam Ciues, & Incolæ ciuitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, aliæque quæcúmque personæ tam ecclesiasticæ, quam sæculares cuiusuis dignitatis, & ordinis etiam Episcopalis, vel maioris existentes, ac S.R.E. Cardinales, tam publice in consiliis Ciuitatum, & locorum præfatorum, quam priuatim alibi in quibusuis locis, etiam si Ciuitatum, & terrarum earundem Gubernatores, aut nostri, & Sedis apostolicæ Legati, vel prolegati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus de Ciuitatibus, & locis præfatis immediate ad nos, & sedem præfatam spectantibus, & pertinentibus, etiam deuolutis, etiam in feudum communiter, & pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis, vel sub annuo censu, aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga sedem præfatam, aut sub prætextu necessitatis, vel euidentis vtilitatis faciendis, seu de postulandis à nobis, & sede præfata quibusuis personis cuiusuis dignitatis, status, gradus, etiam nobis, & successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam S.R.E. Cardinalibus, aut quauis alia temporali, vel ecclesiastica dignitate fungentibus in Duces, Vicarios, gubernatores, seu quemuis alium titulum ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam ad sedis apostolicæ beneplacitum, ciuitatum

& loco,

& locorum præfatorum, ac propterea de eligendis oratoribus ad nos, & successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponẽtes, tam ipsi, quam Oratores munus huiusmodi recipiẽtes, aut alij quicunque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti per se, vel aliũ, seu alios insinuantes, vel suadentes, eo ipso sententiã excommunicationis incurrant, à qua nisi ab ipso Põtifice, præterquam in mortis articulo, absolui nequeant: Et insuper S.R.E. & sedis Apostolicæ præfatę rebelles, etiam in primo capite læsæ maiestatis, & proditores Ciuitatum, & locorum præfatorum, ac bona eorum fisco, & Cameræ nostræ Apostolicæ ipso iure deuoluta, & incorporata sint, & esse censeantur, omnibusque ecclesiis, Monasteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis ecclesiasticis eo ipso priuati, & ad illa, ac alia in posterum obtinenda inhabiles existant, neque ad Ciuitates, & loca præfata vllo vnquam tempore remitti possint: Et si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illisque bonorum, & dignitatum portæ perpetuo claudantur. Et quoniam intelleximus aliquos etiam Cardinales, Ciuitates, Terras, Oppida, Castra, Arces, & loca ad vitam, seu tertiam, vel aliam generationem, aut alias à dicta sede, etiam ex causa onerosa, obtinere, habere, & possidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quòd ab eis amoueri nõ possint, nisi restitutis sibi prius pecuniis in melioramenta huiusmodi expositis, omnes, & singulas facultates faciendi melioramenta præfata quibusuis personis etiam Cardinalibus per eosdem prædecessores nostros, aut alios ad id facultatem habentes quomodolibet concessas harum serie reuocamus, & annullamus, & nemini deinceps suffragari posse, neque debere, ac cuicũque facultatem faciendi melioramenta huiusmodi habenti illa etiam pro munitione, & tuitione, nisi ex causa necessariæ conseruationis locorum eorundem facta fuerint, post publica-

tio

tionem præsentium facere omnino interdicimus, ac prohibemus: & si secus à quoquam factum, attentatumue fuerit, melioramenta quæcunque per eos cõtra tenorem præsentium facta locis ipsis cedere, & Cameram ad illorum satisfactionem minime teneri, & obligatam esse volumus, & declaramus. Decernẽtes præsentes literas sub quibusuis reuocationibus, cessationibus, & derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus sub quibusuis tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis minime comprehẽdi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & de nouo concessas esse, & censeri debere, irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac Ciuitatum, & locorum prædictorum iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscũque. Sic igitur deuotionis, & fidei constantia Ciuitatum, & locorum prefato rum erga nos, & successores nostros, & eandem Romanam Ecclesiam perseueret, vt merito integritatis virtus maiora beneficia ab eadem sede consequi mereatur. Volumus autem quòd sicut omnes, & singuli Cardinales præsentes constitutionem huiusmodi, quantum in eis erit, obseruare, illique non contraeuenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, aut absolutionem à iuramento præstito non petere, nec oblatam, aut concessam acceptare in Consistorio nostro secreto promiserunt, & iurarunt, idem per absentes Cardinales à Cõsistorio, in habitatione eorũ, & à Romana Curia, vt quandocunque ad eãdem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in assumptione pilei promitti, & iurari debeat, ac promissionem, & iuramentum huiusmodi in formula iuramenti per eosdem Cardinales præstari soliti

soliti adiungi, & inscribi debere, ac contra facientes pœnam periurij, & perpetuæ infamiæ iuris, & facti eo ipso incurrere decernimus. Præterea quòd ipsi Cardinales, occurrente apostolicæ sedis vacatione in Conclaui quando de obseruandis literis Iulij PP. II. prædecessoris nostri super electione Rom. Pontificis, & aliis constitutionibus iuramentum præstare solẽt, etiam de inuiolabiliter obseruanda præsenti cõstitutione nostra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idẽ ad summi pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem hoc ipsum promittere, ac iurare, & deinde post coronationem suam promissionem, & iuramentum huiusmodi per literas suas speciales harum cõfirmatorias reiterare debeat. Quod si illud à Pontifice (quod credendum non est) recusabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Consistorio secreto, & præcipue eorum Decanus, & capita ordinũ apud eum omni cum instantia, & instantissime pro præsentium obseruatione petere, & rogare, ac obtestari non cessent, idque vt omnino efficiat, diligentissime curare studeãt, statuimus, & ordinamus: Quodque præsentes literæ in libellum redigantur, & post prædictas Iulij literas, quæ in dicto Conclaui legi solent, inter alias constitutiones nostras adiungantur, & etiam in Quinterno Cancellariæ Apostolicæ cum aliis extrauagantibus nostris describantur, ac ad valuas Basilicæ beati Petri principis Apostolorũ, & in Cancellaria nostra apostolica, ac acie Campi Floræ publicentur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, decernimus etiam, & declaramus, quòd earum Transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius prælati munitis eadem prorsus fides vbique in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, reuocationis, decreti, statuti, interdicti,

cti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingẽtesimo sexagesimoseptimo, quarto Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno secundo.

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego F. Card. Pisanus Episcopus Ostiensis.
† Ego Ioan. Moronus Episc. Portuen.
† Ego Christo. Card. Madruc. Episc. Præ.
†
† Ego A. Card. Farnesi. Episc. Tusc. Vic.
† Ego Ioan. Mt. Card. Saracen. Episc. Sabin.
†
†
†
† Ego Fol. Card. Perus.
† Ioan. Cardinalis Politianus.
† Ioan. B. Cicada Cardinali S. Clementis.
† B. Cardinalis Tranen.
† Scipio Cardinalis Pisarum.
† Ioan. Cardi. Capisuccus.
†
† Ego Clemens Card. Aræcœli.
† Ego Ia. Cardinalis Sabellus.
† Ego Ioan. Anto. Card. S. Georgij.
† Aloysius Card. Cornelius.
† B. Cardinalis Saluiatus.
† Ego Phi. Card. à Burd esia.
†
† Ego Lud. Card. Simoneta.
† Ego Ant. Card. Granuelanus.

† Ego

† Ego F. Cardinalis Paciecco.
† Ego Marcus Ant. Card. Amulius.
† Ego Hieronym Card de Corrigio.
† Ego Ioan. Franciscus Card. de Gambara.
†
†
†
† Ego N Card. de Sermoneta.
† Ego Hipp. Card. Ferrarien.
† Ego Iunicus Aualos Card. Arag.
† Ego Marcus Ant. Card. Columna.
†
†
†
†
†
† Ego Ioan. Franciscus Card. Comendon.
† Ego Marcus Anto. Cardin. Bobba.
† Ego Hugo Boncompag. Card. S. Sixti.
† Ego Alexander Cardinalis Sfortia.
†
† Ego Alexander Card. Cribellus.
† Ego Franciscus Abundius Card. Cast.
†
† Ego Benedictus Card. Lomelinus.
† Ego Gulielmus Cardina. Sirletus.
†
† Ego F. M. Cardinalis Alexandrin.
†
†
† Ego Hierony. Card. Simoncellus.
† Ego Vitellotius Card. Vitellius.
† (S. R. E. Cam.
†
†
† Ego F. Cardin. Alciatus.
†
†

†

†
†
† Ego N.Card.de Sermoneta. Cæ.Glorierius.
Registrata apud Cæsarem Secretarium. H.Cumyn.

Anno à Natiuitate D N.Iesu Christi 1567.indictione decima, die verò vigesimatertia mẽsis Maij. Pontificatus sanctiss.in Christo Patris, & D.N.Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno eius secundo, retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas principis apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ,ac in acie Campi Floræ per nos Io. Andream Rogerium,& Nicolaum de Matthęis sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Antonius Clerici Mag. Cursorum.

Bulla S.D.N.Pij diuina prouidentia Papæ V. super celebratione festiuitatis Angelici doctoris sancti Thomæ de Aquino.

PIVS, Episcopus seruus seruorum Dei,ad perpetuam rei memoriam.

MIrabilis Deus in sanctis suis: qui se daturum illos in laudem,& gloriam,& honorem prophetæ ore promisit: vt, quos sicut Sol in conspectu suo fulgentes ob merita sanctitatis coronat in cœlo: admirabiliter etiam honoraret in seculo: & in eo, quod illis tribui iubet laudis,& venerationis officio, debitum quoque maiestati suæ honorem, & gloriam agnosceret. Quorum non modo vitam, sed mortem, sepulchra, monumenta, reliquia & imagines,ad catholicę fidei confirmationem, & ad confusionem hæreticæ prauitatis, vt felicius etiam quam in presẽti vita,doceret viuere mortuos,qui in domino moriuntur,sæpissime dignatus est decorare,& illustrare miraculis. Ex quo Sanctorum laudabili numero, qui catholicam veritatem corde, opere, & ore roborarunt, angelici doctoris sancti Thomæ de Aquino ordinis fratrum Prædicatorum in cœlum assumptio, multis ante

ante annis, orbi terrarũ & diuinis, & propriis est cõ probata testimoniis. Nã & miraculorũ signis quibus serui sui Thomæ perpetua veræ pietatis opera nobilitare voluit inexausta Dei benignitas, & certissima Christianę regula doctrinæ,qua S.Doctor Apostolicã Ecclesiam, infinitis confutatis hæresibus, illustrauit, adductus felicis recordationis Ioãnes xxij.prædecessor noster, illo in sanctorum numerum relato, eius diem festum Nonis Martij, quo die nunc etiam colitur,anniuersario honore celebrari iussit. Sed quoniam omnipotẽtis Dei prouidẽtia factum est, vt Angelici Doctoris vi,& veritate doctrinæ,ex eo tempore, quo cœlestibus ciuibus ascriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ & conuictæ dissiparentur, quod & antea sæpe, & liquido nuper in sacris Tridentini Concilij decretis apparuit, eiusdem memoriam, cuius meritis orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur,maiore etiam quam antea grati, & pij animi affectu colendam statuimus. Quod officium nostrum præter beneficia ex illius salutari disciplina in dies magis profecta in sacrosanctæ Ecclesiæ filios,ad quorũ pastoralem, paternamque curam Dei benignitati humilitatem nostram placuit euocare, postulat etiam aliqua ex parte eiusdem ordinis Prædicatorum communio, & societas, vnde, licet imparibus meritis nos etiam, tanquam ex fonte profluximus. Itaque primum vt in Ciuitate & Regno Neapolitano, quod in eam prouinciam, quæ ad salutarem omnium gentium institutionem,ex nobilissima familia Aquinatæ, clarissimum hoc edidit Ecclesiæ Dei lumen, tantum inde laudis, decorisque diuina bonitas redundare voluerit, de venerabilium fratrum nostrorum S. R.E. Cardinalium consilio atque vnanimi assensu ipsa die nonarum Martij, qua præstantissimus Doctor migrauit in cœlum, posthac semper vniuersi vtriusque sexus ab omnibus vetitis, ac seruilibus operibus, laboribusque abstinentes, festum diui Thomæ solemniter sub duplici maiori

officio ſicut cæteras eius generis ſolemnes feſtiuitates, quæ de ipſius Eccleſiæ præcepto ſeruantur, in aliis autem orbis terræ partibus, quemadmodum ſanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum feſtiuitates piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri præcepto celebrantur, ſic eundem feſtum diem S. Thomæ in perpetuum poſthac omnes item vtriuſque ſexus Chriſtifideles celebrent, & venerentur, apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ac ſancimus. Vt vero etiam memoriæ S. Doctoris maiori ſtudio, ac pietate cultus, & debita veneratio adhibeatur, de omnipotentis Dei, ac beatorum apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, omnibus vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere penitentibus, & confeſſis, qui in ipſo S. Thomæ feſtiuitatis die, ſacellum, vel altare in Eccleſia S. Dominici Neapolitan. ſitum, in quo ſcriptoris angelici doctrina Saluatoris Crucifixi ore (ſicuti pia teſtatur hiſtoria) mirabiliter probata fuit, a primis eius diei veſperis vſque ad occaſum ſolis deuote viſitauerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, in cæteris autem orbis terræ partibus iis, qui eundem feſtum diem, vt præfertur, ſolemniter celebrauerit, & ad eccleſiam, quæ apud eos fuerit, vel ſacellum, aut altare ſub eiuſdem S. Thomæ inuocatione, pie, ac deuote acceſſerint, quoties id fecerint, toties centum dies de iniuncta ipſis penitentia per præſentes literas in perpetuum valituras, quas ſub aliis cuiuſcunque generis indulgentiarum conceſſionibus, & illarum reuocationibus nullo modo comprehendi volumus, miſericorditer in Domino relaxamus. Et, quia difficile eſſet has ipſas literas ad ſingula orbis terrarum loca peruenire, volumus, & auctoritate apoſtolica decernimus, vt earũ exemplis etiam impreſſis manu notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius prælati munitis, vbique locorum, & gentium in iudicio, & extra eadem prorſus fides adhibeatur, quæ iis ipſis, ſi exhibitæ eſſent, iure ab omnibus exhiberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam

ginam noſtræ ſanctionis, voluntatis, relaxationis, ſtatuti, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, tertio Idus Aprilis Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

† Ego F. Card. Piſanus Epiſc. Oſtien.
† Ego Ioan. Card. Moronus Epiſc. Portuen.
† Ego Chriſto. Card. Madruc. Epiſc. Præſ.

† Ego A. Card. Farneſ. Epiſc. Tuſc. Vic.
† Ego Ioan. Mi. Card. Saracen. Epiſc. Sab.

† Ioan. Cardinalis Politianus.
† Ioan. B. Cicada Cardinalis S. Clementis.
† B. Cardinalis Tranen.
† Scipio Cardinalis Piſarum.
† Ioan. Cardinalis Capiſuccus.
† Ego Clemens Cardinalis Aræcœli.
† Ego Ia. Cardinalis Sabellus.
† Ego Ioan. Ant. Cardinalis S. Georgij.
† Aloyſius Cardinalis Cornelius.
† B. Cardinalis Saluiatus.
† Ego Phil. Cardinalis à Burdeſia.
† Ego Lud. Cardinalis Simoneta.
† Ego Ant. Cardinalis Granuelanus.
† Ego F. Cardinalis Paciecco.
† Ego Marcus Ant. Card. Amulius.
† Ego Hieronym. Card. de Corrigio.

†Ego Io. Franciſcus Car. de Gambara.
†Ego Hipp. Card. Ferrarien.
†
†
†
†Ego Io. Franciſcus Car. Comendon.
†Ego Marcus Anto. Cardin. Bobba.
†Ego Hugo Boncompag. Car. S. Sixti.
†Ego Alexander Cardinalis Sfortia.
†
†Ego Alexander Card. Cribellus.
†
†
†Ego Benedictus Car. Lomellinus.
†Ego Gulielmus Cardin. Sirletus.
†
†
†Ego F. M. Cardinalis Alexandrin.
†
†
†Ego Hierony. Card. Simoncellus.
†Ego Vitellotius Cardin. Vitellius. S. R. E. Cam
†
†
†Ego F. Cardinalis Alciatus.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1567. indictione decima, die verò xxx. menſis Iunij, Pontificatus ſanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno ſecundo, retroſcriptæ literæ lectæ, publicatæ, & affixæ fuerunt in valuis S. Petri de vrbe, & S. Io. Laterani & Cancellariæ Apoſtolicæ, per nos Io. Andream Rogerium, & Chriſtianum de Monte prælibati ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſores.

Camillus Cherub. Mag. Curſorum.

Motus

Motus proprius S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Reuocationis quorumcunque Commiſſariorum ad quæcunque onera Cameralia, aut alia, Sedem & Cameram Apoſtolicam concernentia, exigenda.

MOtu proprio, &c. Cum, ſicut nobis innotuit tam ſuper ſubſidij Triennalis, quatreni carnis, & ſpoliorum, ac confiſcationum, & aliorum Cameræ Apoſtolicæ iurium, necnon etiam Gabellarum, vectigalium, datiorum, & aliorum ab eadem camerâ, & ſancta ſede apoſtolica ſeu illarum intuitu, pro tempore impoſitorum onerum exactionibus, quam etiam ſuper viarum, pontium, tranſituum, paſſagiorum, aquæductuum, & murorum reparatione, & manutentione, ac ciuitatum, oppidorum, caſtrorum, terrarum, & locorum noſtri ſtatus eccleſiaſtici fabrica, & fortificatione, necnon ſuper fraudibus annonæ, & vſuraria prauitate, aliiſque rebus, & negotiis publicis, aut alias cameram, & ſedem apoſtolicas prædictas, vel aliquod illarum intereſſe ſaltem aliqua ex parte tangentibus, vel concernentibus, multi, ac diuerſi Commiſſarij à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pōtificibus pro tēpore exiſtentibus, ipſiuſque ſedis etiam de latere legatis, ac prouinciarum ciuitatum etiam almæ Vrbis Gubernatoribus, & etiam à noſtro & S. R. E. Camerario, Cameræ apoſtolicæ Clericis, Theſaurario, Præſidentibus, dictæ cameræ ſpoliorum, & aliorum iurium ipſius Cameræ Collectore generale Depoſitario Præfecto Annonæ, redituum dictæ Cameræ conductoribus, & appaltatoribus aliiſque perſonis ad id forſan facultatem habentibus, partim ad vitam, partim ad beneplacitum, & partim ad aliud etiam forſan perpetuum tempus, ac alias diuerſimode in noſtro ſtatu, & dominio eccleſiaſtico, ac alibi paſſim deputati exiſtant & reperiantur, & ex huiuſmodi Commiſſariorū deputationibus, qui munera ſibi iniuncta acerbius, quam par ſit, exercendo, & etiam proprio commodo, & peculiari lucro, præter, & vltra modum

inhiare dicuntur, multa, & grauia, variaque damna, iniuriæ, vexationes, extorsiones, & grauamina prouincialibus, & aliis subditis nostris, aliisque personis quotidie inferri audiantur, eorumque prouincialium, & subditorum, ac aliarum personarum huiusmodi oneri, atque labori succumbentium, & ad nos vti pium patrem assidue, & dietim clamantium, & recurrentium voces, & querelæ nostris in dies auribus resonare non cessent: Nos, quorum intentionis, ac mentis semper fuit, & est, vt probi, & sinceri quique, & timoratæ, illibatæque conscientiæ homines ab huiusmodi Commissariatuum officia destinarentur, & destinentur, ipsique Commissarij subditos nostros, & quoscunque alios cum ea, qua fieri potest lenitate, clementia, benignitate, & beneuolentia tractent, atque prosequantur, & nihil ab eis præter iuris, & æquitatis debitum exigant, vel extorqueant, & sanctæ, piæque matris Ecclesiæ iugum suaue, & onus leue sentiant, memores quoque, quòd propter improbos officiales, Princeps quantumlibet bonus, & integer male audire consueuit, Volentes probitate, & integritate præditos viros ad huiusmodi munera deinceps deputare, & propterea in præmissis pro nostri pastoralis officij debito opportune prouidere, Motu simili, & ex certa scientia, maturaque animi nostri deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, omnes, & singulos, ac quoscunque Commissarios quouis nomine nuncupatos tam super subsidij triennalis, quatreni carnis, & spoliorum, ac confiscationum, & aliorum Cameræ Apostolicæ iurium, necnon etiam gabellarum, vectigalium, datiorum, & aliorum quorumcunque ab eadem camera, & dicta sede apostolica, seu alias illarum intuitu nunc, & pro tempore impositorum onerum exactionibus, quam etiam super viarum, pontium, portarum, transituum, passagiorum, aquæ ductuum, & murorum reparatione & manutentione, ac Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, arcium, castrorum, & quorumuis aliorum locorum

corum nostri status ecclesiastici fabrica, & fortificatione, necnon super fraudibus annonæ, & vsurariæ prauitate, aliisque omnibus & singulis, ac quibuscunque rebus, & negotiis publicis, aut alias cameram, & sedem prædictas, vel aliquod earum interesse quomolibet tangentibus, vel concernentibus (exceptis tamen Commissariis ad reddendum ius, & ad iustitiæ cognitionem, & executionem deputatis, qui tamen non possint, nec debeant, nisi vnum scutum ad plus pro quolibet die recipere) tam à quibuscunque Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quam alias à sede, & camera prædictis, ipsiusque sedis etiam de latere Legatis, Gubernatoribus, Camerario, Cameræque apostolicæ Præsidentibus, & Clericis, Thesaurario, Collectore spoliorum, & iurium eiusdem Cameræ depositario, præfecto annonæ, conductoribus, & appaltatoribus præfatis, ac quibuscunque aliis personis quauis dignitate fulgentibus & fungentibus nomine sedis, vel cameræ prædictarum, & alias quomodolibet in vniuerso nostro statu ecclesiastico præfato, ac alibi vbilibet tam ad vitam, quam ad beneplacitum, & quoduis aliud etiam perpetuum tempus, necnon tam per apostolicas etiam in forma Breuis, aut sub plumbo expeditas, quam patentes, & etiam Camerales, ac sacri venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium collegij, & quascunque alias literas, vel etiam per publica instrumenta, ac alias quomodocunque, & qualitercunque hactenus deputatos, destinatos, & etiam transmissos, ac illorum deputationes &c. huiusmodi sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis etiam vim stipulati, & iurati contractus inducentibus, ac etiam cum expressione, quòd reuocari &c. non possint etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam

consistorialiter, & de dictorum Cardinalium consensu, ac alias quomodolibet factas, necnon literas, & instrumenta desuper, vt præmittitur, ac alias quomodolibet confectas, Motusque proprios, & supplicationes desuper etiam dictorum nostrorum prædecessorum manibus signatos, & signatas, ac in eis contenta quæcunque, illarum, & illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbũ insererentur præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac insertis habentes, etiam si illæ, & illa ex quauis causa legitima etiam onerosa emanauerint, apostolica auctoritate ex nunc perpetuo reuocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, ac ex nunc reuocatos, &c. reuocatásque &c. ac reuocata &c. fore, & esse nulliúsque roboris, vel momenti, seu auctoritatis amplius existere decernimus, & declaramus. Et nihilominus, Quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus nulli similes, vel dissimiles commissarij, nisi per speciales, & expressas nostras, & eorundem successorum in forma breuis expeditas, aut cameræ apostolicæ patentes literas, quæ si manu dilecti filij moderni, vel pro tempore existentis Præsidentis cameræ prædictæ signata fuerint, nostris mandato, & intentione emanasse intelligentur, deputari, & destinari possint, ac aliter deputati, & transmissi eo ipso à nobis reuocati sint, & esse censeantur, perpetuo statuimus, & ordinamus. Districtius inhibentes eisdem Camerario, Præsidentibus, & Clericis, necnon Legatis, & aliis omnibus supranominatis, & quibusuis aliis personis cuiuscunque dignitatis &c. existentibus, & quacunque auctoritate fungentibus, ne ex nunc in posterum vllos huiusmodi Commissarios, nisi de expressis ordine, & mandato, ac certa scientia nostris, & dictorum successorum nostrorum, ac alias, vt præfertur, deputare, destinare, vel transmittere audeant, seu præsumant, Decernentes quascunque Commissariorum huiusmodi deputationes &c. alias quam, vt præfertur, deinceps pro tempore factas, nullas, & inanes existere,

existere, ac fore, & pro infectis omnino haberi. Sicque in præmissis omnibus, & singulis ab omnibus censeri, ac ita per præfatos, & quoscunque alios iudices &c. sublata &c. iudicari &c. debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his &c. contigerit attentari. Mandantes nihilominus Camerario, Præsidentibus, Clericis, Legatis &c. & aliis quibuscunque supradictis, cæterisque, ad quos spectat, & pertinet, ac spectabit, & pertinebit, quatenus præsentem nostrum Motum proprium perpetuo obseruent, & obseruari faciant inuiolabiliter, & ad vnguem, Contradictores &c. compescendo, inuocato etiam, seu adhibito auxilio brachij secularis. Et nihilominus omnes, & singulas Communitates, & Vniuersitates, ac alios quoscunque Ciuitatum, Castrorum, Terrarum, Oppidorum, Villarum, & locorum nobis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectorum habitatores, & incolas, necnon illorum Rectores, Præfectos, Potestates, Officiales, & negotiorum gestores, alioſque illorum deputatos, & deputandos, cæterósque, ad quos spectat, & spectabit in Domino hortamur, & paterne monemus, eisque sub indignationis nostræ, & pecuniariis, aliisque nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici bene visis pœnis arbitrio nostro, & illius declarandis, & exigendis, præcipimus, & mandamus, vt omnia, & singula onera, impositiones, & alia quæcunque iura Cameralia nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici, ac sedi apostolicæ quomodolibet pro tempore debita absque vlla mora, & contradictione loco, & tempore debitis integre persoluant realiter, & cum effectu, nec se prætextu præsentis nostræ constitutionis à facienda solutione huiusmodi excusent, aut difficiles reddant, ne alias desuper oportuna remedia adhibere cogamur. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, prouincialibusque, synodalibus, & municipalibus, necnon etiam iuramento &c. roboratis statutis &c. etiã Cameræ apostolicæ &c. priuilegiis quo-

que indultis,& literis apostolicis &c. sub quibuscunque tenoribus &c. etiam motu proprio &c. ac consistorialiter &c. & alias in contrarium quomodolibet concessis &c. ac concedendis &c. Quibus omnibus etiam si de illis &c. eorum tenores &c. latissime hac vice derogamus. Cæterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis. Volumus autem præsentis nostri Motus proprij solam signaturam sufficere, & vbique fidem facere in iudicio, & extra, regula contraria non obstante. Et nihilominus literas desuper etiam per Breue nostrum simul,vel ad partem expediri posse latissime extenden.

Placet Motu proprio M.

Die vigesimanona Maij 1567. admissa, & registrata fuit hæc cedula Motus proprij libro primo signaturarum S.D.N. D. Papæ apud me infrascriptum Cameræ apostolicæ Notarium fo.5.ex decreto Illustrissi. & Reuerendissi. D. mei Vitellotij Cardinalis Camerarij.

Andreas Martini.

Motus proprius S.D.N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. super declaratione alterius Motus proprij fel.rec. Pij Papæ iiij. quòd banniti non audiantur nisi prius in carceribus constituti.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio &c. Licet alias fel. rec. Pius Papa IIII. prædecessor noster Motu proprio, & ex eius certa scientia sua, perpetuo valitura constitutione sanciuerit, nullum ab homicidio, seu alio quouis crimine, pro quo pœna corporalis veniret imponenda ex aliqua causa, vel quia bannitum occidisset, seu ab alio banniti occisore iuxta formam proclamatum, & bannimentorum id permittentium, vel constitutionum desuper editarum nominatus fuisset, siue etiam quia ab ipso occisus, bannitus, & condemnatus extitisset, & impune ex dispositione dictorum procla

proclamatum,& Bannimentorum, seu constitution. occidi potuisset se absolui debere prætenden.seu pro homicidio,aut alio crimine per eum commisso bannitus,& condemnatus foret, siue nondum bannitus & condemnatus,nec inquisitus existeret,per se vel aliam personam pro eo quomodolibet comparen.ad absolution.petendum admitti,vel audiri posse nisi se prius in carceribus constituisset, & defuncti hæredes ab ipso citati fuissent. Et in euentum quòd quis ab homicidio per eum commisso ex eo quod alium bānitum occidisset, vel ab alio banniti occisore nominatus foret,se absolui obtineret,eum nihilominus ad locum,in quo occisi hæredes commorantur, quousque ab illis pacem obtinuisset, exulare debere,neque ad eum locum aliter,nisi pace ab illis habita, remitti posse perpetuo statuerit, & ordinauerit, inhibens nihilominus omnibus, & singulis iudicibus tam sæcularibus quam ecclesiasticis, etiam nostris de latere legatis sub indignationis sententiæ pœna, ne contra constitutionis huiusmodi tenorē de cætero quēpiam sic vt præmittitur se absolui petentem nisi in carcere constitutū quomodo audiant, vel admittāt, & vbi secus fecerint taliter per eos habitos processus, & sententias desuper latas nullius fore momenti, ac nullitatis vitio subiacere,& illis non obstan.reos sic absolutos pœnis debitis puniri, seu de nouo inquiri posse,sicq; per quoscūq; iudices, & cōmissarios quauis auctoritate fungentes sublata eis, & eorū cuilibet quauis aliter iudicādi facultate,& auctoritate iudicari debere decreuerit,aliáq; forsan fuerit,,put in ipsius Pij literis desuper in forma Motus proprij signatis plenius continetur. Cū tamen à nonnullis indubiū reuocetur,an in literis Pij prædecessoris huiusmodi comprehendantur etiam illi,qui ex aliqua criminali causa, pro qua pœna corporis afflictiua imponenda foret,in eorum contumaciā condemnati fuerunt, ita vt ad purgandam contumaciā & condemuationē huiusmodi admitti,vel audiri non debuerint,nec debeant, nisi

nisi prius se in carceribus constituerint. Nos omnem circa præmissa ambiguitatem è medio tollere, & penitus amputare volen. Necnon literarum huiusmodi tenores præsentibus pro expressis habentes, illisque nihil addentes, vel minuentes, Motu simili ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine decernimus,& declaramus,eos omnes,& singulos, qui ex huiusmodi causis licet in eorum meram contumaciam hactenus condemnati fuerint,& in futurum condemnabuntur sub eisdem literis omnino comprehensos fuisse,& esse, ac fore, ita vt non aliter ad purgan. dictas eorum contumaciam, & condemnationem admitti debuerint, vel debeant, nisi sese prius in carceribus constituerint, vel constituant decernentes,quòd in quacunque instatia, casu, & causa se absolui petant, licet forsan in aliqua se constituerint nullo modo audiantur,nisi se prius in carceribus seruatis seruandis de nouo constituerint,& nouæ constitutioni huiusmodi ad plenum satisfecerint, ac omnes,& singulas absolutiones,remissiones, & quasuis alias gratias contra præsentium tenorem quomodolibet pro tempore impetratas, & à quibuscunque iudicibus cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis,& condition. existant quouis prætextu,vel causa emanatas nullatenus attendi debere, minusq; cuiquam prodesse vllo modo posse,sed tanquam nullas, & inualidas,nulliusque roboris,vel momenti reiciendas esse,licereq; præfatis,& aliis iudicibus quibuscunque illis non obstan. processus huiusmodi reassumere,&,prout iuris fuerit,terminare,præsentemque nostrum Motum proprium nullo vnquam tempore de subreptionis,vel obreptionis,aut nullitatis vitio, aut seu intentionis nostræ,vel quopiam alio defectu notari,vel impugnari nullatenus posse,sed illum semper validum & efficacem existere, suosque plenarios affectus omnimode sortiri, sicque in præmissis omnibus etiam per S. R. E. Cardinales, ac causarum Palatij Auditores alioſque iudices,&c. sublata eis, &c. iudi

iudicari debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter,vel ignoranter attẽtatum forsan est hactenus, vel in futurum contigerit attentari,fuisse, esse, & fore, & vitio nullitatis penitus subiacere decernimus. Nõ obstan. præmissis,ac constitution.& ordination. apostolicis,necnon omnibus illis, quæ idem prædecessor in eisdem literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentis motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidẽ faciat in iudicio,& extra, regula quacunque contraria non obstante. Cum decreto quod præsentium trãsumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica cõstitutæ eadem prorsus fides adhibeatur,quæ ipsis originalibus adhiberetur,si forẽt exhibitæ,vel ostensæ.

Placet Motu proprio. M.

Anno à Natiuitate Domini 1567. indictione decima, die vero duodecima mensis Iulij. Pont. sanct. in Christo Patris, & D. N. D. Pij Papæ V. anno eius secundo,retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerũt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ,vt moris est per nos Iulium Parinum,& Alexãdrum Astancollum præfati S.D.N.Papæ Cursores.

Camil. Cherub. Mag. Curs.

Bulla S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ quinti suspensionis facultatum, & auctoritatum conferendi beneficia per resignationem. seu permutationem vacantia in manibus quorumcunque ordinariorum.

OFficium creditæ nobis administrationis exposcit, vt non solum corrigamus ea, quæ perperam attentãtur, verum etiam ne in futurum illa cõtra ecclesiasticam puritatem attentari possint, debita animaduersione prouideamus. Sane cum,sicut accepimus,in resignationibus,& permutationibus,quæ tam apud Sedem Apostolicam, quam in partibus in

Or

Ordinariorum manibus fiunt, quam plurimi abusus irrepserint, Nos volentes huiusmodi abusus de Ecclesia Dei tollere,& futuris resignationum,& permutationum admissionibus eam normam præscribere, qua sanctuarium Dei hominum pactionibus tradi non possit,ac,vt omnis simoniæ labes,& fraudis suspicio,in beneficiorum ecclesiasticorum prouisionibus absit, decernimus supplicationes beneficiorum quorumcunque resignationem, seu permutationem continentes,donec per nos illarum admittendarum modus præscriptus fuerit, vlterius non per modernos,& pro tempore existentes Cardinalem, & alios signaturæ nostræ gratiæ præfectos(vt antea)sed per nos tantum,manu nostra signari debere. Et, ne,dum præmissis occurrere intendimus, & à signaturæ nostræ præfectis ab illis abstinendum censuimus,locorum Ordinarij, cæterique beneficiorum ecclesiasticorum inferiores Collatores præfati, vt antea à plerisque eorum factũ esse audiuidimus, ita se fiduciaiter cum iis,qui in eorum manibus beneficia ecclesiastica resignãt,gerant,vt non nisi illis,quos ipsi nominauerint, aut pro quibus interceſſerint, ea conferant,& de eis prouideant,vel disponant, ac quos ecclesiæ plus prodesse posse cognoscunt,negligant, & contemnant, apostolica auctoritate, ac de apostolicæ potestatis plenitudine , hac nostra constitutione omnibus,& singulis dilectis filiis nostris, & sedis Apostolicæ Legatis,Nũciis,ac venerabilibus fratribus, Patriarchis Primatibus, Arichiepiscopis Episcopis, ac quorũuis Cathedraliũ, & collegiatarũ ecclesiarũ Capitulis, Abbatibus, cæterisq; aliis,quorũuis beneficiorũ ecclesiasticorũ quomodocunq; qualificatorũ inferioribus Collatoribus,ad quos de iure,vel cõsuetudine eorũdẽ beneficiorũ resignationes,seu permutationes admittendi facultas spectat,& pertinet,quacũq; dignitatis prærogatiua etiam Cardinalatus honore fulgentibus prohibemus,ne posthac,donec debitus modus (vt præmittitur)statuatur, ac decernatur,

tur quorumuis beneficiorum ecclesiasticorum tam secularium quam quorumuis ordinum regularium, qualitercunque qualificatorum, etiam si iuris patronatus,& ad quorumuis presentationem , nominationem , electionem , & quamuis aliam dispositionem pertineant,resignationes, seu permutationes recipiãt vel admittant, neque beneficia eadem tamquam per resignationem vacantia,quibusuis personis conferãt, vel de eis prouideant , aut quomodolibet disponant. Nos enim beneficiorum præfatorũ collationes , prouisiones , aut quasuis alias dispositiones per eosdem factas,nullas,irritas, & inanes, nullumque ius,aut titulum etiam coloratum,tam in petitorio quam possessorio prouisis tribuere,ac ipsos sic prouisos ad eadem beneficia ecclesiastica obtinenda perpetuo inhabiles fore,& esse,ac omnes,& singulos Collatores presatos,in collatione,prouisione,& dispositione beneficiorum,in eorum manibus sic resignatorũ, quouis prætextu etiam deuolutionis vacantiũ, se intromittere nullatenus posse, beneficiáque presata, tanquam vere vacantia per nos,& Sedem Apostolicam, & quouis eorundem Collatorum in quorum manibus,contra huiusmodi nostram prohibitionem, resignationes,seu permutationes factæ fuerint, Superiores,nullo alio deuolutionis ordine seruato, sed quod locus sit prætentioni,conferri,& de iis prouideri, ac disponi libere , & licite posse. Et sic per quoscunque iudices etiam causarum Palatij apostolici Auditores , sublata eis , & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi , & interpretandi facultate , iudicari , & definiri debere , ac irritum , & inane,si secus super iis à quoquam quauis auctoritate,scienter,vel ignoranter contigerit attentari , statuimus, atque decernimus. Non obstan.constitutionibus,& ordinationibus apostolicis,& etiam iuramento cõfirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis,statutis,& cõsuetudinibus,etiã immemorabilibus, priuilegiis quoq; indultis , & literis apostolicis , quibusuis in genere

vel

vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpius innouatis, quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda esset, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæteris cõtrariis quibuscunque. Cæterum, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus opus fuerit, deferri. Volumus etiam, ac decernimus, quod præsentium transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra, adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ: quodque literæ ipsæ in Cancellaria Apostolica publicentur, ac omnes ita afficiant, & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, statuti, derogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1567. sexto Idus Augusti. Pontificatus nostri anno secundo.

Visa de curia Alfonsus de Auila. B. Cyrillus.
Registrata in Secretaria Apostolica. H. Cumyn.
B. Cyrillus.

Lectæ & publicatæ fuerunt retroscriptæ literæ Romæ in Cancellaria apostolica anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, die vero Lunæ xviij. mensis Augustin. Pontificatus S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti anno secundo.

A. Lomellinus Custos.

Re

Reuocatio priuilegiorum Hospitalis S. Lazari Hierosolymitan. de hospitalibus, & piis locis leprosorum.

PIVS PAPA V.

GRaues ad nos quotidie querelæ deferuntur de Magistro, Conuentu, & fratribus Hospitalis sancti Lazari Hierosolymitani, qui obtentu priuilegiorum suorum, multa secus quam par esset, fidentius conati, præ studio, dum habeãt, quod ambiunt, neque modum pietatis vllius, neque benignitatis erga se nostræ ponderantes, variis artibus moliuntur, quemadmodum disturbent, atque deiiciant omnes alios à regimine, cura, & possessione illorum Hospitalium, & religiosorum locorum, quæ sub inuocatione S. Lazari leprosorum aliquando fundata, constructa, & instituta, deinde aut Ecclesiis, Monasteriis, Xenodochiis, Collegiis, Vniuersitatibus, etiam studiorum generalium, diuersisque aliis sacris, & religiosis locis vnita, aut in eorum commodum suppressa fuerunt, seu quorum curam, seu bonorum administrationem, seu fructuum dispensationem, vel ipsæ Ecclesiæ, vel conuentus, vel venerabilium locorum sodalitates, vel honesti ciues, vel etiam priuatim alij spectatæ probitatis viri habent, & aut in illis, aut ex illis prædictis Ecclesiis, Monasteriis, Xenodochiis, Collegiis, Vniuersitatibus, piis locis, & pauperibus suarum quisque ciuitatum, & locorum, vti diuersæ, & multiformes charitatis, & misericordiæ species suadere videntur, variæ item egestates, necessitatesque expetunt, pie, sancteque suppeditant. Quin etiam Magister, & Conuẽtus in vniuersum, singulatim verò quidam fratres, iam aliquot huiusmodi administratores, & possessores, imo vero primarias quasdam Italiæ Vrbes litibus, & controuersiis multifariam concitatis, grauiter infestarunt. Quocirca nos indignum rati tot, tantasque piorum operum rationes, iampridem accommodas, dictorum priuilegiorum causa impediri, volen-

l

teſque, ſicut officij noſtri munus, pietatiſque cauſa poſtulat, ſedulo prouidere, vt Hoſpitalium, et locorum huiuſmodi optimus ſtatus, rerumque diſpoſitio commoda, & vtilis perpetuo conſtet, hoc quoque ſacroſanctũ Ieſu Chriſti patrimonium pijs, honeſtiſque vſibus perpetuo illibatum cõſeruetur, ac ſimul Magiſtro, Conuentui, & fratribus prædictis omnis omnino moleſtandi via præcidatur, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas cauſas, in Romana Curia, & extra eam, coram quibuſcunque iudicibus ordinarijs, & delegatis, etiam cauſarum Palatij apoſtolici auditoribus, ac S. R. E. Cardinalibus inter Magiſtrum, Cõuentum, & fratres prędictos, etiam collationem cõmendam, aut aliam conceſſionem à dictis Magiſtro, & Conuentu habentes, ac quoſcunque alios curam, regimen, & adminiſtrationem, ac poſſeſſionem hoſpitalium, locorum, & bonorum prædictorum per viã vnionis, ſuppreſſionis, commiſſionis, prouiſionis, commendæ, adminiſtrationis, alteriuſue conceſſionis, aut etiã priuilegio, fundatione, cõſuetudine, permiſſione, vel alio quocunque modo habentes, ſuper eiſdem hoſpitalibus, locis & bonis, eorumque regimine, adminiſtratione poſſeſſorio, ſpolio, rebúſq; aliis latius deductis & illorum occaſione, tam cõiunctim, quam diuiſim in quacunque inſtantia pendentes, quarũ ſingularum merita, necnon iudicio & aliorum collitigantium nomina, cognomina, gradus, & nobilitates, litisq;, & litium huiuſmodi ſtatum, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, in ſtatu, & terminis, in quibus reperiuntur, harum ſerie ad nos aduocamus, ac lites huiuſmodi penitus extinguimus, dictisque Magiſtro, Conuentui, & fratribus, ac quibuſcũque alijs, etiã in quorũ fauorem de dictis hoſpitalibus, & locis S. Lazari leproſorum, prætextu huiuſmodi priuilegiorum diſpoſitum eſt, vt præfertur, perpetuum ſilentium imponimus. Præterea omnes, & quaſcũq; collationes, prouiſiones,

nes, commendas, conceſſiones, commiſſiones, & alias diſpoſitiones, de ipſis hoſpitalibus, & locis, ab eiſdem Magiſtro, & Conuentu quibuſcũque factas, inde ſecutásque à nobis, & Apoſtolica Sede etiam motu ſimili confirmationes, vel nouas prouiſiones, ac etiam conceſſiones, facultates, & licentias, quòd hoſpitalia, leproſorię, & alia loca quæcunque tam in Vrbe, quã quibuſcunque Terris, dominiis, & locis, ſub inuocatione S. Lazari leproſorum huiuſmodi fundata, conſtructa, erecta, & inſtituta, & quæ fundari, conſtrui, erigi, & inſtitui contingeret, etiam ſi per Magiſtrum, Conuentum, & fratres huiuſmodi recepta, aut poſſeſſa non ſint, vbi vllo vnquam tempore fuit, eſt, vel erit hoſpitalitas leproſorum ſeu infirmorum S. Lazari nuncupatorũ, de qua legitime coram locorum ordinarijs conſtet, etiam ſi iuriſpatronatus laicorum eſſent, cum omnib⁹, vnionibus, annexionibus, incorporationibus, & applicationibus, illis, pro tempore factis, hoſpitali S. Lazari prędicto ſubiecta, & incorporata, & ad ius, proprietatemque & omnimodam diſpoſitionem, inſtitutionẽ, & collationem Magiſtri pro tẽpore exiſtentis, & Conuentus prędictorum, iuxta ipſius hoſpitalis ſtabilimenta pertinere cenſeantur, prout alia eius hoſpitalia, capellæ, oratoria, beneficia, & loca ſpectabant, illáque per fratres prædictos, non autem per alias eccleſiaſticas, aut ſeculares perſonas, etiam ciuitatum, & terrarum, oppidorum, & villarum communitates, vel vniuerſitates, regi, & gubernari, & in ſignum recognitionis ſuperioritatis dicti hoſpitalis, aliquo rationabili canone, ſeu cenſu per Magiſtrum, & conuentum, ac diffinitores generalis capituli dicti hoſpitalis imponendo, ſingulis annis reſpondere, præterea hoſpitalia, & loca huiuſmodi obtinentes, cuiuſcunque dignitatis, ordinis, & conditionis fuerint, reſponſiones, & iura Annatarum, vacantium mortuariorum, arreragiorum, & paſſagiorum hoſpitali S. Lazari, & illius Ærario communi ſoluere

teneantur, & ad id etiam per Magistrum, & conuentum prædictos compelli, & non soluentes censuris, & pœnis ecclesiasticis innodari, Hospitalibusque priuari possint. Necnon quæcunque alia priuilegia, concessiones, facultates, & indulta, dictis Magistro, Conuentui, fratribus, & personis, super reuocatione huiusmodi Hospitalium ad pristinam Hospitalis sancti Lazari Hierosolymitani naturam, ac regimen, & administrationem etiam per modificationes, & reformationes nostras illis concessa, & confirmata, quibuscunque concepta formulis, ac etiam restitutiuis, præseruatiuis, derogatoriarũ derogatoriis, aliisq; efficaciorib⁹ efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon vim cõtractus inducẽtibus, & aliis decretis suffulta (quorũ omnium tenores, etiam præsentibus haberi volumus pro expressis) auctoritate apostolica, tenore præsentium specialiter, & expresse reuocamus, & apostolicas, ac alias literas, necnon processus, & inde secuta quæcunque cassamus, & annullamus, volumusque illa omnia vires, & effectum de cetero non habere, ipsaque hospitalia, & loca, eorumque res, & bona, deinceps vt antea regi, & gubernari, ac de illis disponi, nec de vllo annuo censu, canone, subsidio, vel alio onere, per Magistrum, conuentum, & diffinitores prædictos grauari, nec ad aliam responsionem, aut iura aliqua eis præstanda vllo vnquam tempore teneri, nec sub aliquo alio iure Magistri, Conuentus, & Hospitalis S. Lazari huiusmodi consistere debere. Districtius inhibentes eisdem Magistro, & Conuentui, ac quibuscunque aliis etiam in quorum fauorem de dictis hospitalibus, seu locis prætextu huiusmodi priuilegiorum dispositum est, vt præfertur, ne illorum occasione, seu prætextu vel alias quocunque modo sese præmissis interponere, aut quempiam vlterius super illis vexare, impedire, vel turbare quoquomodo præsumant. Quòd si secus fecerint, eos & eorum singulos excommunicationis sententia innodamus, ac magistratu,

stratu, dignitatibus, officiis, beneficiis, iuribus, priuilegiis, & indultis quibuscunque, eorumque vsu, & commodo priuamus, inhabilesque ad omnia esse volumus eo ipso. Ac decernentes sic per quoscunque iudices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales in quauis causa, & instantia sublata, &c. iudicari, &c. debere. Ac irritum, &c. attentari. Et nihilominus vniuersis, & singulis locorum ordinariis tenore præsentium mandamus, vt ipsi per se, vel alium, seu alios Ecclesiis, Monasteriis, Xenodochiis, Hospitalibus, Collegiis, Vniuersitatibus, Sodalitatibus, Rectoribus, Commendatariis, Administratoribus, & personis prædictis, eorumque singulis quandocunque requisiti fuerint, aut molestiam aliquam ab ipsis Magistro, conuentu, & fratribus coniunctim, vel diuisim irrogari intellexerint, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes procurent auctoritate nostra illos omnes in suis possessione, & iuribus pacifice conseruare, non permittentes eorum quempiam per ipsos Magistrum, conuentum, & fratres, aut alios quoscunque super iis quomodolibet molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per prædictas, aliasque grauiores censuras, & pœnas, cæteraque iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, censuràsque & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, & nostra de non tollendo iure quæsito, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon Hospitalis sancti Lazari Hierosolymitani, & conuentus prædictorum iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, naturis, aliisque priuilegiis, & indultis apostolicis, illis, ac eisdem Magistro, Conuentui, & fratribus à quibuscunque Rom. Pont. & nouissime tam à re. me. Pio Papa IIII. prædecessore nostro in ipsius Hospitalis sancti Lazari

Hierosolymitani, & regulæ restitutione, & ampliatione, quam etiam à nobis in illius modificatione etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concessis, confirmatis, & extensis, quibus inter cætera cauetur expresse, quòd vniones, annexiones, & incorporationes similes, vel dissimiles, ac quæcunque aliæ distractiones huiusmodi Hospitalium, & locorum quacunque ratione, vel causa, etiam motu scientia, & potestatis plenitudine similibus, & etiam cum expressa huiusmodi priuilegiorum, & stabilimentorum derogatione, nullius penitus sint roboris, vel momenti, & habeantur prorsus pro infectis, nec censeatur in hac parte vnquam derogatum per quascunque clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias fortiores, & efficaciores, nisi dum, & quoties de illorum, ac etiam certarum in specie desuper confectarum literarum de verbo ad verbum vere, & non per clausulas idem importantes inserto tenore de ipsorum S. R. E. Cardinalium consilio derogetur, nec etiam tunc, nisi ad id Magistri, & conuentus prædictorum expressus accedat assensus, & semper in huiusmodi, quæ sic fient de consilio prædicto, derogationibus censeatur apposita clausula, quod tunc demum effectum sortiantur, cum consensus Magistri & conuentus prædictorum accesserit, & non alter, nec alio modo, quodque priuilegiis, statutis, stabilimentis, aliisque præmissis etiam per quascunque literas apostolicas etiam quasuis clausulas generales, vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficacioresque, & insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacunque verborum expressione in se continentes, nullatenus derogari possit, nec quo ad illa derogatum censeatur, nisi tenor illarum de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, & huiusmodi derogationes consistorialiter factæ, & per trinas distinctas literas eundem tenorem continentes, tribus distinctis similibus vicibus, Magistro, & Conuentui prædictis intimatæ, & insinuatæ fuerint, ac ipsorum Magistri, & Conuen

Conuentus ad id expressus accedat assensus, & aliter factæ derogationes nemini suffragentur, ac Magister, & Conuentus prædicti ad parendum literis derogatoriis huiusmodi, & decretis super illis processibus, ac illorum executoribus, & subexecutoribus, eorumque mandatis, & monitionibus minime teneantur, sed literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiæ censuris ecclesiasticis per eosdem executores, vel subexecutores latis innodari possint. Quibus omnibus etiam si de eis &c. tenores &c. in genere, & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum pro plene, & sufficienter expressis habentes, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, Cæterum iubemus præsentes consuetis Vrbis locis publicari, & exempla de more applicari, easque sic publicatas Magistrum, Conuentum, & fratres prædictos, cæterósque omnes, & singulos, quorum interest, æque obligari volumus, ac si ipsæ præsentes (quibus sola signatura sufficiat, & vbique tam in iudicio, quam extra, illud fidem faciat) essent omnibus, singulatim, ac personaliter intimatæ.

Placet Motu proprio M.

Anno à natiuitate D. millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, indictione decima, die vero vndecima mensis Augusti, Pont. S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius secundo, retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt Romæ in aciæ Campi Floræ, & valuis Cancellariæ apostolicæ, vt moris est per nos Io. Andream Rogerium, & Scipionem de Octauianis S. D. N. Papæ Curs.

Io. Andr. Panniza Mag. Curs.

Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti super Spoliis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis prouidentia circumspecta ad ea solicitudinis suæ partes potissimũ conuertit, per quæ singulis Ecclesiis debita obsequia, & opportuna subuentionis auxilia minime subtrahantur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, seu Commendatarij, ac alij beneficia Ecclesiastica obtinentes, proprij honoris, & salutis immemores, etiam prætextu facultatum testandi eis per Sedem Apostolicam concessarum, in eorum vltimis voluntatibus res sacras, ac vasa, ornamenta, & paramenta Ecclesiastica, aliaque cultui diuino dicata quandoque ex fructibus Ecclesiasticis per eos acquisita, non Ecclesiis, & Monasteriis, ac beneficiis, quibus præfuerunt, seu à quibus prouentus Ecclesiasticos, & stipendia acceperunt, prout rationi, & honestati consentaneum foret, sed aliis locis, etiam aliquando non piis, ac interdum eorum consanguineis, & affinibus relinquere, ac Cameræ Apostolicæ Collectores, prætextu quod illa sub appellatione spoliorum veniant, tanquam eiusdem Cameræ spolia exigere, & percipere non erubescant, in maximum Religionis dedecus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum eorundem detrimentum, ac relinquentium animarum periculum, scandalumque plurimorum: Nos abusibus, scandalisque huiusmodi prouidere, ac singularum Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac beneficiorum indemnitati, animarúmque quorumlibet saluti cõsulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, quod de cætero omnia & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa, necnon Missalia, & Gradualia, ac Cantus firmi, & Musicæ, aliique quomodolibet nuncupati libri, & aliæ

& aliæ res sacræ, etiam auri, & argenti, ac quæcunque alia bona per quoscunque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, seu Commendatarios, & alios quoscunque quæcunque, & qualiacunque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, secularia, & quorumuis ordinum regularia in titulum, vel commendam, aut alias quomodolibet obtinentes quocunque nomine, vel titulo censeantur, etiam si de illis, & eorum qualitatibus specialis, & expressa mentio habenda foret, ad vsum, & cultum diuinum, etiam in eorum priuatis ædibus, & capellis, vel oratoriis destinata tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta, sub quibusuis facultatibus testandi, & alias disponendi de bonis per eos ex altari, vel alias quomodolibet acquisitis per quoscunque Ro. Pont. prædecessores, & successores nostros, ac nos, sub quibusuis tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & alias quomodolibet concessis, & concedendis minime comprehendantur, Nec sub appellatione spoliorum veniant, sed ad singulas Ecclesias, Monasteria, etiam conuentu carentia, & beneficia huiusmodi, in quibus resederint, aut quibus præfuerint, seu quæ alias obtinuerint, omnino spectent, & pertineant, ac spectare, & pertinere, illáque post eorum obitum eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis, etiam si in Romana Curia, & procul ab illis decesserint, vel ad illa nunquam accesserint, etiam si antea Ecclesiarum, & Monasteriorum regimini cesserint, vel beneficia huiusmodi renuncia uerint, eo ipso applicata, & incorporata sint, & esse censeantur. Ita quod liceat illis defunctis in eisdem Ecclesiis, monasteriis, & beneficiis successoribus, ac Ecclesiarum, & monasteriorum huiusmodi Capitulis, & Conuentibus, respectiue illa propria auctoritate libere apprehendere, ac eorum Ecclesiis, & Sacristiis applicare, & incorporare, ac quæcunque donationes, ac relicta, legata, testamenta, & codicilli, & aliæ vltimæ voluntates, seu spolia desuper contra

præsentis constitutionis nostræ tenorem quomodolibet pro tempore facta, quoad præmissa, nulla, & inualida, nulliusque roboris, & momenti existant, & personis etiam Ecclesiasticis, seu locis, etiam piis, aut Ecclesiasticis aliis quibuscunque, in quarum, seu quorum fauorem pro tempore facta fuerint, minime suffragentur, nec per ea eisdem personis, seu locis, vel aliis Ecclesiis huiusmodi aliquod ius in rebus prædictis, vel ad illas acquiri possit. Quinimo res sacras, ac alia bona prædicta quocunque nomine, vel titulo pro tempore detinentes, ad illa ecclesiis, & monasteriis, ac beneficiis per defunctos quomodolibet acquisitis, vt præfertur, iuxta præsentium tenorem realiter, & cum effectu restituendum, & consignandum, quibusuis dispositionibus de illis in contrarium quomodolibet factis minime attentis, omnino teneantur, & ad id per censuras, & pœnas, etiam furti & sacrilegij, ac alia iuris, & facti remedia opportuna cogi, & compelli possint, & debeant. Insuper ne deinceps contingat insolentia spoliorum Cameræ apostolicæ Collectorum, vel subcollectorum aliquas Ecclesias, nec hominum quenquam damno, & iniuria affici, nec cuiquam de cætero vertatur in dubium, quæ res habendæ sint nomine spolij, simili modo statuimus, decernimus, & declaramus, quod quæcunque scamna, cathedræ, arcæ, & etiam ligneæ, vel lapideæ, etiam marmoreæ, mensæ, & tabulæ, ac quæcunque dolia, seu vasa vinaria vacua, & alia similia supellectilia domestica per quosuis presbyteros, seu clericos ab humanis pro tempore decedentes, tempore eorum obitus in Ecclesiis, seu eorum domibus Ecclesiarum earundem, vel alibi vbiuis locorum relicta, etiam si ex fructibus, & prouentibus beneficiorum, quæ, dum viuerent, obtinebant acquisita fuerint, sub spoliorum appellatione minime veniant, nec pro spoliis vllo modo reputati possint. Præterea quod nullum spolium Cameræ præfatæ fieri,

fieri, nec quicquam à quibusuis spoliorum Cameræ huiusmodi Collectoribus, vel subcollectoribus exigi possit per obitum illius, qui, dum viueret vnum, vel plura beneficia Ecclesiastica obtinuerit, cuius, vel quorum insimul fructus reditus, & prouentus, triginta ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excesserint, aut qui pensiones annuas super quibusuis fructibus Ecclesiasticis vsque ad dictum valorem annuatim perceperit, dummodo tamen is se ab omni illicita negotiatione, & à sacris canonibus prohibita abstinuerit. Ita quòd si quis dictorum collectorum aliquid ex bonis quorumuis defunctorum, qui similia beneficia obtinuerint, seu similes pensiones perceperint, prætextu spoliorum eiusdem Cameræ percipere, aut alias contra præsentes nostras literas attentare præsumpserit, ad totalem bonorum per eum perceptorum restitutionem teneatur, ac id via iuris, etiam per similes censuras, & pœnas cogi, & cõpelli possit, & debeat. Districtius inhibentes quibusuis Cameræ prefatæ spoliorum collectoribus nũc, & pro tempore existentibus, ne sub indignationis nostræ, & priuationis eorum officiorum pœna in ornamentis, & paramentis, ac vasis, & libris præfato cultui diuino dicatis, ac alias in rebus sacris, necnon supellectilibus præfatis quomodolibet se intromittant, nec in eorum inuentariis tanquam spolia rediganr, seu describant, sed ornamenta, & paramẽta, nec non vasa, & libros, aliaque diuino cultui dicata huiusmodi Ecclesiis, & monasteriis, Capellis, & aliis beneficiis huiusmodi, eorumque Rectoribus, & aliis prefatis libere dimittant, & consignẽt, ac consignari faciant cum effectu, ac supellectilia prædicta in locis, vbi constiterint, relinquant. Ac decernentes sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices, & commissarios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis alter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctorita

ritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super iis à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & singulis locorum ordinariis, ac maiorem dignitatē, post Pontificalem in vniuersis Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitan. pro tempore obtinentibus per apostolica scripta, Motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum præsentes literas, & in eis contenta quæcūq; vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte quorumcunque in præmissis interesse habentium, vt præfertur, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta quęcunque firmiter obseruari, ac singulos, quos literæ ipsæ concernunt, illis pacifice gaudere, Nō permittentes eos desuper quomodolibet indebitè molestari, Cōtradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus apostolicis ac in Prouincialibus, & synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ecclesiarum, & Monasteriorum huiusmodi iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, facultatibus testandi, aliisque priuilegiis, indultis, & literis apostolicis, quibusuis concessis, approbatis, & innouatis, etiā si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & expressa mentio facienda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes illis in reliquis in suo robore permanentibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd si aliquis ex Patriarchis, Episcopis, Abbatibus, seu Commendatariis, & aliis beneficiatis præfatis pluribus Ecclesiis, seu Monasteriis, pro tempore simul, vel successiue præfuerit, seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta, & paramenta, ac res, & bona prædicta ad illa omnia habita

ratio

ratione fructuum, & temporis, quo eadem beneficia possedit, omnino pertineant, & proportionabiliter inter ea diuidantur. Quodque præsentes literæ in Cancelaria nostra apostolica, & acie Campi Floræ, de more publicentur, & inter Constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus earum Transumptis etiā impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra, adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, decreti declarationis, inhibitionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1567. Tertio, Kal. Septembris. Pont. nostri anno secundo.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Pro Domino Summista Ludouicus Ripa.

Regiſtrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini 1567. indictiōe decima, die vero decimaoctaua, mensis Septemb. Pont. Sanctiſſ. in Christo Patris, & Domini nostri, D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno secundo, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Cancellaria apostolica, & ad illius valuas, & in acie Cāpi Floræ, vt moris est, dimissis ibidem præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde amotis, per me Iulium Parinum, & Bartholomæum Sottocasam prælibati S.D.N. Papæ Curs.

Christianus de monte Magister Cursorum.

Bulla

Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Super declaratione assignationum Vicarijs in vnione Beneficiorum facien.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD exequendum Pastoralis officij debitum, vigilantibus studiis intendentes, ad ea, per quæ Cathedralium, & Collegiatarum, aliarumue Ecclesiarũ, necnon Monasteriorũ, beneficiorum, seu collegiorũ, ac aliorum piorũ locorũ prospero profectui, diuinique cultus augmento, & opportunæ, congruæque substẽtationi parochialium ecclesiarum eisdem vnitarum statui fœliciter dirigendo, & personarum in illis curam animarum exercentium vtilitati recta ratione, & prouida moderatione consuli, & salubriter prouideri valeat, libenter interponimus nostræ sollicitudinis partes. Hinc est, quòd nos, ad quorum aures (quod non sine animi nostri molestia referimus) peruenit nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in deputandis Vicariis, ac in assignatione portionum Vicariis perpetuis parochialium dictis Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis, Collegiis, vel locis piis perpetuo vnitarum ex Concilio Tridentino facienda, ita modum excessisse, vt parum, aut nihil ex fructibus, reditibus, & prouentibus parochialium ecclesiarum sic vnitarũ Ecclesiis, Monasteriis, beneficiis, Collegiis, aliisue locis piis remanserit, ob idque multæ ortæ sint super hoc cõtrouersiæ circa interpretationes decreti dicti Cõcilij. Nos ad eas tollendas animum intendentes, considerantesque vniones ipsas ideo à prædecessoribus nostris factas esse, vt ex reditibus, & emolumentis beneficiorum vnitorum Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, beneficiis, & locis piis, quibus illa vniuntur, facilius onera eisdem incumbentia supportentur, & promptius à Ministris ecclesiasticis in eisdem diuina offi-

officia celebrentur, Hospitalitas seruetur, aliaque charitatis opera exerceantur, ac etiam vt nihilominus cura animarum dictarum parochialium laudabiliter exerceretur: Motu proprio, & ex certa nostra scientia auctoritate apostolica hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, & ordinamus, ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius Concilij mẽte fuisse colligimus, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos præfatos in assignatione portionis ipsis Vicariis perpetuis ex prædicto Concilio ipsorum Prælatorum arbitrio faciendo ita se continere, & arbitrari debere, vt non maior centum, nec minor Quinquaginta scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obuentionibus communiter percipi solitis eis omnino assignetur: nisi Vicariis temporariis solitum fuisset plus assignari siue in quantitate, aut quota fructuũ, pecuniaque numerata fundo, seu alia re stabili portio huiusmodi constituatur, cuiuscunque valoris parochialis ecclesia vnita fuerit, & habita etiam ratione redituũ, & onerum loci, cui parochialis ipsa vnita fuerit, ita quod portiones vltra, vel infra dictas summas scutorum centum, & scutorum quinquaginta hactenus assignatæ, vel in posterum forsan assignãdæ quo ad excessum, & defectũ huiusmodi nullius roboris, & momenti existant, & ad summas prædictas reductæ, & auctæ respectiue censeantur, nisi tamen valor annuus ipsius parochialis vnitæ habita ratione (vt præfertur) minor sit quinquaginta scutis, quo casu portioque assignata, vel assignanda Vicario perpetuo non debeat excedere summam annuam valoris dictæ parochialis, sed sufficiat quod omnes fructus eius duntaxat attribuantur ipsi Vicario perpetuo. Et quoniam iniquum esset, eos, qui commodis priuantur, eadẽ onera, quæ prius sustinebant debere sufferre: Volumus, & statuimus, quòd Ecclesiæ, Monasteria, Collegia, beneficia, & pia loca huiusmodi, in quorũ parochialibus ecclesiis vnitis cõ

tin

tinget Vicarias prædictas erigi pro quãtitatibus fructuum ipsis Vicariis perpetuis assignatorum ad solutionem Quindemniorum, quam nobis, & Cameræ apostolicæ soluunt, vlterius non teneantur, sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quæ de fructibus dictarum parochialium percipiũtur. Ita tamen, quòd Vicarij perpetui, qui pro tempore deputabuntur, teneantur accipere à sede apostolica nouam prouisionem suæ deputationis, & soluere Annatam pro portione fructuum, redituum, & prouentuum certorum sibi assignata, & expedire literas apostolicas, nec alias ad possessionem dictarum Vicariarum perpetuarum, & seruitium earundem parochialium admitti possint, nisi soluta annata, & expeditis literis apostolicis nouæ prouisionis, vt præfertur. Alioquin integrum quindẽnium solui debere, nec Vicarij prædicti antea tuta conscientia fructus percipere possint. Volumus insuper, & ita mandamus, quòd dicti Vicarij perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis vnitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum, seu eorum Vicariorum præuio examine approbatione deputentur. Et si dictæ parochiales vnitæ erunt Monasteriis Regularium Mendicantium, possint à superioribus dictorum monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus, quos si ordinarij præuio examine per se, aut eorum Vicarios faciendo idoneos ad curam animarum exercendam inuenerint, & ita pro idoneis approbauerint, teneantur in Vicarios (ad nutum tamen superiorum suorũ amouibiles) deputare. Idémque etiam seruetur in Regularibus Monachis tantũ, dummodo in ea parochiali, in qua vnus ex eis Monachis fuerit, seruata forma prædicta, Vicarius deputatus, habitent cum eo saltẽ quatuor alij ex dictis Monachis. Sicque per quoscũque iudices quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi potestate, iudicari, & interpretari debere. Necnon irritum, & inane decer

cernimus quicquid secus à quoquam quauis auctoritate attentatũ forsan est hactenus, vel in posterũ cõtigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autẽ, quòd præsẽtes literæ in Cãcellaria nostra apostolica, & ad valuas principis apostolorum de Vrbe de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret eas ad singula quęque loca deferri, quòd earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, declarationis, statuti, mandati, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1567. kal. Nouembris. Pontificatus nostri anno secundo.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1567. indictione decima, die verò decimaquinta mensis Nouembris, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti anno eius secundo, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ ibidem dimissis copiis affixis per nos Ioannem Andream, Rogerium, & Antonium Clerici Cursores apostolicos. Iaonnes Guerardi Mag. Cursorum.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Bulla S.D.N.D. Pij Papæ V. super prohibitione agitationis Taurorum, & Ferarum, & annulatione votorum, & iuramentorum super eisdem pro tempore interpositorum.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

DE salute gregis Dominici nostræ curę diuina dispensatione crediti, prout ex debito pastoralis officij astringimur, sólicite cogitantes, fideles cunctos gregis eiusdem ab imminentibus corporum periculis, etiam animarum pernicie perpetuo arcere studemus. Sane licet detestabilis Duellorum vsus à diabolo introductus, vt cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex decreto Concilij Tridentini prohibitus fuerit, nihilominus adhuc in plerisque ciuitatibus, & aliis locis, quamplurimi ad ostentationem virium suarum, & audaciæ, in publicis priuatisque spectaculis cum Tauris, & aliis feris bestiis congredi non cessat, vnde etiam hominum mortes, membrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriuntur. Nos igitur considerantes hæc tantur, à pietate, & charitate Christiana aliena esse, ac volentes hec cruenta, turpiaque demonum, & non hominum spectacula aboleri, & animarum saluti, quantum cum Deo possumus, prouidere, Omnibus, & singulis Principibus Christianis quacunque tam ecclesiastica, quam mundana etiam Imperiali, Regia, vel quauis alia dignitate fulgentibus, quouis nomine nuncupentur, vel quibusuis Communitatibus, & Rebuspublicis, hac perpetuo nostra constitutione valitura sub excommunicationis, & anathematis pœnis ipso facto incurrendis, prohibemus, & interdicimus, ne in suis prouinciis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis & locis, huiusmodi spectacula, vbi Taurorum, aliarumq; ferarum bestiarum agitationes exercentur, fieri permittant, Militibus quoque cæterisq; aliis personis, ne cũ Tauris, & aliis bestiis in præfatis spectaculis, ipsi tam pedestres, quam equestres congredi audeant, interdicimus. Quòd si quis eorum ibi mortuus fuerit, ecclesiastica careat sepultura. Clericis quoque tam regularibus, quam sæcularibus beneficia ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis sub excommunicationis pœna, ne eisdem spectaculis interfint, similiter prohibemus. Omnesque obligationes, iuramenta, & vota, à quibusuis personis, vniuersitate, vel collegio de huiusmodi Taurorum agitatione, etiam vt ipsi falso arbitrantur, in honorem Sanctorum, seu quarumuis ecclesiasticarum solemnitatum, & festiuitatum, quæ diuinis laudibus spiritualibus gaudiis, piisque operibus, non huiusmodi ludis celebrari, & honorari debent hactenus factas, & facta, seu in futurum fienda, quæ, & quas omnino prohibemus, cassamus, & annullamus, ac pro cassis, nullis, & irritis haberi perpetuo decernimus, atque declaramus. Mandamus autem omnibus Principibus, Comitibus, & Baronibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ feudatariis, sub pœna priuationis feudorum, quæ ab ipsa Ecclesia Romana obtinent. Reliquos verò Principes Christianos, & Terrarum dominos prædictos hortamur in Domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore, præmissa omnia in suis dominiis, ac terris huiusmodi exactissime seruari faciant, vberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi: Ac vniuersis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus in ciuitatibus, & diœcesibus propriis præsentes nostras literas sufficienter publicari faciant, & præmissa etiam sub pœnis, & censuris ecclesiasticis obseruari procurent. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus

Apostolicis, ac exemptionibus, priuilegiis, indultis, facultatibus,& litetis apostolicis, quibusuis personis cuiuscunque qualitatis, & conditionis existentibus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, ac alias quomodolibet concessis, approbatis,& innouatis,quibus illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem,quòd præsentes literæ in Cãcellaria nostra apostolica,& acie Campiforæ de more publicentur,& inter constitutiones perpetuo valituras describantur, & earum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur,quæ eisdem præsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, interdicti, cassationis,annullationis,decreti,declarationis, mandati,hortationis,derogationis, & voluntatis infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.Dat. Romæ apud sanctum Petrũ, anno incarnationis Dominicæ 1567. Kal. Nouembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Cæ.Glorierius. H.Cumyn.

Anno à natiuitate D. milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo,indictione decima, die vero decima quinta menſis Nouemb. Pont.S.D.N.Pij diuina prouidentia Papę V.anno eius ſecundo,retroſcriptæ literæ apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cãcellariæ apoſtolicæ,& in acie Campifloræ ibidem dimiſſis copiis affixis per nos Antonium Clerici,& Io. Andream Rogerium,præfati S.D.N.Papæ Curſ.

Ioannes Guerardi Magiſt. Curſ.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Motus proprius S. D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Aduocationis ad ſe, & ſucceſſores ſuos Ro. Pont. quarumcunque cauſarum confidentiarum, tam motarum, & pendentium,quam in futurum quomodolibet mouendarum.

PIVS PAP. V.

MOtu proprio &c. Licet fel.rec. Pius Papa IIII. prædeceſſor noſter poſtquam certam ſimoniacæ prauitatis ſpeciem beneficiorum confidentiam vacatam,etiam in Roman.curia,atque adeo in ſacrum venerabilium fratrum noſtrorum, tunc ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegium quaſi per cuniculos irrepſerat, ac nonnullos ex ipſis fratribus nimia quadam facultate, ſeu potius importunis amicorum familiariumque precibus adductos, beneficia in confidentiam huiuſmodi recepiſſe,& tunc frequenter recipere intellexerat, hancque illicitam beneficentiæ exercendæ, ſeu amicitiæ colendæ viam à tanto ſaltem collegio prorſus eliminare cupiens, eoſdem fratres in ſuo conſiſtorio ſecreto non ſemel admonuerat huic aliena beneficia cuſtodiendo modo,ne aſſueſcerent,ne ve illa hoc pacto reciperent, ſed ſic recepta dimitterent. Cumque ad aures ſuas peruenisſet eorũ aliquos monitionis huiuſmodi, immo potius ſuimet oblitos ea,quę cuſtodienda receperant beneficia,nondum tamẽ dimiſiſſe,& inſuper illos,& nonnullos alios etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, & alios Epiſcopos,eccleſias,monaſteria, dignitates, & alia beneficia in eorum fauorem reſignata, ceſſa,vel alias dimiſſa ac ceptaſſe,illaque in titulum,commendam, vel adminiſtrationem, aut alias auctoritate Apoſtolica conceſſa quandoque in reſignantium,vel cedentium,ſeu etiam aliorum fauorem cepiſſe,vel alia dimiſiſſe,ac ſibi propterea fructus eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum,& aliorum beneficiorum huiuſmodi in toto, vel in parte, ac regreſſus, ſiue acceſſus, & ingreſſus ad eccleſias, monaſteria, & beneficia huiuſmodi ſibi

reseruari procurasse, & obtinuisse, ad hoc videlicet, vt confidentes sic decimarum apostolicarum, vel communis dicti collegij, & annatæ, aliorumque iurium dictæ Cameræ debitorum solutionem eludererent, & alia tunc expressa fecisse in animarum suarum periculum, & pernicioſum exemplum. His, & aliis tunc expressis occurrere volens per suas sub plumbo expeditas literas, ecclesias, & monasteria, ac beneficia huiusmodi ipso iure à die receptionis eorum vacauisse, & vacare, ac fructuum reseruationes, vt præmittitur factas, ac regressus, siue accessus, & ingressus concessos huiusmodi cessasse, & cessare, ac extinctos esse, & alia similiter tũc expressa decreuerit, & declarauerit cũ prohibitionis & decreti ac aliis clausulis etiã tunc expressis, prout in ipsis literis plenius cõtinetur. Tamen pro eo, quod ipse Pius prædecessor sibi ipsi, & successoribus suis præmissorũ, & in eisdem literis contentorũ cognitionẽ, & dictarũ literarũ executionem, prout debebat, non reseruauit, cum, vt plurimum, istæ confidentiæ inter S.R.E. Cardinales, & Archiepiscopos, Episcopos, & alios potentes viros sint, & inferiores iudices ad eos pro eorum dignitatibus, gradibus, vel officiis, aut potentia respectum habentes, ac etiam quia nullus est, qui contra eos se instigatorem, aut accusatorem ostendere, aut propalare velit iniustitia desuper exhibenda, & ministranda, ac præfatis Pij prædecessoris literis exequendis se negligentes, aut morosos reddunt. Quo fit, vt ad aures nostras non sine animi nostri displicentia peruenit, vt nonnulli sacros canones, seu literas Pij prædecessoris huiusmodi parui pendentes, non vereantur in animarũ suarũ perniciem ecclesias etiam Cathedrales, & metropolitanas, monasteria, prioratus, & alia beneficia secularia, & regularia in confidentiam, quam simoniacam prauitatem sapere non ignorant, acceptare, & retinere, seu illa in vim assertorum regressuum, siue accessuum, & ingressuum sic, vt præfertur, eis concessorum, & affectum, vt aiunt, sortitorem consequi & habere velle. Nos, qui post nostram ad summi apostolatus apicem, diuina fauente clementia, assumptionem inter alias nobis imminentes curas hoc præcipue, & maxime cordi habuimus, prout habemus, huiusmodi confidentias de medio tollere, & in sua pertinacia circa huiusmodi ecclesiarum, monasteriorum & beneficiorum detentionem, seu assecutionem persistentes nisi resipiscant debitis nobis visis pœnis plecti, ac vnicuique prout ex nostro vniuersali, & pastorali officio tenemur, in his iustitiam ministrare, & ne abusus, vel potius delictum huiusmodi vlterius fidelium animas illaqueatas tenendo progrediatur, omni debito, & celeri remedio prouidere volentes: Motu simili &c. ac ex nostra certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine præmissorum omnium cognitionem, & literarum prædictarum executionem nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus reseruantes, prout harum serie reseruamus, omnes, & singulas confidentiarum huiusmodi contra quoscunque etiam eiusdem S.R.E. Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, & alios quoscunque coram quibuscunque iudicibus, etiam ad hoc specialiter delegatis, etiam sacri Palatij apostolici causarum auditoribus, ac S.R.E. Cardinalibus motas, & pendentes, in eisdem statu, & terminis in quibus reperiuntur, ac etiam alias quascunque similium confidentiarum causas contra supradictos, & alios quoscunque de cætero mouendas, seu ad nos quomodolibet deferendas per nos summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij sola facti veritate inspecta etiam per viam inquisitionis, seu ex nostro officio, aut alias nobis expedire videbitur procedendo, audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas, & totaliter exequendas ad nos auocamus, decisionique, & terminationi per nos super illis faciendæ, appellatione quacunque etiam alias de iure admissibili reiecta, & postposita, standum, ac acquiescendum, &

omnino parendum, & obediendum fore ſtatuimus & ordinamus, ſicque mentis, & voluntatis noſtræ incommutabilis eſſe dicimus, decernimus, & declaramus: Certificantes, prout certificamus, & atteſtamur omnibus, & ſingulis ſupradictis in ipſis cauſis eos in eorum prætenſis iuribus, & aliis, quæ coram nobis dicere, & allegare, ſeu prætendere voluerint audiendo iuſtitiam, vt par eſt, nos miniſtrare paratos exiſtere. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Cancellariæ Apoſtolicæ regulis incontrarium quomodolibet editis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volentes ſolam noſtram, per placet, ſignaturam ſufficere, & vbique in iudicio fidem facere, quacunque regula contraria non obſtante. Et vt præmiſſa ad ſupradictorum, & aliorum, quorum intereſt, notitiam deueniri poſſint, præſentem noſtrum motum proprium per vnum ex noſtris curſoribus in Baſilicæ principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancell. Apoſtolicæ valuis illius copia inibi affixa, vt moris eſt, publicari mandamus. Quæ omnes ſupradictos perinde arctent, ac ſi eis ipſe motus proprius perſonaliter intimatus fuiſſet.

Placet Motu proprio M.

Anno à Natiuitate Domini M. D. LXVIII. Indic. XI. Die vero quinta menſis Ianuarij Pont. ſanct. in Chriſto patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti anno ſecundo, ſupraſcriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis ſupraſcriptis per me Stephanum de Olea S.D.N. Papæ Curſ.

Franciſcus Sottocaſa Mag. Curſ.

Andreas de Graſſis Not. à S. D. N. ſpecialiter deputatus.

Bulla S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Super deponendis fructibus, & diſtributionibus beneficiorum eccleſiaſticorum, lite pendente.

PIVS

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

COrdi nobis eſt lites minuere, & à laboribus ſubditos, maxime perſonas eccleſiaſticas diuino cultui deditas, releuare. Sane cum (ſicut accepimus) in pleriſque Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis earum conſtitutionibus, & ſtatutis etiam à ſede apoſtolica approbatis, & confirmatis cautum ſit, quòd occurrentibus litibus, & controuerſijs inter prouiſos de dignitatibus, officiis, canonicatibus, & præbendis, portionibus, & præſtimoniis, cæteriſque beneficiis eccleſiaſticis qualitercunque qualificatis, tam ordinaria, quam apoſtolica auctoritate tam ſuper illorum prouiſione, ſeu inſtitutione, aut poſſeſſione, quam illorum idoneitate, & habilitate, aut alias ex quauis cauſa, & eorundem ad dignitates, canonicatus, & præbendas, cæteraque beneficia eccleſiaſtica prædicta admiſſione, & receptione, & capitulum, & canonicos, cæteraſque capitulares perſonas, ad quos ad miſſio, & receptio tam de iure, quam ex conſuetudine ſpectat, & pertinet, aut etiam alias perſonas eccleſiaſticas aſſerentes beneficia prædicta ad ſe de iure ſpectare, ipſi ſic prouiſi interim beneficiorum huiuſmodi fructus, ac diſtributiones non percipiant, ſed capitulum, & canonici illas vel in ſuos vſus, & vtilitatem conuertendas, ſeu reſtituendas ei, cui de iure reſtituēdæ erunt, recipiant, prout in dictis conſtitutionibus, & ſtatutis, ſeu conſuetudinibus continetur, quo factum eſt, vt lites huiuſmodi immortales efficiantur, nec earum optatus finis videri poſſit: Hinc eſt, quòd nos hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione auctoritate apoſtolica ſtatuimus, atque decernimus, quod fructus, reditus, & prouentus, ac diſtributiones, cæteraque emolumenta, quæ vigore conſtitutionum, conſuetudinum, & ſtatutorum prædictorum à capitulo, & canonicis recipienda (vt præmittitur) erant, amplius non ab eiſdem capitulo, & canonicis recipiantur, ſed penes per-

sonam fide,& facultatibus idoneam per iudicem, coram quo causæ huiusmodi pendere repertæ fuerint, eligendam, & nominandam deponantur, restituenda ei,cui de iure postea restituenda fuerint. Sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes in quauis instantia iudicari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate. Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis apostoliceis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, & quarumuis ecclesiarum prædictarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus,priuilegiis quoque,indultis, & literis apostolicis illis, eorumque capitulis, & superioribus per quoscunque Roman. Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem apostolicam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac quauis etiam Imperiali, vel Regali consideratione,vel instantia, & alias quomodolibet concessis,approbatis,& innouatis. Quibus omnibus (etiam si pro illorum sufficienti derogatione specialis, spefica, indiuidua, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, perinde ac si tenores huiusmodi de verbo ad verbum nihil penitus omisso incerti, & forma in illis tradita obseruata foret,pro sufficienter expressis habentes) specialiter, & expresse derogamus,cõtrariis quibuscũque. Volumus autem, quòd præsentium Transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis,& sigillo alicuius personę

in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio,& extra adhibeatur,quæ præsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ, vel ostensæ. Quodque literæ ipsæ Cameræ, & Cancellariæ apostolicarum, & audientiæ causarumPalatij apostolici valuis,& in acie campi Floræ dimissis inibi copiis,publicatæ,& affixæ omnes ita afficiant, & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti,decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri,& Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctũ Petrum,anno incarnationis Dominicæ 1568. tertio Kal. April.Pontificatus nostri anno tertio.

P.Episc.Narnien.Summista. Cæ.Glorierius.
H.Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate D.N.Iesu Christi 1568.indictione vndecima, die verò ij. mensis Iunij, Pontificatus sanctiss.in Christo Patris,& D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti,anno tertio,retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ,& publicatæ fuerunt ad valuas Cameræ, & Cancellariæ Apostolicarum, & audientiæ causarum Palatij apostolici, ac in acie Campi Floræ dimissis in omnibus locis præfatis earundem retroscriptarum literarum copiis affixis, per nos Iulium Parinum,& Ioannem Bornotum prælibati sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Ioan.Freile Magister Cursorum.

Bulla S.D.N.Pij diuina prouidentia Papæ V.Relaxationis prohibitionu de non admittendis Resignationibus per Ordinarios cum modificationibus.

Pius

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QVanta Ecclesiæ Dei incommoda omni tempore attulerit, & nunc quotidie magis afferat ministrorum in eam ingressio vitiosa, iam late perspiciant, & cum mœrore expendant Præsules omnes, & pastores, quando hæc pernicies cæterarum omnium maxima, tam multas orbis Ecclesias impie violarit. Quia vero hoc malum cum in cæteris frequens, tum maxime in beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestũ esse debet, quod pridem de reprimendis quotidianis fraudibus, quæ hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem inituri, officij nostri partes in prohibenda omnibus interim resignationũ huiusmodi receptione paulo seuerius interposuerimus, omnesque beneficiorum interim resignandorũ dispositiones, quæ fierent, in irritum reuocauerimus ac etiam decreuerimus nullum per eas in illis ius, neque titulum, vel coloratum tam in petitorio, quam in possessorio ipsis prouisis tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuo inhabiles fore. Collatores vero alias in illorum dispositione etiam tanquam deuolutionis iure sese interponere nõ posse, sed de eis vt vere vacantibus, siue per Romanum Pontificem, siue alios collatorum eorundem superiores, vti præuentum esset, libere prouideri. Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quo sanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino persequi, ac simul, quantum in nobis est cauere, ne resignationes ipsæ dehinc pro cuiusque arbitrio, nullisque, vel certe leuibus causis passim, & temere admittantur, Prohibitionem, & alia prædicta, ac cætera omnia nostris super his literis contenta eatenus relaxamus, vt posthac Episcopi, & alij facultatem habẽtes eorum duntaxat resignationes recipere, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarij,

rij, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxij, censurisque ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent ecclesiæ, vel beneficio inseruire, seu qui vnum aliud vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoueri, Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur: denique cũ quis ex aliis casibus acciderit, qui constitutione felicis recordationis Innocentij Papæ iij. de dimittendis cathedralibus ecclesiis, edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij residere securi: sed nec horum vllus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus valeat vllo modo beneficium, vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari, Ad hæc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ canonicis sanctionibus, & apostolicis constitutionibus permittuntur. Caueant autem Episcopi, & alij prædicti, itémque omnes electores, præsentatores, & patroni tam ecclesiastici, quam laici quicunque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in huiusmodi beneficiis, & officiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat. Cæterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alij collatores de beneficiis, & officiis resignandis prædictis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, audeant prouidere, quod si secus, ac etiam quicquid præter, vel cõtra formam prædictorum fuerit à quocunque temere attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere. Qui vero contrafecerint, vt in eo, quo deliquerint, puniantur, à beneficiorum, & officiorum collatione, necnon electione, præsentatione, confirmatione, & institutione, prout cuique competie

petierit, tandiu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere, & qui talia beneficia, seu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus subiacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare, vel instituere ausi fuerint, excommunicationis quo ad personas, quo vero ad capitula, & conuentus à diuinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus: quibus etiam nullus alius quam ipse Romanus Pontifex, siue absolutionis, siue relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impartiri. Prohibitione, & literis nostris prædictis nihilominus in cæteris omnibus perpetuo valituris. Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, indulgentiis, & literis apostolicis generalibus, & specialibus quibuscunque, Episcopis, & aliis superioribus, ac inferioribus ecclesiarum prælatis, necnõ Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Cõuentibus, Collegiis, & Vniuersitatibus, eorumq;, & aliis personis etiã Regia, & Imperiali maiestate p̃ditis sub quacunq; verborũ forma, & conceptione concessis, per quæ effectus præsentium impediri posset quomodocunque, vel differri, etiam si de eis ipsorumque totis tenoribus ad verbum, ac de propriis nominibus eorum, necnon Ecclesiis, Monasteriis, locis, ordinibus & dignitatibus, quibus necnon causis, propter quas illa concessa sunt, specialem, & expressam præsentibus fieri oporteret mentionem. Cæterum iubemus easdem præsentes ad valuas Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ publicari, & earum exempla affigi: volumúsque eas sic publicatas omnes, & singulos perinde afficere, & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ. Exemplis quoque prædictis etiam impressis, manúque Notarij publici, & sigillo prælati ecclesiastici, vel eius curiæ obsignatis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ relaxationis, præcepti, interdicti, decreti, promulgationis,

iussionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri, & Pauli apostolorum eius se noueritincursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1568. Kal. Aprilis, Pont. nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1568. indictione vndecima, die vero decima mensis Aprilis, Pont. sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno tertio, retroscriptæ literæ apostolicæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ dimissis ibidem eorundem exemplis affixis per nos Iulium Parinum, & Ioan. Andr. Panizzam prælibati S. D. N. Papæ Curs.

Bartholom. Sottocasa Mag. Curs.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Reuocationis facultatum concessarum Comitibus Palatinis & aliis etiam Collegiis Romanæ Curiæ, Super promouen. ad Doctoratus, Licentiaturæ, & Magisterij gradum.

PIVS *Episcopus seruus seruorum* Dei, *ad perpetuam rei memoriam.*

QVamuis à sede Apostolica ad quam negotiorũ multitudo vndiq; confluit, curis omnino plena innumeris nonnulla interdũ ex iustis causis concedãtur, quæ successiuis temporibus in publicũ detrimẽtum, & alieni iuris præiudicium tendere noscuntur, nõ debet reprehensibile videri, si Romanus Pontifex, ad cuius prouidentiã pro debito pastoralis officij spectat super iis debite prouidere, illa rationabilibus, & iuridicis superueniẽtibus causis deinde cognitis quãdoque reuocat, & annullat, ac in statum redigit rationis. Sane cum fide dignà plurimorum relatione non sine animi nostri molestia intellexerimus,

nonnul

Palatinos, & diuersos alios prætextus facultatum nonnullos Comites Palatinos, & diuersos alios prætextu facultatum sibi à Romanis Pontificibus, & Sede Apostolica concessarum quam plurimos tam laicos quam Clericos, tam iure ciuili, quam Canonico, & Theologia, nullo, aut non debito examine præuio, in doctos, & inhabiles, Doctores Licetiatos, & Magistros creasse, promouisse, vti ad dignitates, ceteráque beneficia ecclesiastica facilius assumerentur, & de eis prouideretur in animarum suarum iacturam, & quamplurimorum scandalum: Nos huiusmodi scandalis, quantum in nobis est, obuiare, & alias ne de cætero in habiles ad huiusmodi gradus admittantur, prouidere volentes, Motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione omnia, & singula facultates, & indulta eisdem Comitibus, ac etiam quibusuis Officialium Romanæ Curiæ Collegiis, singulisque aliis personis cuiuscunque status, gradus, ordinis, & præeminentiæ, existentibus, ad Doctoratus, Licentiaturæ, & Magisterij gradum promouendi per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & sedem apostolicam, ac etiam nos, etiam Motu scientia & potestatis plenitudine similibus quomodolibet concessa, confirmata, & innouata, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, & annullamus, ac decretis Concilij Tridentini inhærentes decernimus, & declaramus, eos, qui à Comitibus, & aliis prædictis promoti fuerunt quo ad dignitates cæteraque beneficia ecclesiastica, nulla gradus prærogatiua frui & gaudere posse, vel debere. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices etiam causarum Palatij apostolici Auditores, sublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, interpretari, iudicari, & diffiniri

niri debere, Necnon irritum, & inane quicquid secus super iis à quoquam auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac præfatis, & quibusuis aliis facultatib⁹, priuilegiis, indultis, & literis apostolicis eisdem Couenitibus, & Collegiis, necnon quibusuis aliis etiam ex quauis causa etiam vrgentissima, aut in vim contractus inter eos, & sedem prædictam initi, vel ex causa onerosa, etiam motu proprio, ac consistorialiter, & alias quomolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus illorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quo ad hunc effectum specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducãtur, volumus, ꝙ in Cãcellaria nostra apostolica, & acie Campi Floræ de more publicẽtur, & inter Constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret eas ad singula quæque loca defferri, quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, cassationis, annullationis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ 1568. kal. Iunij Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Giorierius. H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, Indictione vndecima, Die

vero vigesima octaua Iunij. Pontificat. Sanctiss. in Christo patris & D. N. D. Pij diuina prouidētia Papæ V. anno tertio, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerūt ad valuas Cancellariæ apostolicæ, & in acie Cāpi Floræ, vt est moris, dimissis ibidē præsentibus literis per aliquantulum temporis spacium affixis, & deinde amotis per nos Iulium Parinū, & Philibertū Chappius prælibati S.D.N. Papæ Curs.

Antonius Clerici Magist. Curs.

S.D.N.D. Pij Papæ V. Translatio Curæ Monialium à fratribus ordinis Minorum Conuentualium ad ordinarios locorum.

PIVS PAP. V.

AD perpetuam rei memoriam. Cum (sicut accepimus) Diuersa Monialium Monasteria curæ, & regimini dilectorum filiorum Fratrum ordinis Minorū Conuentualiū sancti Francisci subiecta esse reperiantur, Nos volentes pro nostri pastoralis officij solicitudine eosdem fratres, vt commodius, & liberius sacrarum literarum studiis incumbere valeant ab onere, & impedimento gubernij Monialiū huiusmodi liberos esse, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaq; deliberatione nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, Fratres Conuentuales prædictos, vbicunq; existentes, ab omni cura, gubernio, regimine, & administratione quorumcunq; Monasteriorum Monialium, seu Beghinarum, aut Bizocherarum, vel alias quomodolibet commissorum, & per eos hactenus regi, & gubernari solitorum, ex nunc in perpetuum auctoritate apostolica tenore præsentium penitus absoluimus, ac totaliter liberamus, eosq; ab huiusmodi onere absolutos, liberos, & immunes fore, & esse, nec deinceps in illis quouis prætextu, aut quæsito colore se vllatenus intromittere posse neq; debere decernimus, ac ipsorū Monasteriorum Monialium curam, & gubernij eisdē Fratribus de cætero omnino interdicimus. Ne autem ipsa Monialiū Monasteria propterea in spiritualibus, aut

aut temporalibus detrimentum aliquod patiantur, nostræ prouidentię diligentia opportune prospicere cupientes, eadem Monialium Monasteria omnia, & singula locorum ordinariis, in quorum Ciuitatibus, aut diœcesibus respectiue consistunt, per eos feliciter regenda, & prospere dirigēda auctoritate, & tenore prædictis motu simili subiicimus, atq; supponimus, eáq; ab ipsis ordinariis regi, & gubernari debere volumus, ac mandamus. Et vt id propte, libentérque suscipiant, & exequantur, eis in virtute sanctæ obedientiæ iubemus, curāq; Monasteriorum huiusmodi bene, ac diligenter gerere, & exercere, donec aliter per nos, seu successores nostros Romanos Pontifices desuper fuerit ordinatū, districte præcipimus, Mandātes eisdem Ordinariis, vt contradictores quoslibet, & rebelles, præsentibus nostris literis parere recusantes, seu differentes, etiam si dicti fratres fuerint, per pœnas sibi beneuisas etiam pecuniarias, ac demū per excōmunicationis, & alias sententias, & censuras ecclesiasticas, cæteráq; opportuna iuris, & facti remedia omni, & quacūque appellatione post posita, ac prorsus remota, auctoritate nostra cōprimant, & cōpescant, eósq; ad parendū, & cum effectu statim obediendū præsentibus literis cogant, & cōpellant, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, super quibus dictis Ordinariis plenam, & liberam harum serie facultatem concedimus, & potestatem. Non obstantibus premissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon Monasteriorum & ordinum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis etiam Mari magno, & bulla aurea, seu concordiæ, aut alias nuncupatis, & cum quibusuis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibúsque, & aliis decretis quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpius innouatis, quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specia-

lis, specifica, & indiuidua mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formam in illis tradita obseruata, insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, aut si Fratribus, vel Monasterijs prædictis vel quibusuis aliis communiter, vel diuisim ab apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiusmodi mentionẽ. Volumus insuper, ꝙ præsentiũ, transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, que originalibus literis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Quodque eædem præsentes per aliquem Notarium publicum vel vnum ex Cursoribus nostris in generali doctorum fratrum Capitulo, quod nunc in alma Vrbe nostra celebratur, lectæ, omnes & singulos afficient, perinde ac si omnibus, & singulis, quos concernunt personaliter intimatæ fuissent. Datum, Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, Die j. Iunii 1568. Pont. nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini 1568. Indictione xj. Die vero x. Iunij. Pont. S. D.N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno tertio, retroscriptæ literæ apostolicæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in generali retroscriptorum Fratrum Conuẽtualium, videlicet Ministrorum Generalis, & Prouincialium congregatione habita in conuentu sanctorum Apostolorum de Vrbe, per me Robertum Fontanum Archiuij Romanæ Curiæ scriptorem Clericum Mutinensem presentibus Illustriss. & Reuerendissimo D. Alexandro Cardinale Cribello Viceprotectore, & Reuerendissimo patre D. Episcopo S.

po S. Agathæ testibus, &c. In quorum fidem hic me subscripsi.

Robertus Fontanus Archiuij Ro. Cu. scriptor.

Sanctiss. D.N.D. Pij Papæ V. Constitutio de proprietate sublata Fratribus Ordinis Minorum conuentualium, & de ambitu officiorum.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD extirpandos cupitæ proprietatis abusus summum bonum in frugifera religione fratrum Minorum Conuentualium nuncupatorum peruertentes, simulque frangendam pessimam corruptelam, quæ de administrationibus, & officiis huius ordinis, per gratiam, & sordes consequendis, perperam inoleuit. De nobis attributę potestatis plenitudine, omnes, & singulos fratres prædictos, etiam si Magistri Generales, Prouinciales, Custodes, & alij quicunque sint, priuato rerum, bonorúmque omnium immobilium & se mouentium dominio, v sufructu, possessione, & proprietate, q uocunque per eos modo acquisitis, & ad ipsos obuentis, perpetuo priuamus, dictáque possessione amouemus, & amotos nunciamus, illáque omnia, & singula, in communes suarum cuiusque domorum, & prædictæ Religionis vsus conuertenda concedimus, ac omnia, & quæcunque priuilegia, dispensationes, licentias, permissiones, & indulta, eis, & ipsorum singulis, super his, ac domibus, cellis, hortis, pecuniis, aliisque rebus, etiam causa senij, infirmitatis, parentum subuentionis, congerendæ sororibus dotis, & cuiuscunque alterius pij officij intuitu, habẽdis, retinendis, & fruendis, etiam per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem apostolicam, etiam motu proprio, & ex certa scientia concessa, confirmata & innouata, quibuscunque concepta formulis, ac clausulis, & decretis suffulta (quorũ omnium tenores præsentibus habemus pro

expressis (specialiter, & expresse reuocamus. Volumúsque illa omnia, & singula, vires, & effectũ de cætero non habere. Et nihilominus mandamus Magistris, & superioribus omnibus, in virtute sanctæ obedientiæ, vt rerum, & bonorum omnium prædictorum possessionem, nomine domorum, & locorum suorum capiant, vt illa, illorumque fructus, in communes omnium vsus cõuertantur: Statuentes, vt deinceps nullus omnino fratrũ dicti ordinis, siue priuatus, siue Custos, siue Prouincialis, siue generalis Magistri officio fungens, etiam pretextu huiusmodi priuilegiorum, dispensationum, permissionum, & indultorum, seu inueteratæ consuetudinis, voto repugnantis, aut quacunque alia causa, proprium quicquam, aut priuatum habeat, sed omnia vbique communia, & indiuisa omnibus religiosis esse. Quinetiã Magistri, Custodes, & Guardiani, vitam cum fratribus suis communem ducere debeant, in Refectorio semper comedant, Nullas ædes separatas, siue in Claustro, siue alibi habeant, sed vnica cella, eademque cum cæteris aliorum fratrum coniuncta, contenti esse debeant. Pari quoque ratione cæteri fratres, nihil sibi proprij vendicantes, necessarium victum, & vestitum, à sua quisque domo, & per eius Ministros capiant, Pecuniæ vero, & quæcunque aliæ res, quæ cuique priuatim, etiam intuitu personæ, vndecunque donatæ, & relictæ fuerint, Superiori, harum vigintiquatuor interuallo exhibeantur, qui illas statim deposito committat, & inde tantum exhibitori ministrari iubeat, quantum præsens rei conuenientis necessitas videbitur postulare, Eam præterea diligentiam Superior adhibere debebit, vt singulorũ maxime infirmorum necessitatibus, iuxta cuiusque exigentiam debite consulatur. Ad hæc nullus omnino Magistrorum, Custodum, & Guardianorum, administrationem prædictorum bonorum, & aliarum rerum temporalium, dispensationemque pecuniarum, & reditũum suæ custodiæ, vel domus, etiam nomine Conuẽtus habere, siue exercere, vel sese in eis interponere possit,

possit, sed vniuersum id onus tribus religiosis à Magistro Generali ita demandetur, vt primus rerum, & bonorum custodiæ, siue domus, inferẽdorumque in eam redituum curam habeat, Alter tanquam depositarius pecunias, & cætera ab illo importata fideliter asseruet, Reliquus de pecuniis, & rebus à depositario captis Custodi, Guardiano, & fratribus, ac domui vniuersæ, de necessarijs, veluti dispensator, cum ipsius Custodis, seu Guardiani auctoritate prouideat, Officiorum huiusmodi inuicem confusione penitus interdicta, Sed & ij tres, tam accepti, quam impensi, singulis mensibus, suo Custodi, vel Guardiano, adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus eiusdem domus probatorinus, rerumque vsu peritis, deinde ipsimet rursus præsentibus Custode, Guardiano, & peritis, Magistro generali, vel Visitatoribus, quotiescunque visitationis officium fecerint, Denique ipse Magister generalis, in proximo sequenti Capitulo generali, corã tribus Iudicibus, ab ipso Capitulo deputatis, illorum omnium, & etiam vniuersæ administrationis suæ publice, & priuate rationem reddere teneatur. Cæterum præcipimus, atque interdicimus omnibus, & singulis, ne pro Magistratibus, & Officiis prædictis, quæcunque sint, vlli ambitus fiant, aut pecuniæ, etiam pro confirmationibus, sigillo, vel scriptura, aut quacunque alia re, vel causa soluantur, aliæue pactiones, seu promissiones intercedant, seu munera, aut xenia, quocunque modo mittantur, neue quisquam, etiam in officio existens, pecunias, aut aliud quicquam de domo, vel Custodia sibi commissa, vel aliunde Generali, seu alij cuicunque conferat, vel remittat, Quicunque secus fecerint, in pœnam priuationis Magistratuum, & officiorum suorum incidant, & ad futura inhabiles, & infames reputentur, & pro culpis, etiam tanquam fures puniantur, prout nos illos priuatos, inhabiles, & infames declaramus eo ipso, Decernentes irritum, & inane, quicquid secus in præmissis per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari,

Procurationibus tamen, Generali ex vniuerso ordine, ac Prouincialibus Magistris, ex sua cuique prouincia, & Visitatoribus ex domibus, & locis visitandis debitis, & necessariis, nequaquam per præsentes sublatis. Non obstantibus prædictis, & nostra de non tollendo iure quæsito, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti ordinis iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Nec non Bulla aurea, & Mare magnum nuncupatis, & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & Literis apostolicis, generalibus, & specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis: Quæ omnia contra prædicta nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Cæterum, quia difficile valde esset, easdem præsentes ad singula loca, vbi illis opus erit transferre, Volumus vt earum exemplis, etiam impressis, manuque Notarij publici, & sigillo Prælati ecclesiastici, vel eius curiæ obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ priuationis, amotionis, nunciationis, concessionis, reuocationis, declarationis, mandati, statuti, præcepti, interdicti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctũ Petrum, anno incarnationis Dñicæ 1568. sexto Idus Iuni, Pont. nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1568. indictione vndecima, die verò decima mensis Iunij, Pon

Pontific. Sanctissi. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, retroscriptæ literæ apostolicæ lectæ, & publicatæ fuerunt in generali retroscriptorum fratrum conuentualium videlicet Magistri generalis, & Prouincialium congregatione habita in Conuentu Apostolorum de Vrbe per me Robertum Fontanum clericum Mutinensem Archiuij Romanæ Curiæ scriptorem præsentibus ibidem Illustrissi. & Reuerendissi. Domino Alexandro Cardinale Cribello Viceprotectore, & Reuerendissi. patre Domino Episcopo sanctæ Agathæ testibus, &c. In quorum fidem hic me subscripsi.

Robertus Fontanus Archiuij Romanę Curiæ scriptor.

Bulla S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Super residentia facienda in parochialibus per obtinentes eas, ac Canonicatus, aut dignitates, seu aliud beneficium.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CVpientes pro nostri pastoralis offici munere Christifidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere, & parochialibus ecclesiis ab earum parochiis, prout tenentur, in diuinis debite & laudabiliter deseruiri, inhærendo etiam decretis sacri Concilij Tridentini, Motu proprio, & ex mera deliberatione, certaque scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione omnes, & singulos Rectores parochialium ecclesiarũ cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ, fuerint, in quibuscũque regnis, prouinciis, ciuitatibus, diœc. ac aliis Christiani orbis partibus consistentes, qui parochialem ecclesiam, ac canonicatum, aut dignitatem, etiam post Pontificalem maiorem, seu principalem in quibusuis patriarchalibus, aut Metropolitanis, vel cathedralibus, seu collegatis ecclesiis, seu aliud quodcunque beneficium ecclesiasticum, etiam quarumcunque dispensationũ à Roman. pontificibus

prædeceſſoribus noſtris, ſeu etiam à nobis hactenus quomodolibet impetratarũ, ac literarũ apoſtolicarũ deſuper expeditarum titulo, quas omnes hac præſenti Conſtitutione abolemus, & reuocamus, ſeu quocunque alio prætextu obtinent, cum prima, & præcipua debeat eſſe cura animarum, eos ad reſidendum in eccleſia parochiali, & ibi in diuinis deſeruiendum, debitoque eorum officio fungendum omnino tenerj, & obligatos eſſe, ac ad id per Epiſcopos, & aliorum locorum ordinarios, etiam tam quam apoſtolicæ ſedis delegatos, ſub ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis, ac pecuniarijs arbitrio eorum, declarandis, ac etiam priuationis dictarum parochialium, & aliorum quorumcunque beneficiorum pœnis, quacunque appellatione remota, cogi, & compelli poſſe, & debere auctoritate apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus. Eos tamen ſic reſidentes in eccleſiis parochialibus omnes, & ſingulos fructus reditus, & prouẽtus, etiã Canonicatus ſui, vel dignitatis, ſeu alterius cuiuſcunq; beneficij exceptis dũtaxat quotidianis diſtributionibus, & aliis, quæ ex iuſta cauſa abſentes percipere nõ ſolent, lucrari volumus. Sicq; per quoſcunq; iudices, & cõmiſſarios, etiã cauſarũ Palatij apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, interpretari, iudicari, & diffiniri debere. Nec non irritũ, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquã quauis auctoritate ſcienter, vel ignorãter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterũ cõtigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtãtibus præmiſſis, ac quibuſuis diſpẽſationibus, & exẽptionibus, literiſq; apoſtolicis deſuper cõfectis, necnõ apoſtolicis in prouincialibuſque, & ſynodalibus Cõciliis editis generalibus, vel ſpecialibus cõſtitutionibus, & ordinationibus, & etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apoſtolicis quibuſuis perſonis in genere, vel in ſpecie, & alias quo

quomodolibet conceſſis, & approbatis, in poſterũmque concedendis, & approbandis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorũmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ad effectũ præſentium ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quòd harum literarum Tranſumptis etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in iudicio quam extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abolitionis, reuocationis, ſtatuti, præcepti, ordinationis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datũ Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicę 1568. octauo Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno tertio.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, Idinctione vndecima, Die verò decima quinta menſis Iulij, Pontificatus Sanctiſſim. in Chriſto patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno tertio, retroſcriptæ literæ apoſtolicæ, lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicæ principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellarię apoſtolicæ, & in acie Campi Florę dimiſſis ibidem præſen

sentibus literis per aliquantulum temporis spatium, (vt est moris) affixis, & deinde amotis per nos Ioannem Bornotum, & Iulium Parinum, prælibati sanct. D. nostri Papæ Cursores.

Antonius Clerici Mag. Curs.

S. D. N. D. Pij V. Constitutio de extinctione officiorum Ministri, Vicarij, & visitatoris generalis in ordine Fratrum Tertij ordinis sancti Francisci: Et de submissione huius ordinis Ministro generali, & Prouincialibus Fratrum Minorum de obseruantia, Cum reformatione dicti Tertij ordinis, & eius domorum vtriusque sexus.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EA est officij nostri ratio, vt, cum de cæteris Ecclesiæ nobis commissæ ordinibus, vel in sua integritate continendis, vel ad institutum reuocandis curã perpetuam capiamus, maiore tamen solicitudine eadem illa in Religiosorum sodalitatibus requirimus, quos ideo Altissimus in suum sibi sanctuarium segregauit, vt cæteros fideles viam doceant, qua & ipsi æternæ salutis beatitudinem consequantur. Itaque inter cæteras Religiones fratrum quoque Tertij ordinis sancti Francisci de pœnitentia nuncupati in Congregatione viuentium, ac Tribus votis substantialibus astrictorum status, nos commouet, vt ad illum reformandum studia nostra conferamus, quando vel ex tam multis, quæ bonæ memoriæ Rodulphus Episcopus ostien. Cardinalis Carpensis nuncupatus dicti ordinis protector Sedis apostolicæ auctoritate fretus in reparanda horum disciplina præclare, & salubriter edidit, Religionem hanc parum admodum profecisse agnouimus. Proinde nos hac præcipua morbi causa ex proprium præsidentium, & aliorum Ministrorum negligentia, vel inscitia comperta in communem dicti ordinis salutem alia ratione intenti, De nobis atri

tributæ potestatis plenitudine officia Ministratus, & Visitatoris generalis dicti ordinis perpetuo extinguimus & abolemus, ac Ministrum, Visitatorem, & Vicarium generalem eiusdem ordinis officio, vsu, & exercitio omnimode interdicimus, editoque prohibemus ne vllus posthac Minister, Vicarius, ac Visitator generalis de dicto ordine habeatur. Cæterum vt deinceps ordo ipse vtiliorum Rectorum consilio, & opera dirigatur, nos diuersorum etiam prædecessorũ nostrorum ordinationes sequentes, vniuersos, & singulos Fratres, Sorores, Professos, & Conuersos, necnõ Domos, Monasteria, & loca Virorum, & mulierũ, ac custodias, & prouincias per vniuersum orbem cõstitutas, gregémque ipsum vniuersum Tertij ordinis vtriusque sexus Generali, & Prouincialibus Ministris ordinis Fratrum minorum de obseruantia nuncupatorum, prout in eorum prouinciis consistunt, ita perpetuo supponimus, vt Minister generalis in vniuerso ordine, Prouinciales vero ordinis minorum de obseruantia in suis quisque Prouinciis plenum ius, liberãque auctoritatem, ac in spiritualibus, & temporalibus iurisdictionem omnimodam habeãt, Domos omnes, ac monasteria, & loca quæcunque, necnon personas vtriusque sexus, tam in capite, quam in membris visitandi, & corrigendi, vagantes, & quoscunque altos puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi, ordinibus, officiis, & administrationibus deponendi, excõmunicandi, suspendendi, interdicendi, & restituendi, ac etiam super iis, & cæteris omnibus ordinẽ ipsum illiusque domos, & personas vtriusque sexus quomodolibet concernentibus eorum tamen regulæ prędictæ, & sacris canonibus, ac præsentibus literis nõ contrariis statuendi, mutandi, innouandi, & exequendi, quemadmodum illis est in suo proprio ordine attributum, Præcipimus igitur in virtute sanctæ obedientiæ vniuersis, & singulis Fratribus, & Sororibus Tertij ordinis prædicti, vbilibet constitutis, vt generalem, & Prouinciales ministros ordinis

nis fratrum minorum de obseruantia, tanquam pātres,& superiores suos,eorumque monita,& mandata humiliter, & deuote recipiant, & re ipsa adimplere procurent,alioquin contradictores quoslibet, & rebelles sententiæ,censuræ,& pœnę,quos quisque ipsorum rite tulerit, in eosdem ipso facto volumus subiacere. Pari quoque ratione eis Cardinalē protectorem fratrū de obseruantia in protectorem tribuimus, qui eam in eosdem omnes curam, & auctoritatē obtineat,quam alius quisque plenissime hucusque comperitur habuisse. Statuentes præterea, quod futuris omnibus capitulis prouincialibus fratrum Tertij ordinis huiusmodi pro Visitatorum prouincialium, & aliorum officiorum electione fratrum diuisione, & salubri cuiusque prouinciæ directione annis singulis celebrandis,aut Generalis,aut eius Commissarius, aut in cuius prouincia capitulum illorum habebitur, prouincialis minister ordinis minorum de obseruantia huiusmodi semper præsideat, aliter vero celebrata, ac omnia in eis decreta pro irritis habeantur. In ipsis autem Capitulis prouincialibus Visitatorū prouincialium electio de idoneis fratribus. Tertij ordinis huiusmodi per secreta suffragia, & alias eo modo quo de fratrum minorum de obseruantia prouincialibus celebretur celebrata,per Ministrum generalem, prædictum ante omnia confirmetur. Hæc vero officia Annalia duntaxat esse,& in singulis capitulis prouincialibus prædictis resignari debeant, ita vt lapso primo anno, illa vacare censeantur. Poterunt tamen ipsimet Visitatores prouinciales rursus in sequentem annum, & eo finito,etiam in tertium, si idonei reperiuntur,eodem modo eligi,& confirmari, sed omnes suis huiusmodi officiis quādocunq; perfuncti,denuo ad illa, nisi transacto sexennio, nequeant reuocari. Ceterum omnes, & singuli fratres, & sorores Tertij ordinis huiusmodi in sua quisque prouincia visitatori suo tanquam Superiori in omnibus quæ suis regularibus institutis non aduersantur obediant. Omnes vero

vero Visitatores prouinciales huiusmodi sic electi tanquam vices gerentes Ministrorum prouincialium ordinis fratrum minorum de obseruantia,& illis subditi prædicandi,& docendi munus in singulis vtriusque sexus domibus,conuentibus, & locis suæ cuiusq; prouinciæ obitæ,eāmque in sibi subditos fratres,& sorores iurisdictionem, quam ipsimet Ministri prouinciales ordinis minorum de obseruantia obtinent, in omnibus, & per omnia exercere, ac quandocunque opus erit confessiones omnium, & singulorū fratrū, & sororum Tertij ordinis huiusmodi per se, vel alios suæ regulæ sacerdotes idoneos audire, illosque ab omnibus,& singulis sententiis excommunicationis,suspensionis,& interdicti,aliisque censuris,& pœnis ecclesiasticis, necnon peccatis; criminibus, & delictis (dummodo talia non sint, propter quæ sedes apostolica merito consulenda foret)in foro conscientię dūtaxat absoluere, & pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere,ac cum Clericis,& Presbyteris eius ordinis super irregularitate,si quam sententiis, & cēsuris huiusmodi illaqueati missas, & alia diuina officia non tamen in contemptum clauium celebrauerint,vel alias sese illis immiscendo contraxerint, dispensare libere,& licite valeant. Ad hæc nullos omnino fratrum,& sororum tertij ordinis huiusmodi, qui prędicta tria vota substantialia fecerint, etiam prætextu quorumcunq; priuilegiorum, dispensationum, indultorum,permissionum apostolicorum,aut etiam inueteratæ consuetudinis voto repugnantis,seu quacunque alia causa proprium quicquam,aut priuatum liceat obtinere, sed omnia etiam priuatim, ac intuitu cuiuscunque personæ donata, oblata, & concessa vbique communia,& indiuisa omnibus religiosis esse debeant. Quicunque vero pecuniam,aut aliam rem qualemcunque sibi quacunque causa concessam prędlato suo celauerit, furti reus censeatur, & tanquam fur puniatur. Eam tamen diligentiam superior cuiusque domus adhibeat, vt de communi ipsius domus

singu

singulis iuxta exigentiam consulatur. Præterea Sorores dicti tertij ordinis in communi in domibus, monasteriis, vel hospitalibus, aut alia congregatione viuentes, & dicta tria vota substantialia Religionis emittentes sub perpetua clausura maneant. Nullusq; frater, aut confessor earum, vel quicunque prælatus ad domos, monasteria, vel alia loca sororum huiusmodi in communi & collegialiter viuentium, nisi quibus ex officio incumbit, & in casibus necessariis à iure permissis, & tunc cum vno, vel duobus sociis probatis, & honestis ingredi audeat, qui secus fecerit, carceribus mancipetur, omnibusque administrationibus, & officiis deponatur. Ipsarum vero sororum & omnes alij confessores, & sacri Concionatores, per Generalem, vel prouincialem ministrum approbetur. In cæteris autem omnibus, quæ ad religiosam vitam pertinent, illa prædicti fratres, & sorores tertij ordinis obseruare teneantur, quæ à prædicto Rodulpho Episcopo, & protectore vigesima octaua Aprilis, Anni Domini milleſimi quingēteſimi quadrageſimi noin fuerunt ordinata, substantiam totius huiusmodi regulæ maximæ continentia, quam fœlicis recordationis Nicolaus Papa iiij. prædecessor noster ad incrementum fidei catholicæ approbauit, ita tamen, vt præsentibus nullatenus aduersentur, quæcunque vero dubia in eis contigerit exoriri, illa omnia Generalis, & prouincia les ministri ordinis minorum huiusmodi debeant declarare, quorum declarationi, & determinationi eorū regulæ, & præsentibus non contrariæ stari debeat, Ac decernentes præsentes literas de surreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu nullo vnquam tempore notari, seu impugnari posse, aut debere, nec aduersus eas, & in eis contenta quæcunque restitutionem in integrum, aut reductionem ad terminos iuris, vel aliud quodcunque gratiæ, seu iustitiæ remedium quisquam impetrare, vel etiā ab aliis impetrato, aut Motu proprio concesso vti valeat ex quauis causa, quantumlibet rationabili, ac omnia, & singula

gula præmissa aliquibus eiusmodi ordinis statutorū, aut quibusuis aliis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus generalibus, vel specialibus per quoscunq; Roman. Pontifices successores nostros pro tempore factis non cōprehendantur, sed semper ab illis excepta sint. Sicque per quoscunq; iudices quauis auctoritate fungentes, etiam causarū palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiā de Latere Legatos in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretādi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debeat, Necnon irritū, & inane quicquid secus super iis per quoscunque quauis auctoritate, etiam prætextu priuilegiorum, facultatum, dispensationum, & indultorum apostolicorum, quæ quoad hoc penitus abolemus, aut quouis alio quæsito colore scienter, vel ignoranter cōtigerit attentari. Insuper vniuersis, & singulis fratribus, & sororibus tertij ordinis huiusmodi, eorumq; domibus, monasteriis, & locis omnia, & singula priuilegia, indulgentias, dispēsationes, & indulta apostolica fratribus, & sororibus dicti ordinis minorum de obseruantia, etiam quoad Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem, & receptionem quomodolibet concessa, & concedenda quæcunque sint, & fuerint, præsentibus tamen non repugnantia, ita vt illis omnibus, & singulis pariformiter, & æque principaliter vti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant cōcedimus, & indulgemus. Cæterum omnibus, & singulis fratribus, & sororibus Tertij ordinis huiusmodi districtius iniungimus, vt præsentes nostras literas humiliter recipiant, & quæcunque in eis expressa, ac per eas statuta, decreta, & mādata sunt, alia desuper à nobis non expectata iussione, aut mentis nostrę declaratione, firmiter custodiāt, & in omnibus studioſe obedire procurent. Quin etiam dilectis filiis nostris Carolo tt. sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali Borromeo nuncupato dicti ordinis protectori, & illius Ministro generali per apostolica scripta

mandamus vt ipsi, vel eorum alter easdem præsentes, ac quicquid pro earum executione, & obseruatione in dictis futuris capitulis prouincialibus, vel etiam extra illam ab Generali, & prouincialibus ministris ordinis fratrum Minorum de obseruantia huiusmodi statuetur, ordinabitur, & decernetur in omnibus domibus, monasteriis, & locis virorum, & mulierum, ac ab omnibus, & singulis fratribus, & sororibus tertij ordinis huiusmodi inuiolate faciãt per se, vel alium, seu alios obseruari, Contradictores quoslibet, & rebelles, ac etiam protestantes, & reclamantes, eisque auxilium, consilium, vel fauorem publice, vel occulte, directe, vel indirecte quouis quæsito colore, vel ingenio præstantes tam ecclesiasticos quã laicos cuiuscunque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, cæteraque iuris, & facti remedia opportuna appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas prædictas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quæsito, & piæ memoriæ Bonifacii Papæ 8. etiam prędecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, Necnon Tertij ordinis, illiusque domorum, & etiam mulierum monasteriorum prædictorum iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis illis, eorumque superioribus, & personis, ac eorum singulis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, ac alias sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac eum quibusuis clausulis, & decretis in genere, & in specie concessis, confirmatis, ac etiam aliis reformationibus quotiescunque, ac quocunque tempore factis, & promulgatis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis, ac quibuslibet aliis indulgentiis & exemptionibus apostolicis specialibus, & generalibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus no expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quæ omnia contra earundem præsentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Per prædicta tamen non intendimus reformationi fratrum, & sororum Tertij ordinis huiusmodi in Hispaniarum regnis constitutis in aliquo præiudicare, quominus literæ nostræ desuper editæ, & quæcunque illarum vigore pro rerum, locorum, & personarum qualitate, & exigentia facta sunt præsentibus non conformia, possint quoquomodo impediri, vel retractari. Denique volumus, quod ipsarum præsentium exempla etiam impressa, dictique pro tempore existentis Protectoris, aut ministri generalis, vel prouincialis sigillo, & secretarij cuiusuis eorum, vel Notarij publici manu obsignata eandem illam fidem vbique locorum in iudicio, & extra illud faciant quam ipsæ præsentes, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ extinctionis abolitionis, & prohibitionis, suppositionis, tributionis, concessionis, interdicti, statuti, indulti, præcepti, decreti, mandati, iniunctionis, intẽtionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ omnipotẽtis Dei, ac beatorũ Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1568. Quinto. Non. Iulij Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

S.D. N. Pij Papæ V. Constitutio de priuatione Clericorum propter incontinentiã, & eorũ traditione brachio seculari.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

HOrrendum illud scelus, quo pollutæ, fœdatæque Ciuitates tremendo Dei iudicio conflagrarunt, acerbissimum nobis doloremiurit, grauiterq; animũ nostrum commouet, vt ad illud, quantum potest, cõprimendũ, studia nostra conferamus. Sanè Lateranensi Consilio dignoscitur cõstitutum: vt quicunq; Clerici, illa incontinentia, quæ cõtra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, deprehensi fuerint laborare, à Clero deiiciantur, vel ad agendam in Monasteriis pœnitentiam detrudantur. Verum, ne tanti flagitij contagium, impunitatis spe, quę maxima peccandi illecebra est, fidentius inualescat, Clericos huius nefarij criminis reos, grauius vlciscendos deliberauimus, vt qui animæ interitum non horrescunt, hos certe deterreat ciuilium legum vindex gladius secularis. Itaq; quod nos iam in ipso Pontificatus nostri principio, hac de re decreuimus, plenius nũc, fortiúsque persequi intendentes, Omnes, & quoscunque Presbyteros, & alios Clericos seculares, & regulares, cuiuscunq; gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omniq; officio, dignitate, & beneficio ecclesiastico præsentis Canonis auctoritate priuamus. Ita quod per Iudicem ecclesiasticum degradati, potestati statim seculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio deuolutos legitimis reperitur sanctionibus constitutum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ priuationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. Datũ Romæ, apud sanctum Petrũ, anno incarnationis Dominicæ 1568. tertio Kal. Septemb. Pont. nostri anno tertio.

Cæ. Glorierus. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1568. indictione vndecima, die vero tertia mensis Septembris. Pont. sanct. in Christo patris Pij Papæ V. anno tertio, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Floræ, Per nos Antonium Clerici, & Christianum de Monte, prælibati S.D.N. Papæ Curs.

Io. Andreas Panizza Mag. Curs.

Constitutio S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ V. Super modo & forma publicandi ecclesiasticorum beneficiorum resignationes, ac eorum consensuum extensione.

SAnctissimus in Christo pater, & Dominus noster Dominus Pius diuina prouidentia Papa V. animo repetens, quæ & quã grauia inconueniẽtia, & absurda ex occultis beneficiorum ecclesiasticorum resignationibus, & cessionibus dies oriantur, Cum sæpe contingat, quod occulte resignantes, vel cedentes huiusmodi etiam post resignationem, vel cessionem per eos factas, non solum fructus ex beneficiis sic cessis, vel resignatis prouenientes, indebite percipiunt, sed etiã (quod grauius est dolendum) tamquam veri prælati, vel beneficiati, sacramenta ministrant, ordines conferunt, & indulgentias Christifidelibus concedunt, in maximum animarum periculum, & scandalum plurimorum, Nonnunquam etiam cum eisdem resignantibus, vel cedentibus tanquam cum veris prælatis, aut beneficiatis contrahẽtes, illisque decimas, census, oblationes, & alia iura ecclesiastica persoluentes, illa postmodum veris prælatis seu beneficiatis iterum soluere, & ab illis intrusis non sine maximo ipsorum soluentium damno, & incommodo repetere coguntur. Plerumque etiam ordinarij collatores, ac etiam Romani Pontifices pro tempore existentes, beneficia huiusmodi occulte resignata, vel cessa per obitum ipsorum resignantium, vel cedentium vacare, existiman-

tes, illáque tanquam per obitum vacantia conferentes, detecta postea resignatione, vel cessione prædicta simul cum personis prouisis grauiter deluduntur, & fraudantur: Ac etiam considerans quantum in beneficiis ecclesiasticis ea quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, canonicis sanctionibus sint odiosa, ac sanctorum patrum decretis contraria, Quodque propter varias & diuersas fraudes & malitias quæ in dictorum beneficiorum resignationibus, seu iurium in illis, vel ad illa competentium cessionibus (quas maxime puritas simplicitasque decet) quotidie excogitantur & adhibentur, plerumque beneficia huiusmodi, quasi iure hæreditario occupata detinentur. Et propterea ne absurda & inconuenientia prædicta de cætero oriantur prouidere, illaque à templo, & sanctuario Dei quam longissime submouere, ac animarum periculis, necnon fraudibus & malitiis huiusmodi occurrere cupiens, præsenti sua perpetuo valitura constitutione voluit, statuit, & ordinauit. Quod quæcunque dictorum beneficiorum resignationes, aut iurium cessiones tam in manibus suæ sanctitatis, quam cuiuscunque Romani Pontificis sui prædecessoris, aut successoris, aut cuiusuis alterius etiam loci ordinarij vsque in diem publicationis præsentis constitutionis factæ, & quas imposterum fieri contigerit sub infrascriptis modo, & forma, & non aliter publicari, ac ad eorum, ad quos spectat, notitiam deduci debeant, Videlicet resignationes, & cessiones iam factæ (si illarum vigore possessio nondum fuerit per resignatarium, vel cessionarium apprehensa, etiam si super illis consensus præstiti fuerint) nec non eæ, quas infra tempus inferius designatum, à quo præsens constitutio obtinere incipiet, si quidem extra Roman. curiam factæ exiterint infra vnum, si vero in eadem curia infra sex menses à die, qua eadem constitutio sic vt præfertur obtinebit, numerandos, Reliquæ vero quas post dictam diem fieri contigerit, si quidem extra curiam similiter infra vnum, Si vero in ipso curia

ria fiant infra sex menses à die datæ supplicationis resignationum, seu cessionum earundem, non autem à die præstiti, seu præstandi consensus computan. in ecclesia ipsius beneficij, ac etiam in Cathedrali, vel Metropolitana, vel alia superiori ecclesia, cui beneficium ipsum resignatum, vel cessum immediate subest, si quidem beneficium extra Cathedralem ecclesiam situm est, vel fuerit, si vero beneficium huiusmodi in cathedrali, vel alia superiori ecclesia extiterit in ipsa sola dum inibi populi multitudo ad diuina audienda conuenerit, publice, ac alta, & intelligibili voce, ita quod ad omnium in eadem ecclesia præsentium notitiam verisimiliter peruenire possit, per ipsos resignantes, vel cedentes, aut resignatarios, vel cessionarios, vel alium, seu alios eorum nomine publicentur, Ipsique resignatarij, vel cessionarij realem, & actualem possessionem beneficiorum huiusmodi realiter & cum effectu apprehendere, vel saltem illam infra prædictum vnius, vel sex mensium terminum ab his, ad quos illius traditio de iure, vel de consuetudine spectat, vere & non ficte seu perfunctorie congruo loco, & tempore petere debeant, Et si beneficia ipsa etiã quoad possessionem tantum litigiosa, & per alios possessa fuerint, vel eorum possessio ex quauis causa capi, seu apprehendi non possit, si litem huiusmodi in dicta curia nunc, aut in futurum tendere contigerit, vltra præmissa, literas desuper expeditas, vel saltem instrumentum consensus cum data supplicationis, ac etiam cum designatione libri, & folij, in quibus supplicatio huiusmodi registrata fuerit, infra mensem à die eiusdem datæ, non autem à die præstiti consensus numerandum in actis Notarij causæ, & litis huiusmodi realiter, & cum effectu præsentare, illumque in eisdem actis annotari facere. Et insuper quod in omnibus, & singulis casibus suprædictis resignatarij, seu cessionarij eorumque successores vel causam ab eo quomodolibet habentes consensum ante obitum resignantis, vel cedentis, etiam si supplicatio per

eundem resignantem, vel cedentem, seu eius procuratorem porrecta fuerit, in libris Cameræ, ve Cancellariæ, si quidé resignatio, vel cessio huiusmodi in ipsa curia, alias si extra curiam facta fuerit, vel fiat, in actis Episcopalis, seu Archiepiscopalis, vel alterius superioris curiæ, cui beneficium ipsum immediate subest, extensum fuisse legitime docere, seu probare teneantur. Alioquin resignationes, & cessiones, ac extensiones consensuum huiusmodi aliter quam vt præfertur publicatæ, seu factæ cum omnibus inde sequutis, & sequendis, etiam nouis prouisionibus, ac aliis cessionibus & retrocessionibus, cæterisque quibusuis gratiis nullas & inualidas, nulliusque roboris, vel momenti fore ac fuisse & esse statuit, & ordinauit; Et præmissa omnia & singula etiam in quibuslibet beneficiis consistorialibus, & vt præfertur litigiosis, etiam si resignantes, vel cedentes extra possessionem earundem beneficiorum ciuiliter, vel naturaliter decesserint, ac etiam si resignationes & cessiones præfatæ ex causa permutationis, vel cum reseruatione omnium & singulorum fructuum redituum, & prouétuum, ac quotidianarum distributionum propria auctoritate, vel alias percipien. & cum reseruatione tituli, administrationis, seruitij, ac stalli, & alias quomodocunque, & qualitercunque etiam in fauorem alicuius ex scriptoribus apostolicis, aut aliis Romanæ curiæ officialibus, ac etiam in fauorem alicuius ex sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus hactenus factæ extiterint, aut etiam in futurum fieri, & resignatarios, vel cessionarios ipsos infra dictum vnius, vel sex mensium spaciú cedere, vel retrocedere contingat locum habere & suum locum obtinere voluit, & expresse declarauit. Sicque & non aliter per quoscunque iudices, & commissarios quauis etiam apostolica auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij apostolici Auditores, & ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & aucto

auctoritate iudicari, & diffiniri deberę, irritum quoque &c. decreuit. Cæterum, vt præsens constitutio facilius omnibus innotescat, Sanctitas sua voluit, & mandauit, quod eadem cõstitutio non solum in Cancellaria apostolica (vt moris est) sed etiam ad valuas basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ publicetur, illiúsque exempla in eisdem locis affixa dimittantur, & inter constitutiones perpetuas describatur, & annotetur; Quódque omnes, & singulos, quos illa concernit, præsentes quidem in curia statim lapso mense, à die dictæ publicationis numerando. Cæteros verò intra mõtes degentes, tribus; vltra verò ipsos montes commorantes, sex mensibus decursis perinde arctet, ac si eisdem personaliter intimata fuisset, cum non sit versimile apud eos manere incognitum, quod tam patenter fuerit publicatum.

Placet, describatur & publicetur M.

Lecta & publicata fuit supradicta Constitutio, & ordinatio Romæ in Cancellaria apostolica anno incarnationis Dominicæ 1568. die verò Iouis, secunda mensis Septembris, Pontificatus præfati S. D. N. Pij Papæ quinti anno tertio.

A. Lomelinus Custos.

Anno à Natiuitate Domini 1568. indictione vndecima, die verò Iouis secunda mensis Septembr. Pontificatus S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno tertio suprascripta sanctio, & constitutio apostolica affixa, & publicata fuit ad valuas basilicæ Principis apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Foræ dimissis in supradictis locis illius copiis affixis per nos Io. Freili, & Iulium Parinũ prælibati S. D. N. Papæ Curs.

Io. Andreas Panizza Mag. Curs.

Sanctiß. D. N. D. Pij Papæ V. Reuocatio priuilegiorum concessorum officiis Roma. Cu. Quod Laici, bigami, & clerici coniugati de cætero non possint habere pensiones, aut alias res Ecclesiasticas, nec ipsi, nec Clerici, eas, quas habent, transferre. Reuocatio similium priuilegiorum, concessorum Militiis, & Hospitalibus. Moderatio priuatarum dispen-

sationum concessarum militibus, & fratribus militiarum, singulatim. Reuocatio priuilegiorum militiarum, & hospitalium concedendi expectatiuas, vniendi, & supprimendi beneficia, erigendi præceptorias, appropriandi fructus, & proprietates beneficiorum suu militiu, & hospitalibus. Reuocatio facultatum testandi concessarum militiis, & hospitalibus, ecrundémque militibus, & fratribus.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosanctum Ecclesiæ Dei statum integrum, & incolumem præstare officij nostri cum sit, quæcunque illi detrimentum afferre noscuntur, nostra nos decet consideratione mouere. Sane tantæ, tamque immoderatæ de rebus dominicis, etiam extra ordinem Ecclesiasticum largitiones, iis nouissimis temporibus fuecreuisse perhibentur, vt iam opima quæque alieni sensim exhauriant, & quod in fouendis, multiplicandisque ministris Ecclesiasticis, fundandis Seminariis, alendis pauperibus, recreandis infirmis, instaurandis Ecclesiis, fulciendis ædibus vetustate consumptis, educandis viris religione & doctrina claris, quibus ecclesia ipsa tantopere dignoscitur indigere, id fere vniuersum, multitudo præripiat Laicorum. Hinc manifesta nos impellit necessitas, vt, hac indomita cupiditate repressa, de communi ecclesiæ salute consulamus. At quia omnia incommoda statim vbique facile subducere non valeamus, ea saltem, quæ nobis proxima sunt, & ante oculos frequentius obuersantur, imprimis tollere curabimus, vt cæteri omnes, cum venerit vsus, æquiore animo similia patiantur. Itaque de nobis attributæ potestatis plenitudine, Reuocamus, & abolemus omnia, & quæcunque priuilegia, facultates, dispensationes, & indulta Militum sancti Petri, sancti Pauli, sancti Georgij Pij, de Laureto, & de Lilio, necnon Secretariorum, Cubiculariorum, & Scutiferorum apostolicorum, ac quibuscunque aliis Romanæ Curiæ, & Apostolicæ sedis collegiis, & officiis, tã in dicta curia quã extra eã cõstitutis, ipsorumq; personis, necnõ Cõclauistis, de pensionibus, fructibus, & aliis

& aliis rebus Ecclesiasticis, etiam ad certam, & determinatam summam, & quãtitatem cõstitutis per Clericos cõiugatos, Bigamos, & alios Laicos obtinendis & eisdem per ipsos, ac aliis similibus per alios Clericos in alium, vel alios transferendis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & prædictam sedem, tam in ipsorum officiorum institutione, quam deinceps quandocunque, & quotiescunque, etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, & alias sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutionibus, præseruationibus, mentis attestationibus, derogatoriarũ derogatoriis, aliisque fortioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritãtibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque potestatis plenitudine, etiam pro defensione fidei catholicæ, aut dictæ sedis & quibuslibet aliis causis quantumlibet grauibus vrgentibus, necessariis, & onerosis, ac etiam consideratione intuitu contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aliorumque principum, necnon sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, deque illorum consilio, & matura deliberatione prius desuper habita concessa, confirmata, ac etiã multiplicatis vicibus innouata, extensa, & moderata. Ita quod deinceps illorum sic reuocatorum prætextu Laici etiam extra coniugiũ, & in cælibatu viuentes, ac Bigami, & Clerici coniugati nullas nouas pensiones, aut fructus, aut omnino alias res Ecclesiasticas habere, nec ipsi, etiam qui coniugati non sunt, si ad primas, aut alias nuptias trãsierint, antiquas deinceps percipere. Clerici vero, & alij matrimonium etiam cum vnica, & virgine cõtracturi, postquam illud contraxerint, nec antiquas retinere, nec nouas assequi possint. Sed nec vlli Laici, nec Clerici priuilegio transferendi pensiones, fructus, aut alias res huiusmodi de cætero potiantur. Decernentes omnes transferendi facultates ex nunc, Antiquas vero pensiones, & alias reseruationes tam Laicis

quam

quam Clericis cõcessas,& quas ipsos Clericos habere contigerit per futurum contractum matrimoniũ huiusmodi extinctas esse. Ac etiam reuocamus, & abolemus omnia,& quæcunque priuilegia, facultates, dispensationes,& indulta obtinendi;& transferẽdi similes vel dissimiles pẽsiones,fructus,& alias res Ecclesiarũ,Monasteriorũ,& aliorũ beneficiorũ, & officiorũ Ecclesiasticorũ,secularium,& regulariũ sancti Iacobi de spatha,de Calatraua,de Alcantara, Iesu Christi, & sancti Stephani,ceteriſque Militiis,necnon S. Lazari Hierosolymitani,ac omnibus, & singulis aliis Hospitalibus,eorumq; Militibus,fratribus, & personis,tam clericis,quam coniugatis,etiã modo,& forma prædictis,& ex eisdem , ac quibuscunque aliis fortioribus causis cõcessa,approbata,& etiam à nobis moderata, & restituta. Ita quod ipsi siue coniugati, siue bigami, siue clerici,siue etiam presbyteri nullas de cetero recipiant, sed eas solas, quas nunc habent sine facultate ipsas transferendi retineant,& eæ quoq; per futurum contractũ Matrimonij extinctæ censeantur. Omnes vero priuatas dispensationes,& gratias habendi,& retinendi pensiones, fructus, & alias res Ecclesiasticas Militibus,& fratribus quibuscunq; Militiarũ,& Hospitalium prædictorũ,tam à nobis, quam à prædecessoribus nostris,& dicta sede hucusq; singulatim concessas,ita moderamur,& restringimus, vt illarum vigore soli Milites,& Fratres non coniugati, nec bigami,nouas deinceps pensiones,aut fructus aliasque res Ecclesiasticas recipiant , & in cęlibatu viuentes illas, & alias iam receptas dumtaxat percipiãt. Alij vero etiam cum vnica,& virgine coniugati,si rursus matrimonium contraxerint, eas omnes, quas nunc habent per huiusmodi contractum amittãt, nec illæ ipsis vlterius debeantur, simili facultate transferendi tã antiquas,quam futuras pensiones fructus , & res huiusmodi omnibus prædictis, etiam non coniugatis & ex nunc penitus interdicta,& suppressa. Sed nec vlli Milites,aut fratres,etiã simplices clerici, vel presbyteri præ

prætextu huiusmodi dispensationum,& gratiarum aliqua simplicia, aut alia beneficia ecclesiastica secularia aut aliarũ ordinum regularia etiã nullum omnino onus,aut seruitiũ habentia , vt præstimonia deinceps recipere,& retinere possint. Ad hæc quoq; reuocamus & abolemus omnia,& quęcunq; priuilegia,facultates, licentias,& indulta Magistris,& cõuentibus , aliisque personis,& locis Militiarum, & Hospitaliũ prædictorum,eorumq; personis,etiam, vt prædictũ est,concessa,confirmata,extensa,& moderata concedendi expectatiuas,reseruationes,& alias gratias præuentiuas ad Prioratus,Pręceptorias,Hospitalia,& alia beneficia & officia Militiarum,& Hospitalium prędictorum. Itęq; veniendi,& incorporandi perpetuo, vel ad tempus, & supprimendi beneficia ecclesiastica cum cura , & sine cura secularia,& quorumuis ordinũ regularia, necnõ præstimonia,Eremitoria,& Hospitalia,etiã de iure patronatus Laicorum,ex fundatione,& dotatione existẽtia,ac etiam nullum penitus seruitium , aut ordinem annexum,seu aliud onus qualecunque habentia , etiã ruinosa,& deserta,ac etiã sponte à patronis oblata,vel donata,illorumq; fructus,res,& proprietates applicãdi,& appropriandi Militiis, & Hospitalibus supradictis,seu beneficia ipsa in monasteria prioratus,præceptorias,beneficia,hospitalia & alia loca Militiarum , & Hospitalium eorundem erigendi,& instituendi,ac alias commutandi,& reformandi. Ac etiam omnes , & singulas expectatiuas : reseruationes , & alias gratias præuentiuas speciales , & generales, necnon vniones, annexiones,& incorporationes perpetuas, & tẽporales,suppressiones,applicationes,appropriationes, & alias dispositiones huiusmodi beneficiorum, & fructuum per Magistros conuentus , & alios prædictos hucusque factas, & concessas, ac etiam dicta apostolica auctoritate, & ex certa scientia confirmatas,quæ plenarium nondum sunt suum sortitæ effectum. Præterea omnes,& quascunque licentias,& facultates testandi,& alias quomodocunque disponendi,etiam ad certam,

certam & quantumuis modicã ſummam,& quantitatem, de rebus,fructibus,& bonis immobilibus,mobilibus,& ſe mouẽtibus ad Magiſtros,Priores,Præceptores,Milites,Fratres,& perſonas Militiarũ,& Hoſpitalium prædictorum ratione illorum,necnon præceptoriarum,Hoſpitalium,& beneficiorum eccleſiaſticorũ etiam ſæcularium,& aliorum ordinum regulariũ, ac penſionum,& fructuum quorumcunque prouenientes, necnon facta hucuſque, non tamen effectum ſortita vigore licentiarum,& facultatum prædictarum teſtamenta,& alias diſpoſitiones huiuſmodi, etiam ſi per eaſdem licentias,& facultates diſponatur,quod dimidia,vel alia pars rerum & bonorum prædictorũ Militiis,Hoſpitalibus, Domibus,& locis, vnde illa prouenerint,aut aliis piis locis relinquantur. Decernentes omnes, & ſingulas reſeruationes, aſſignationes, tranſlationes, vniones, annexiones, incorporationes, ſuppreſſiõnes,applicationes,appropriationes, teſtamẽta,donationes,& alias diſpoſitiones quaſcunq;, quas prætextu priuilegiorum, facultatum, diſpenſationũ, & indultorum prædictorum ſic reuocatorum, ac cõtra præſentium tenorem per quoſcunque etiam dicta apoſtolica auctoritate fieri,vel factas perſequi cõtigerit, tamquam ſurreptas, & exortas nullius prorſus roboris,& momenti eſſe, nec per eas ius, aut titulum etiam coloratum cuiquam acquiri, nec quemquam quocunque tempore quauiſque cauſa reſtitutionem in integrum,reductionem ad terminos iuris, aut quoduis aliud gratiæ, vel iuſtitiæ remedium impetrare,aut etiam ab alio,vel aliis impetratis,aut motu ſimili conceſſis vti, nec præſentes literas de ſurreptionis,vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu notari vel impugnari nec ſub vllis reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationib⁹,aut aliis cõtrariis diſpoſitionibus ſimilium, vel diſſimilium reuocationum, & ordinationum ab ipſa Sede quandocunque, & quomodocunque emanandis comprehendi, ſed ſemper ab

ab illis exceptas,& quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validum ſtatum reſtitutas, & plenarie reintegratas eſſe,& cenſeri. Sicque in iis,ac omnibus, & ſingulis aliis ſupradictis per quoſcunq; Iudices Ordinarios,& delegatos,etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores,ac S. R. E. Cardinales in quauis cauſa,& inſtantia,ſublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter interpretandi, & iudicandi facultate,& auctoritate vbique interpretari, iudicari, & diffiniri debere, necnon irritum,& inane quicquid ſecus per quoſcunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ſimilium priuilegiorum, diſpenſationum, facultatum, & indultorum conceſſionem noſtris explodi tẽporibus, & quod nobis licere non patimur, noſtris ſucceſſoribus indicamus. Non obſtantibus præmiſſis,& noſtra de non tollendo iure quæſito,aliiſque conſtitutionibus,& ordinationibus apoſtolicis,ac collegiorum,officiorũ,militiarum,hoſpitalium,conuentuum, necnon ſancti Benedicti Ciſtercienſis,Sancti Auguſtini,& aliorum ordinum & regularum quorũ militia, & hoſpitalia prædicta ſunt iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis,conſuetudinibus,ſtabilimentis,vſibus,& naturis quantocunque tẽpore obſeruatis:necnon fundationibus eorundem, aliis quoque priuilegiis,indultis,exemptionibus, & literis apoſtolicis illis omnibus, ipſarumque militiarũ, & hoſpitalium Magiſtris, Conuentibus, Prioribus, Præceptoribus, Militibus, Fratribus, & perſonis per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos,& prædictam Sedem,etiam per modum ſtatuti perpetui,ac initi,& ſtipulati contractus, ſeu quaſi, necnon motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam conſideratione intuitu contemplatione,vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducũ, aliorumque Principum, Sanctæque Romanę Eccleſiæ Cardinalium, ac de eorum conſilio, & aſſenſu, etiam conſiſtorialiter habito, tam pro Militiarum, Hoſpi

Hospitalium, & regularum huiusmodi restitutione, & ampliatione, quam alias quomodocunque, ac sub quibuscunque tenoribus, & formis, necnon cum quibusuis restitutiuis, preseruatiuis, annullatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis quotiescunque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus extensis, & moderatis: etiam si in eis ac statutis, stabilimentis, & fundatione prædictis caueatur expresse, quod nunquam prædicta reuocata, vel moderata, aut immutata intelligantur, nec illis in toto, vel in parte derogatum censeatur per quascunque literas, etiam derogatorias, ac alias fortiores, & efficaciores clausulas in se continentes, nisi dum, & quoties de illorum, ac etiam certarum specialium literarum apostolicarum inde confectarum vere, non autem per clausulas generales, vel speciales idem importantes inserto tenore, ac de simili Cardinalium consilio, & semper in huiusmodi, quæ sic fierent de consilio prædicto derogationes, & aliæ dispositiones censeretur apposita clausula, quod tunc demum nec aliter, nec alio modo effectum sortiantur, cum Magistrorum, & Cõuentuum prædictorum ad id accedat assensus, quodque derogationes, & aliæ dispositiones huiusmodi aliter effectum non habeant, nisi huiusmodi derogationes, & aliæ dispositiones cõ sistorialiter factæ, & per trinas distinctas literas eũdẽ tenorem conuiuentes tribus distinctis vicibus Magistris, & Conuentibus prædictis fuerint intimatæ, eorũmque pariter ad id expressus accedat assensus, aliter vero factæ viribus & effectu omnino careant, ac Magistri, & conuentus prædicti ad parendum illis & decretis desuper processibus, eorumque executoribus, & sub executoribus ac ipsorum mãdatis, & monitionibus minime teneantur: sed literarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiæ censuris ecclesiasticis etiam per ipsos executores vel sub executores latis innodari possint. Quibus om

ominbus etiam si alias de eis eorumque totis tenoribus specialis, specificae, expressa & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruãda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsẽtibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expresse derogamus: Et quatenus effectum præsentium quoquomodo impedire, vel retardare, vel illis obesse possent omnino tollimus, & abrogamus, ceteriſque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes literæ omnibus plenius innotescant, mandamus, illas in Basilica Principis apostolorum de Vrbe, & in Cancellaria apostolica, necnon acie Campi Floræ publicari, earumque exempla de more affigi, & in dictæ Cancellariæ libro Quinterno nuncupato describi. Volumusque, & decernimus ipsarum præsentium exempla etiam impressa, manuque Notarij publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, aut illius, Curiæ obsignata eandem illam vbiq; locorũ fidem faciant, quam ipsę præsẽtes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, moderationis, restrictionis, derogationis, mandati, decreti, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotẽtis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, Quinto Idus Septembris. Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, die vero decima tertia menſis Septembris indictione vndecima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & Domini noſtri Domi

P

ni Pij diuina prouidentia Papæ V. anno tertio, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, ibique dimissis copiis affixis per nos Ioannem Andream Rogerium, & Ioannem Andream Pannizzam prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ, ac sanctæ Sedis Apostolicæ Curs.

Iulius Parinus Magister Cursorum.

S. D. N. D. Pij Papæ V. Constitutio de dignitatibus & præbendis Ecclesiarum Regni Sardiniæ aliis vnitarum in simplices parochiales reductis, & de ordinatione Vicariarum in parochialibus Ecclesijs, quæ sunt annexæ dignitatibus, & beneficijs, aliarum Ecclesiarum non vnitarum.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

QVantum animarum cura cæteras omnes superat, & excellit, tanto nos impensius prouidere necesse est, vt id officij genus omni vbique adhibita industria excolatur. Ex multis enim offensionibus, quę ad nostram quotidie notitiam perferuntur, illam quoque grauissimam intelligimus, quòd canonici, & alij habentes dignitates, personatus, & officia earum Insulæ Sardiniæ Ecclesiarum, quas partim hostili furore deiectas, partim rerum inopia depressas, partim etiam aëris inclementia desertas iampridem APOSTOLICA SEDES proximis Metropolitanis, & aliis Cathredralibus Ecclesiis prouidenter adiunxit, quamquam personali in ipsis obsequio soluti, residentiam detrectant, atque refugiunt apud parochiales ecclesias, quæ sunt vel in prebendas suorum huiusmodi canonicatuum institutæ, vel prædictis dignitatibus, beneficiis, & officiis applicatæ, nullum habentes perpetuum Vicarium, vel alium proprium sacerdotem, qui curam exerceat animarum: Rursus multæ parochiales ecclesiæ, siue pro præbendis habitæ, siue dignitatibus, beneficiis, & officiis non vnitarum, nec suppressarum ecclesiarum incorporatæ reperiuntur, quæ sunt huiusmodi Vicariorum solatio destitutæ. Nos aduersus periculosam hanc negligentiam volentes Iuris prosequutione cauere, de nobis atributæ potestatis plenitudine extinguimus, & abolemus omnes dignitates, etiam maiores, & principales, necnon canonicatus præbendas, personatus, administrationes, officia cæteraque beneficia omnium, & singularum dictæ Insulæ Ecclesiarum aliis vnitarum, vel etiam supressarum, quæ parochiales ecclesias habent vti præbendas, vel alias annexas, vbi non est vicaria perpetua constituta: Ipsas vero parochiales ecclesias ad primæuum statum simplicem & liberum reuocamus ita, vt in earum collatione de hinc ab Ordinariis locorum facienda Concilij Tridentini forma, quæ de parochialibus ecclesiis super hoc præscripta est, omnino debeat obseruari, statuentes, vt quicunque dignitates, canonicatus, præbendas, beneficia, & officia prædicta sic extincta, etiam plura, & in diuersis huiusmodi ecclesiis ex dispensatione apostolica, aut alias obtinebant, ex quo iam amplius non sunt, nullum in dictis principalibus ecclesiis locum habere contendant, sed singuli singulas prædictas parochiales ecclesias, vt simplices earum rectores retinentes, debeant ibi præsentes perpetuo residere, ac debita parochialia officia per se ipsos, vt congruit, exercere: nec vlli omnino id effugere, aut consuetudine immemorabili, alia ve prætensa iuris cautione defendi possint, etiam si eam curam ad solos Episcopos obiiciant pertinere, sed eos, qui, canonica monitione præmissa, in dictis parochialibus ecclesiis præsentes residere neglexerint, censuris, & pœnis omnibus contra non residentes, tam à dicto concilio, quam etiam nostris, & aliis canonicis sanctionibus impositis, volumus subiace-

re. Verum, si de pluribus etiam diuersarum diœcesium parochialibus vnica dumtaxat præbenda constiterit, aut vnio de illis vni tantum dignitati, beneficio, vel officio sic suppresso facta fuerit, singuli possessores, etiam qui plura ex suppressis prefatis obtinebant, vt præfertur in vna parochiali ecclesia dumtaxat perpetuo residentes, quam intra sex menses post publicationem præsentium eligere debeant, si censuras & pœnas prædictas effugere voluerint, poterunt, vita eis comite, in ceteris omnibus tolerari, dummodo reliquis Vicarij idonei ab ordinariis locorum cum debito stipendio assignentur. Illis vero cedentibus, vel decedentibus singuli rectores in singulis ordinentur, nisi forte loci propinquitas, rerum angustia, aliaue legitima causa connexionem patiatur. Porro ecclesiis parochialibus, vel in præbendas canonicatuum erectis, vel dignitatibus, officiis, & beneficiis non vnitarum, nec suppressarum Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum dictæ insulæ ecclesiarum perpetuo annexis, in quibus nullæ sunt vicariæ hucusque perpetuæ institutæ, quoniam canonici, & alij dignitates, officia, & beneficia huiusmodi obtinentes in ipsis Metropolitanis, Cathedralibus, & aliis ecclesiis deseruire tenentur, prædicti Ordinarij locorum illas quamprimum ordinare, vel alias prouidere debeant, quemadmodum in generalibus, & prædicto Tridentino conciliis, dignoscitur ordinatum, portione fructuum, etiam super certa re assignanda, ac per Vicarios propria auctoritate percipienda, quæ tamen centum anules non transendant, inferior vero quam quinquaginta scutorum esse possit, quando sine notabili principalis incommodo nequeat esse pluris, & ea sit annonæ vilitas, vt sacerdos queat ex minori commode sustentari. Præcipimus igitur vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per dictam Insulam constitutis in virtute sanctæ obedientiæ, vt predicta omnia, & singula in suis quisque Ciuitatibus, diœcesibus

sibus & locis quamprimum exequantur, & inuiolate faciant ab omnibus obseruari. Contradictores, quoslibet, & rebelles per prædictas & alias, quas viderint ipsi censuras, & pœnas, ceteraque remedia opportuna, appellatione quacunque postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, non obstantibus prædictis, & nostris de non tollendo iure quæsito, ac de Vicariis huiusmodi aliter instituendis, aliisque constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon Ecclesiarum, in quibus canonicatus, & præbendæ, ac dignitates, beneficia, & officia predicta consistunt, Iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscunque, seu quod aliquibus communiter, vel diuisim à dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra huiusmodi statuta, & cõsuetudines, ac priuilegia eis concessa ad residentiam, & alia prædicta compelli non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de statutis, & consuetudinibus, necnõ Ecclesiarum, locorum, & personarum huiusmodi mẽtionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, Indulgentiis, & literis apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter nõ inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis: quæ omnia contra prædicta nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Quinetiam ex nunc irritum decernimus, & inane quicquid secus per quoscunq; quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attẽtari. Cæterũ mandamus easdẽ presentes ad Valuas Basilicę Principis Apostolorũ de Vrbe, & in acie Cãpi Florę publicari earumq; exẽpla de more applicari, volumusq; & Apostolica auctoritate decernimus, quòd literæ ipsæ sic publicatę ões, & singulos absẽtes, & vbiq; extra dictã

Insulã degẽtes, ac etiã monitiones, citationes, & inhibitiones per quemcunq; Ordinarium edicto publico Valuis suæ Cathedralis Ecclesiæ affigendo, vigore præsentium faciendæ, monitos, citatos, & inhibitos perinde arctent, ac si eis personaliter factæ fuissent. Quia vero difficile, & incommodum valde esset, eadem præsentes ad singula loca, vbi illis opus fuerit, transferre, similiter volumus, vt earum exemplis, etiam impressis, manuque Notarij publici, & sigillo Prælati ecclesiastici, vel eius curiæ obsignatis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ extinctionis, abolitionis, reuocationis, statuti, præcepti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1568. Kalend. Octobris. Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn. M. Dat.

Anno à Natiuitate Domini 1568. Indictione vndecima, die vero xxiij. mensis Octobris, Pontificatus Sanctissi. in Christo Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno tertio, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorũ de Vrbe, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earundem retroscriptarum literarum copiis affixis, per nos Iulium Parinum, & Ioannem Bornotum præfatos S. D. N. Papæ Curs.

Alexander Astancol. M. Curs.

Reuocatio si in euidentẽ, facultatum concedendi commissiones alienationum bonorum Ecclesiasticorum, aut piorum locorum, Camerario, & Cameræ apostolicæ Clericorum Collegio concessarum.

Motu

MOtu proprio &c. Volentes idemnitati Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum, quãtum cum Deo possumus, consulere, ac prouidere, ne illorum bona sine nostra, aut successoris nostri scientia, & licentia alienentur, aut perpetuo, vel ad longum tempus, aut vnam vel plures illa conducere volentes, vitam locentur, aut de his alio titulo disponatur: Omnes & singulas facultates, & licentias cõcedendi commissiones alienationum, vel permutationum, aut affrancationum, aut illarum confirmationum quorumuis bonorum Ecclesiasticorum, aut locorum piorum cuiuscunque valoris existentium, etiam summam annuam quinque ducatorum auri de Camera non excedentium, aut alterius minoris valoris in forma, quæ dicitur, Si in euidentem, dilecto filio Vitellio sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali Vitellio nuncupato S. R. E. Camerario, eiusque anteceſſoribus, & Clericorum Cameræ nostræ Apostolicæ Collegio tam per fel. rec. Gregorium ix. Bonifacium ix. Vrbanum vj. Martinum v. Gregorium v. Sixtum iiij. Innocentium viij. Iulium ij. Leonem x. Paulum iij. & Iulium similiter iij. ac alios quoscunque Ro. Pont. prædecessores nostros, etiam Motu proprio, ex certa scientia, & ex quauis causa etiam vrgentissima cum quibusuis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac quibusuis decretis, etiam irritantibus, & in vim contractus concessas, confirmatas, & innouatas, illorum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, perpetuo reuocamus, cassamus, & annullamus, Interdicentes, & expresse prohibentes eidem Camerario, & Clericis, ac aliis eiusdem Cameræ Apostolicæ officialibus sub pœna indignationis nostræ, ne in futurum licentias, & facultates, ac commissiones alienationum huiusmodi sub quouis prætextu concedant: Ac commissiones, & concessiones commissionum huiusmodi contra voluntatem, ordinationem, & decretum nostrum, nullas, inualidas, & irritas esse decernimus, & declaramus. Sicq; in præmissis omnib⁹,

& singulis per quoscunque Iudices, & Commissarios, quauis auctorit. te fungentes &c. sublata &c. debere. Necnon irritum, & inane quicquid secus super his à dictis Camerario, Clericis,& aliis officialibus,& iudicibus præfatis, vel quibusuis aliis quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis constitutionibus, & ordinationibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis prædictis, & aliis quibusuis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores &c. pro sufficienter expressis habentes, derogamus, illáque quo ad præmissa cassamus, reuocamus, & annullamus, Cæterisque cõtrariis quibuscunque. Volumus autem quòd præsentis nostri Motus proprij etiam absque illius data & registratura, sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, tam in iudicio quam extra, quacunque regula seu constitutione apostolica contraria non obstante. Volumus autem quod præsens noster Motus proprius in Cancellaria nostra apostolica, & acie Campi Flore de more publicetur, & inter constitutiones perpetuas describatur. Et quia difficile foret præsens ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd eius transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsenti Motui proprio adhiberetur, si foret exhibitus, vel ostensu.

Placet Motu proprio M.

Lectus, & publicatus fuit supradictus Motus proprius Romæ in Cancellaria apostolica, anno incarnationis Dominicæ 1568. Die vero Martis, decima septima mensis Augusti, Pontificatus S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno tertio.

A. Lomellinus Custos.

Ordinatio, quòd mandata, quæ in forma Significauit pro rerum subtractarum seu illas subtrahentium restitutione fiunt, ad eorum, quorum interest, duntaxat instantiam expediantur.

Sancti

SAnctissimus in Christo Pater & dominus noster dominus Pius diuina prouidentia Papa V. Volens super expeditione mandatorum, quæ fiunt in forma Significauit pro rerum subtractarum, aut deperditarum, restitutione, seu illarum, & illas subtrahentium reuelatione modum, & formam statuere (manente in aliis reformatione officij Correctoris literarum contradictarum à Sanctitate sua edita) præsenti, quod perpetuo obseruari vult, scripto ordinat, vt mandata pro restitutione, seu reuelatione huiusmodi dentur (modo super illis supplicationes in præsentia suæ Sanctitatis signatæ fuerunt) ad eorum duntaxat instantiam, quorum ciuiliter interest. Quæ supplicationes, rem ipsam, de qua agitur, reique valorem, nominatim, & specifice exprimant, nisi forte sint pro ecclesiis, locis piis, communitatibus, vniuersitatibus, collegiis, aut vniuersalibus successoribus, quos verisimile est certam rerum notitiam non habere, tunc etenim, hac ipsa personarum qualitate expressa, ita demum ferri poterit quædam in genere designatio rerum, si designatio neque nimis vaga, & incerta, atque adeo inueriſimilis sit, & tamen ostendat res ipsas (id quod præcipuè in omnibus attendendum est) minime vulgares existere. Committantur autem Episcopo ordinario loci, vel eius Vicario in spiritualibus generali sub hac forma verborum quæ est ex Concilio Tridentino, videlicet, Si causa diligenter, & magna maturitate per ipsum examinata pro rei, loci, temporis, & personæ qualitatibus sibi pro sua conscientia videbitur expedire. Decernens, irritum, &c.

Placet, plublicetur & describatur M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta regula Romæ in Cancellaria apostolica, anno incarnationis Dominicæ 1570. Die vero Martis vigesima septima mensis Iunij, Pontificatus prælibati S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno quinto.

Io. Lomellinus Custos.

Bulla S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Super recitatione Breuiarij Romani nuper editi.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QVod à nobis postulat ratio pastoralis officij, in eam curam incumbimus, vt omnes, quantum Deo adiutore fieri poterit, sacri Tridentini Concilij decreta exequantur: ac multo id etiam impensius faciendum intelligimus, cum ea, quæ in mores inducenda sunt, maxime Dei gloriam, ac debitum Ecclesiasticorum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes, & gratias D E O persoluendas, quę Romano BREVIARIO cõtinentur. Quæ diuini Officij formula, pie olim ac sapienter à summis Pontificibus, præsertim Gelasio, ac Gregorio primis constituta, à Gregorio autem septimo reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessaria visa res est, quæ ad pristinam orandi regulam conformata reuocaretur. Alij enim præclaram veteris Breuiarij constitutionem, multis locis mutilatam, alibi incertis, & aduenis quibusdam commutatam deformarunt. Plurimi, specie officij cõmodioris allecti, ad breuitatem noui Breuiarij à Francisco Quignonio tt. S. Crucis in Hierusalem, Presbytero Cardinale compositi, confugerunt. Quinetiam in prouincias paulatim irrepserat praua illa consuetudo, vt Episcopi in ecclesiis, quæ ab initio communiter cum ceteris veteri Romano more Horas canonicas dicere, ac psallere consueuissent, priuatum sibi quisque Breuiarium conficerent, & illam communionem, vni Deo, vna & eadem formula, preces, & laudes adhibendi, dissimillimo inter se, ac pene cuiusque Episcopatus proprio officio discerperent. Hinc illa tam multis in locis diuini cultus perturbatio: hinc summa in clero ignoratio cærimoniarum, ac rituum ecclesia

ecclesiasticorum, vt innumerabiles ecclesiarum ministri, in suo munere indecore, non sine magna piorum offensione versarentur. Hanc nimirum orandi varietatem grauissime ferens fe.re. Paulus Papa iiij. emendare constituerat: itaque prouisione adhibita, ne vlla in posterum noui Breuiarij licentia permitteretur, totam hanc rationem dicendi, ac psallendi Horas canonicas, ad pristinum morem, & institutum redigendam suscepit. Sed eo postea nondum iis, quæ egregie inchoauerat, perfectis, de vita decedente, cum à piæ mem. Pio Papa iiij. Tridentinum Concilium, antea varie intermissum reuocatum esset, Patres in illa salutari reformatione eodem Concilio constituta, Breuiarium ex ipsius Pauli Papæ ratione restituere cogitarunt. Itaque quicquid ab eo in sacro opere collectum, elaboratumque fuerat, Concilij Patribus Tridentum à prædicto Pio Papa missum est. Vbi cum doctis quibusdam, & piis viris à Concilio datum esset negotiũ, vt ad reliquam cogitationem, Breuiari quoque curã adiungerent, instante iam conclusione Concilij, tota res ad auctoritatem, iudiciumque Romani Pontificis ex decreto eiusdem Concilij relata est, qui illis ipsis Patribus, ad id munus delectis, Romam vocatis, nonnullisque in Vrbe idoneis viris ad eum numerum adiunctis, rem perficiendam curauit. Verum, eo etiã in viam vniuersæ carnis ingresso, Nos, ita diuina disponente clementia, licet immerito, ad Apostolatus apicem assumpti, cum sacrum opus, adhibitis etiam ad illud aliis peritis viris, maxime vrgemus, magna in nos Dei benignitate, (sic enim accipimus) Romanum hoc Breuiarium vidimus absolutum. Cuius ratione dispositionis ab illis ipsis, qui negotio præpositi fuerant, nõ semel cognita, cum intelligeremus, eos in rei confectione ab antiquis Breuiariis nobilium Vrbis ecclesiarum, ac nostræ Vaticanę bibliothecæ, non discessisse, grauésque præterea aliquot eo in genere scriptores secutos esse, ac denique remotis iis, quæ aliena, & incerta essent, de propria summa veteris diuini

uini officij nihil omisisse, opus probauimus & Romæ imprimi, impressumque diuulgari iussimus. Itaque vt diuini huius operis effectus re ipsa consequatur, auctoritate præsentium tollimus in primis, & abolemus Breuiarium nouum à Francisco Cardile prædicto editum, & in quacunque ecclesia, monasterio, conuentu, ordine, militia, & loco, virorum, & mulierum, etiá exempto, tam à primæua institutione, quam aliter ab hac Sede permissum. Ac etiam abolemus quæcunque alia breuiaria, vel antiquiora, vel quouis priuilegio munita, vel ab Episcopis in suis diœcesibus permulgata, omnémque illorum vsum de omnibus orbis ecclesiis monasteriis, conuentibus, militiis, ordinibus, & locis, virorum, & mulierum, etiam exemptis, in quibus alias Officium diuinum Romanæ Ecclesiæ ritu dici consueuit, aut debet: illis tamen exceptis, quę ab ipsa prima institutione à Sede apostolica approbata, vel consuetudine, quæ vel ipsa institutio ducẽtos annos antecedat, aliis certis Breuiariis vsu fuisse constiterit: quibus vt inueteratum illud ius dicendi & psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modo per mulgatum est, magis placeat, dummodo Episcopus, & vniuersum Capitulum in eo consentiant, vt id in choro dicere, & psallere possint, permittimus. Omnes vero, & quascũque apostolicas, & alias permissiones, ac consuetudines, & statuta, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel alia firmitate munita, necnon priuilegia, licentias, & indulta precandi, & psallendi tam in choro, quam extra illud, more, & ritu Breuiariorum sic suppressorum, prædictis ecclesiis, monasteriis, conuentibus, militiis, ordinibus, & locis, necnon S.R.E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis ecclesiarum Prælatis, cæterisque omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, secularibus, vtriusque sexus, quacunque causa concessa, approbata, & innouata quibuscunque concepta formulis, ac decretis, & clausulis roborata, omnino reuo-

reuocamus, volumusque illa omnia vim, & effectum de cætero non habere. Omni itaque alio vsu, quibuslibet, vt dictum est, interdicto, hoc nostrum Breuiarium, ac precandi, psallendique formulam in omnibus vniuersi orbis Ecclesiis, monasteriis, ordinibus, & locis, & etiam exemptis, in quibus officiũ ex more, & ritu dictæ Romanæ Ecclesiæ dici debet, aut cõsueuit, salua prædicta institutione, vel cõsuetudine prędictos ducentos annos superante, præcipimus obseruari. Statuentes Breuiarium ipsum, nullo vnquam tẽpore, vel in totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendũ vel omnino detrahendũ esse, ac quoscunque, qui Horas canonicas ex more, & ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ, iure, vel consuetudine dicere, vel psallere debent, propositis pœnis per Canonicas sanctiones constitutis, in eos, qui diuinum Officium quotidie non dixerint, ad dicendum & psallendum posthac in perpetuũ horas ipsas diurnas & nocturnas ex huius Romani Breuiarij præscripto, & ratione omnino teneri, neminẽque ex iis, quibus hoc dicendi, psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse. Iubemus igitur omnes & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & cęteros ecclesiarum Prælatos, vt, omissis, quæ sic suppressimus, & aboleuimus, ceteris omnibus etiam priuatim per eos constitutis, Breuiariũ ipsum in suis quibusq; ecclesiis, monasteriis, cõuentibus, ordinibus, militiis, diœcesibus, & locis prædictis introducant, & tam ipsi, quam ceteri omnes presbyteri, & clerici, seculares, & regulares vtriusque sexus, necnon milites, & exempti, quibus Officium dicendi, & psallendi quomodocunque, sicut prædicitur, iniunctum est, vt ex huius nostri Breuiarij formula, tam in choro, quam extra illum, dicere, & psallere procurent. Quod vero in rubricis nostri huius officij præscribitur, quibus diebus officium beatæ Mariæ semper Virginis, & Defunctorum, item Septem Psalmos pœnitentiales, & Graduales dici, ac psalli oporteat: Nos

pro

propter varia huius vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione remouendum duximus: verum debito prouidentię pastoralis admoniti, omnes vehementer in domino cohortamur, vt remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua deuotione, ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, suffragiis, & laudibus, suę, & aliorum saluti consulere studeant. Atque vt fidelium voluntas, ac studium magis etiam ad salutarem hanc cōsuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri, & Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, qui illis ipsis diebus, in rubricis præfinitis, beatæ Marię, vel Defunctorum Officium dixerint, toties centum dies: qui vero Septē Psalmos, vel Graduales quinquaginta de iniucta ipsis pœnitentia relaxamus. Cæterum vt præsentes literæ omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, earumque exempla de more affigi: Volumusque & apostolica auctoritate decernimus, quod post huiusmodi publicationem, qui in ROMANA curia sunt præsentes, statim lapso mense, reliqui vero, qui intra montes, tribus, & qui vltra vbique locorum degunt, sex mensibus excursis, vel cum primum venalium huius Breuiarij voluminum facultatem habuerint, ad precandum, & psallendum, iuxta illius ritum, tam in choro, quam extra illum, maneant obligati: ipsarum autem literarum exempla manu Notarij publici, & sigillo Prælati ecclesiastici, aut illius curiæ obsignata, vel etiam ipsis voluminibus absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eandem illam vbique locorum fidem faciant, quam ipsæ præsentes, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Sed vt Breuiarium ipsum vbique inuiolatum, & incorruptum habeatur, Prohibemus ne alibi vsquam, in toto orbe, sine nostra, vel specialis ad id Commissarij apostolici, in singulis Chri

Christiani orbis regnis, & prouinciis deputandi, expressa licentia, imprimatur, proponatur, vel recipiatur: Quoscunque vero, qui illud secus impresserint, proposuerint, vel receperint, excōmunicationis sententia eo ipso innodamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ablationis, abolitionis, permissionis, reuocationis, iussionis, præcepti, statuti, indulti, mandati, decreti, relaxationis, cohortationis, prohibitionis, innodationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ, apud sanctum Petrū, anno incarnationis Dominicę 1568. Septimo Idus Iulij. Pont. nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

M. Datarius. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate D. 1568. in dictione vndecima die vero decima quinta mensis Iunij. Pont. sanct. in Christo patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papę V. anno tertio, retroscriptæ literę apostolicę affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi floræ, dimissis ibidem præsentibus literis per aliquantulum temporis spatiū, vt moris est, affixis, deinde amotis per nos Iulium Parinum, & Ioannem Bornotum prælibati Sanctissimi D.N. Papę Cursores.

Antonius Clerici Mag. Curs.

Bulla S.D.N. Pij Papæ V. reuisionis, & recuperationis honorum Ecclesiasticorum male alienatorum.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ET si de singulis pastoralis officij cura nos admonet esse sollicitos, Fabricam tamē sancti Petri, quā

ipe

speciali quadam cura nobis cognoscimus esse commissam, specialis intentionis fauore prosequimur, eamque gratiis attollimus opportunis. Accepimus sane nuper, quod diuersæ personæ tam ecclesiasticæ, quam seculares quam plura bona, possessiones, & terras ad Ecclesias etiam Metropolitan. monasteria, beneficia, domos, & alia regularia, ac alia pia loca, necnon Hospitalia pertinentia, & spectantia, pretextu diuersarum alienationum eis contra tenorem literarú felicis recordationis Symmachi, & Pauli ij. ac aliorum Roman. Pontificum prędecessorum nostrorum, aut sine apostolicæ Sedis licentia, seu illarum forma non seruata, aut alias in euidens damnum & præiudicium ecclesiarum, Monasteriorum, beneficiorum, & piorum locorum huiusmodi factorum occupauerunt, & detinuerunt, ac de præsenti occupent, & detineant. Nos præmissa conniuentibus oculis pertransire nequeuntes, vtpote quæ in diuinæ maiestatis offensam, ac ecclesiarum, & ordinis clericalis detrimentum tendant, vtque Fabricæ præfatæ maximis necessitatibus succurramus, Dilectos filios Collegium, & deputatos Fabricæ præfatæ, eorumq; pro tępore Auditores, & Ministros, ac eorum singulos à quibusuis excómunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat cõsequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad ipsorum deputatorum, & Collegij, ac Auditorum, & ministrorum præfatorum, vel alicuius eorum, aut pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac de mera nostra liberalitate, & apostolicæ potestatis plenitudine eisdem Collegio, & deputatis, eorúmque pro tempore Auditoribus, & ministris præfatis, vt omnes, & singulas alienationes in emphyteosim, seu censum perpetuum, aut tertiam, vel aliam generationem, seu hominis vitam, aut aliud tempus

tempus vltra triennium locationes, vel concessiones, seu permutationes, aut occupationes, de quibusuis terris, possessionibus, aut aliis bonis immobilibus, seu rebus & iuribus, tam spiritualibus, quam temporalibus Ecclesiarum, Monasteriorũ, domorum, beneficiorũ, hospitalium, & aliorum piorum locorum quorũlibet sine Sedis apostolicæ licentia, aut illius forma non seruata in damnum ecclesiarum, seu solemnitatibus à iure requisitis, aut constitutionibus ipsorum Monasteriorum, seu domorum minime seruatis, aut alias nulliter hactenus factas reuidere, & constito sibi quãtum sufficere videbitur de præmissis illas, & contractus super inde sub quibusuis formis, & verborum expressionibus habitos, & celebratos, etiam si iuramento vallati existant, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur pro expressis habentes, auctoritate apostolica ad solius prę-fatæ Fabricę procuratoris instantiam, etiam parte inuita, & contradicente, facta sibi prius intimatione per tres menses tenore prę-sentium rescindere, irritare, cassare, & annullare, ipsosque detentores, & occupatores ad terras, possessiones, & bona, res, & iura præfata, vt præfertur detenta, & occupata relaxandum, & de fructibus tam hactenus perceptis, & qui percipi potuerunt, quam in posterum percipiendis realiter satisfaciendum cogere, & compellere, bonorumque, & fructuum recuperãdorum huiusmodi tertiam partem ipsi Fabricæ, reliquis duabus partibus ecclesiis, monasteriis, beneficiis, domibus, hospitalibus, & piis locis ad quæ bona ipsa spectabunt, cum effectu consignatis, vendicare, & applicare possint, & valeant, facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Ita vt eisdem Collegio, deputatis eorumque auditoribus, & ministris liceat dictæ tertiæ partis huiusmodi bonorum præfatæ Fabricæ, vt præmittitur, applicatorum corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, illamque in dictæ Fabricæ vsus, & vtilitatem absque alia sedis apostolicæ, &

Universidad de Deusto Biblioteca

ſuperiorum eccleſiarum, monaſteriorum, domorum, beneficiorum, hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, ad quæ bona ipſa, & fructus ſpectabunt, licentia alienare, vendere, & conuertere diœceſani loci, vel cuiuſuis alterius licentia deſuper minime requiſita. Decernentes præſentes literas nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut inualidari, etiam ex eo capite quod intereſſe habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minuſque in controuerſiam vocari poſſe, ſed ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, minuſque ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi vllatenus poſſe ſed ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas eſſe, & cẽſeri. Sicque per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes eriam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, iudicari debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignorante contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis apoſtolicis necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus, conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſuis etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apoſtolicis quibuſuis perſonis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Secretarij, & ſigillo Collegij dictæ fabricæ ſubſcriptis, & munitis, eadem prorſus in iudicio, & extra fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, impartitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noueritincurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono Kal. Ianuarij. Pont. noſtri anno quarto.

Cæ. Glorierius. C. Rouyer.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Alexander Riarius Protonot. Apoſt. S. D. N. & curiæ cauſarum Cam. Apoſt. generalis Auditor, ac Fabricæ Baſilicæ principis Apoſtolorum de Vrbe deputatus, necnon eiuſdem Collegij Fabricæ iudex ſpecialiter delegatus.

AVctoritate noſtri officij, & ad D. Petri Aloiſij Fidelis eiuſdem Fabricę Oeconomi inſtan. tenore, præſentium mandamus omnibus, & ſingulis infraſcriptorum cathedralium, etiã metropolitan. ac collegiatarum ſuperioribus, capitulis, & canonicis, parochialiúmq; eccleſiarũ rectoribus, ac capellanis, archipreſbyteris necnon monaſteriorum abbatibus, commendatariis, & prioribus, ac domorũ, conuentuum, & aliorum regularium locorum etiam ſuperioribus, correctoribus, ac guardianis, aliiſque perſonis eccleſiaſticis, necnon archihoſpitalium, hoſpitalium, & aliorum piorum locorum Gubernatoribus, quocunque nomine nuncupentur, ad quos ſpectat, ac in executione, ſeu publicatione præſentium nominan.

& cognominan. quatenus termino octo dierum proxime futurorum sub quingentorum ducatorum eidem Fabricæ applican. & excommunicationis pœnis debeant, ac quilibet ipsorum debeat per cedulam eorum manibus subscriptam, prout ad eos,& eorum singulos quomodolibet spectat, omnes, & singulas alienationes etiam in emphyteosim,seu censum perpetuum,aut ad tertiam, vel aliam generationem, seu hominis vitam, aut aliud tempus longum vel longissimum vltra triennium locationes, vel concessiones, seu permutationes, aut occupationes de quibusuis terris,possessionibus,aut aliis bonis immobilibus,seu rebus actionibus, & iuribus tam spiritualibus, quam temporalibus,iurisdictionibus, etiam feudalibus cathedralium, etiam metropolitan. & aliorum supra specificatorum monasteriorum, domorum, conuentuum,beneficiorum,hospitalium, & aliorũ locorum hactenus tam per eos, quam per prædecessores suos factas,exprimendo,& specificando qualitates, quantitates, valores, confines, loca & situationes eorundem bonorum,necnon pretium,& canonem,censum vel responsionem,pro quo vel quibus terræ,possessiones, & bona huiusmodi alienata permutata, seu concessa fuerunt, ac exhibendo, ostendendo,& patefaciendo instrumenta,rogitus,ac monumenta quæcunque penes eos existentia, necnon nomina rogatorum de alienationibus, concessionibus, permutationibus, & dismembrationibus bonorum eorundem,quocunque nomine,& prætextu etiam factis,necnon cognomina,patriam habitationem omnium,& singulorum proscidétium, detinentium,& occupantium iura,res, actiones,bona immobilia, iurisdictionem, census,ac iura feudalia emphyteotica,obuentiones, fructus,reditus,& responsiones earundem ecclesiarum, & beneficiorum, ac soluentium canones,reditus, census, & annuas responsiones, ac alia supradicta suis ecclesiis, & eorum antecessorum etiam longo, & longissimo tempore,infrascripto Notario realiter, & cum effectu,

ctu,ad effectum illas reuidendi, ac bullam Sanctissimi D. N. Pij Papæ V. super reuisione, & recuperatione bonorum ecclesiasticorum dicto Collegio Fabricæ concessam plenarie ac integre effectuandi, & executioni demandandi dedisse, tradidisse, denunciasse, exhibuisse, & consignasse: alioquin &c. & si quis &c. Datum Romæ in ædibus nostris Die 15. Mensis Martij.1570.

Bulla S.D. N. D. Pij Papæ V. Applicationis Fabricæ medietatis relictorum piorum non exactorum per triennium.

PIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

EXigit incumbentis nobis apostolicę seruitutis officium,vt Fabricæ nostrę Basilicę sancti Petri vtilitati prospicere satagentes,ea libenter ipsi concedamus, quæ eius vtilitati credimus expedire. Hinc est, quod nos,qui nuper accepimus, quòd tam in alma Vrbe nostra quam aliis Ciuitatibus,terris, dominiis, locis ac regnis, reperiuntur multa legata à piis testatoribus facta ad effectum celebrationis missarum,& recitationis diuinorum officiorum, necnon erogationis eleemosynarum diuersis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis piis locis, ipsaque legata hęredum auaritia seu alias per Triennium retroactum executioni debitæ demandata non fuerint, volentesque tam super præmissis, ea, quæ conueniunt, adhibere remedia, quam Fabricæ præfatæ vtilitatem aliqua ex parte procurare, ac dilectos filios Deputatos, & Collegium Fabricæ huiusmodi, eorumque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, &penis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum,

harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad ipsorum Deputatorum, & Collegij, vel alicuius eorum, aut pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine Deputatis, & Collegio huiusmodi, si & postquã iuxta tenorẽ priuilegiorũ & facultatum sibi concessorũ legata huiusmodi executioni debitæ demãdari fecerint, vnã illorum medietatẽ, reliquam vero loco, cui legata fuerint, applicamus, & appropriamus. Decernentes præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut inualidari, etiam ex eo capite quod interesse habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minusque in ius vel controuersiam vocari posse, sed semper validas, & efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, minusque sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi vllatenus posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restituras esse, & censeri. Sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes etiam causarum Palatij apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, iudicari debere. Irritũ quoque & inane, si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, & quibusuis apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis quibusuis p rsonis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis,

cialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu Secretarij, & sigillo Collegij præfatæ Fabricæ subscriptis, & munitis, eadem prorsus in iudicio, & extra fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, applicationis, appropriationis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ 1569. Vndecimo Kal. Ianuarij Pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius. C. Rouyer.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Bulla S. D. N. D. Pij Papæ V. Quod duæ sententiæ in ea parte in qua erunt conformes faciant rem iudicatam.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ET si omnium litium finem ea, qua possumus celeritate procuramus, eas tamen, quæ Fabrica nostra Sancti Petri pro executione legatorum ad pias causas relictorum recuperatione, bonorum ecclesiasticorum male alienatorum, & aliorum iurium suorum agitat, ne in nimis longum cum ipsius Fabricæ detrimento protrahantur, libenter accelerare satagimus, & ad eas operarias manus fauorabiliter impartimur. Accepimus sane nuper, quod detentores bonorum, & pecuniarum ad pias causas

relictorum, ac bonorum ecclesiasticorum male alienatorum,& aliorum quorumcunque iurium ad fabricam ipsam spectantium in consignationibus huiusmodi bonorum, & solutionibus faciendis adeo sunt morosi, vt illam, quantum possunt, subterfugere nitantur, Fabricam proinde expensis, & laboribus frustrādo. Nos præmissis opportuna remedia adhibere volentes,ac dilectos filios Deputatos, & Collegium Fabricæ huiusmodi, eorumque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione vel causa latis,si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio,non ad ipsorum Deputatorum, & Collegij, vel alicuius eorum, aut pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate, & ex certa scientia nostris,eisdem Deputatis, & Collegio, illorumque ministris, vt in huiusmodi causis duabus pro se reportatis sententiis conformibus,in ea parte in qua erunt huiusmodi sententiæ comformes, executionem paratam habeant, atque huiusmodi sententiæ exequutioni debitæ demandentur, partesque proinde appellantes minime audiri, nec eorum appellationes admitti, minusque illarum virtute commissiones,preces,aut rescripta, vllo modo impetrari, aut concedi, neque etiam quoquomodo impetratis, aut concessis vti, aut se illis iuuari vllatenus possint, vel præsumant, & si quæ etiam per nos, aut successores nostros Romanos Pontifices, & manu nostra propria, vel Cardinalem signaturæ nostræ iustitiæ præfectum pro tempore existentem, aut officiū contradictarum sub quibusuis verborum formis concepta,& signata, etiam si Motu simili concedi contigerit illa semper intelligantur esse cum clausula (sine præiudicio executionis duarum conformium) decreto irritanti etiam apposito, nec iudicibus, ad quos directæ

directæ erunt aliquam facultatem tribuant,inhibitionesque, & censuras earum vigore emanatas nullas & nullius esse valoris, & momenti, volumus, atque decernimus. Decernentes præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel inualidari, etiam ex eo capite, quod interesse habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci,minusque in ius,vel controuersiam vocari posse,sed semper validas, & efficaces existere,suosque plenarios effectus sortiri, minusque sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus,suspensionibus,limitationibus, & derogationibus comprehendi vllatenus posse, sed semper ab illis exceptas,& quoties illæ emanabunt,toties in pristinum statum restitutas esse, & censeri. Sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes etiam causarum Palatij Apostolici Auditores,sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate,iudicari debere. Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter,vel ignoranter contigerit attentari.Non obstantibus præmissis, ac quibusuis apostolicis nec-non in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus,vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus,ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, quibusuis personis in genere,vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa mentio seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis,

manu Secretarij, & sigillo Collegij dictæ Fabricæ subscriptis,& munitis,eadem prorsus in iudicio,& extra fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, voluntatum,decretorum, & derogationis infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri,& Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1569. vndecimo Kalen. Ianuarij Pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

C. Rouyer.

Bulla S.D.N.D. Pij Papæ V. Ampliationis facultatum super reuisione, & recuperatione bonorum ecclesiasticorum male alienatorum, in fauorem Ecclesiarum, monasteriorum, & piorum locorum, ac Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EXigit incumbentis nobis apostolicæ seruitutis officium, vt Fabricam Basilicæ Principis apostolorum de Vrbe tanquam peculiari nostræ curæ commissam, specialiori cura amplectentes, non modo ea, quæ illi concessa reperimus conseruemus, verum etiam nouis semper concessionibus decoremus, vt exinde maioribus suffulta præsidiis, celerius ad finem debitum perducatur. Sane licet alias nos ex certis tunc expressis causis per alias nostras Motu proprio confectas literas dilectis filiis Collegio &,

& Deputatis fabricæ præfatæ, eorumque pro tempore Auditoribus,& Ministris, vt omnes,& singulas alienationes in emphyteosim seu censum perpetuum,aut ad tertiam,vel aliam generationem, seu hominis vitam,aut aliud tempus vltra triennium locationes, vel concessiones,seu permutationes, aut occupationes de quibusuis terris,possessionibus,aut aliis bonis immobilibus, seu rebus, & iuribus tam spiritualibus quam temporalibus ecclesiarum, monasteriorum, domorũ, hospitalium, & aliorum piorum locorum quorumlibet sine Sedis apostolicæ licentia,aut illius forma non seruata,vel in damnum ecclesiarum, seu solemnitatibus à iure requisitis,aut constitutionibus ipsorũ monasteriorum, seu domorum minime seruatis,aut alias nulliter eatenus factas reuidere,& constito sibi quantum sufficere videtur de aliquo ex præmissis, illas & contractus superinde sub quibusuis formis, & verborum expressionibus factos & celebratos,etiam si iuramento & confirmatione apostolica vallati existerent, ac alias sub certis modo,& forma Apostolica auctoritate ad solius ipsius fabricæ procuratoris instantiã, etiam parte inuita, & contradicente, facta sibi prius intimatione per tres menses,rescindere,irritare,cassare,& annullare, ipsosque detentores, & occupatores ad terras,possessiones,& bona,necnon res & iura præfata, vt præfertur,detenta,& occupata relaxandum,& de fructibus tam eatenus perceptis, & qui percipi potuissent,quam in posterum percipiendis realiter satisfaciendum cogere & compellere, bonorumq; & fructuum huiusmodi tertiam partem ipsi fabricæ, reliquis duabus partibus Ecclesiis,monasteriis, beneficiis,domibus,hospitalibus, & piis locis, & ad quæ bona ipsa spectarent,cum effectu cõsignatis,vendicare, applicare possent,& valerent, facultatem, & auctoritatẽ concesserimus,prout in dictis literis plenius continetur. Nuper tamen,sicut nos accepimus,in prosecutione literarũ huiusmodi hac alma Vrbe, & multis aliis ciuitatibus,& locis collegium præfatum,& eius ministri

stri inuenerint nonnullas causas super recuperatione huiusmodi terrarum, possessionum, & aliorum bonorum immobilium, rerum, & iurisdictionum diuersis iudicibus, etiam causarum Palatij apostolici Auditoribus commissas, & delegatas, vel ordinaria auctoritate agitatas, in quibus à multo tempore citra Abbatū, Priorum, & Commendatariorum, Rectorum, Administratorum, Canonicorum, Capitulorum, & aliorum beneficiatorum negligentia, seu impotentia, aut alia ex causa aliquis iudiciarius actus releuās seruatus nō extitit, & interim Monasteria, Ecclesiæ, domus, hospitalia, & alia loca præfata detrimentum non modicum sustineant. Nos singularum causarum prefatarum status, & merita, nominaque & cognomina iudicum, & collitigantium præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Deputatis & Collegio, eorumq; Commissariis Auditoribus & Ministris, vt omnes, & singulas causas huiusmodi in quibus saltem per biennium aliquis iudiciarius releuans actus vltra fatalium prorogationes seruatus non fuerit, in eisdem statu, & terminis, in quibus reperiuntur, ac quibuscunque iudicibus tam ordinariis quā delegatis, etiam si causarum Palatij huiusmodi Auditores fuerint, ad solius præfatæ fabricæ procuratoris instantiam, etiam Abbatibus, Prioribus, Commēdatariis, Administratoribus, Rectoribus, Capellanis, hospitalariis, & aliis beneficiatis inuitis reassumere, & auocare, illasque postquam, vt præfertur, reassumptæ & auocatæ fuerint, iuxta priuilegia & facultates eidem Collegio concessas & indultas, & prout procedere possunt contra eiusdem fabricæ debitores, & in causis relictorum ad pias causas cognoscere, decidere, ac fine debito terminare, facultatem concedimus. In super cum sicut etiam accepimus licet in ciuiate nostra Bononien. venerabilis frater noster Episcopus Bononien. vigore Concilij Tridentini, & Ra-

uena

uenaten. nonnullos ex clero ad locationes bonorum ecclesiasticorum reuidēdas, & rescindendas deputasset, & ipsi admodum paucas fine debito terminassent, tamen post emanatas dictarum facultatum nostrarū in dictæ fabricæ fauorem literas sub nomine ipsorum deputatorum certum edictum publicatum fuerit, per quod inter cætera omnes, & singulę personæ ecclesiasticæ, necnon Rectores, & administratores Ecclesiarū monasteriorum & piorum locorum moniti fuerūt, vt pro adimplemento sacrorum canonum & constitutionum factarum, tam à nobis quàm prædecessoribus nostris, omni adhibita diligentia, curarent recuperationem bonorum ecclesiasticorum per triginta annos ante Concilium Tridentinum quocunque titulo male alienatorum, eisdem iubendo, vt omni studio, & diligentia in officio præfatorum Deputatorū & posse eorum Notarij infra certum statutum terminum omniūm bonorum à triginta annis, vt præfertur, computandis occupatorum, eorumque occupatorum cum ipsorum nominibus, & cognominibus, & ipsorum bonorum descriptionibus, & confinibus notitiam dare, ac quæcunque instrumenta, & scripturas tales causas concernentia exhibere deberent, ad hoc vt ipsi facilius in huiusmodi causis procedere possent. Et successiue postquam Commissarius præfatæ fabricæ suum edictum iuxta tenorem prefatarum nostrarum literarum publicari fecerat, idem Episcopus à nobis quasdam literas in forma Breuis obtinuerit, per quas eidem, & pro tempore existenti Episcopo præsuli, seu administratori, aut eius vel illius vicario in spiritualibus generali, necnon dilectis filiis Iudicibus, & Reuisoribus, ac Syndicis ad id ab eodem Episcopo in synodo diœcesana deputatis, & pro tempore deputandis concessimus & indulsimus, vt omnes, & singulas, ac quascunque alienationes & concessiones quorumcunque bonorum ecclesiasticorum factas, & faciendas Ciuitatis & diœcesis Bononien. & illarum causas reuiderent & cognoscerent summarie, simpliciter, &

de

de plano, ac sola facti veritate inspecta, & in illis quæ constitutiones fe. rec. Symmachi secundi, & Pauli etiam secundi Romanorum Pont. prædecessorum nostrorum, & in damnum ecclesiarum, monasteriorum, & piorum locorum facta fuisse comperissent, præhabita superinde congrua reuisione, adhibitisque legitimis probationibus procederent, & prout iuris foret deciderent, & alia facerent, prout in edicto, & literis præfatis plenius continetur, quarum literarum vigore aliud edictum super similibus publicatum extitit, quibus ipsæ personæ ecclesiasticæ, vt decet, obtemperantes dictas denuntiationes in eorum officio detulerunt, & vt Commissarium præfatum deluderent, præfati deputati ab edicto per eundem Commissarium facto appellarunt, & ipsum fere in omnibus causis præfatis præuenerunt. Nos attendentes præmissa, prout in ciuitate Bononien. hactenus occurrerunt, etiam in multis aliis ciuitatibus & diœcesibus simili, vel alio modo occurrere posse, & si præfata fabrica sic impediretur, hoc non sine graui ipsius detrimento succedere posse, volentesque propterea eiusdem fabricæ vtilitati consulere, ac edictorum, & literarum nostrarum præfatarum tenores similiter præsentibus pro expressis habentes, Motu, & scientia similibus Collegio, deputatis, auditoribus, commissariis, & ministris fabricæ præfatæ, vt ipsi in omnibus, & singulis causis Monasteriorum, Abbatiarum, Prioratuum, domorum, & aliorum exemptorum sub iurisdictione ordinaria non comprehensorum, necnon aliis in quauis processus nondum est instructus, etiam si in eis Ordinarius virtute literarum nostrarum, vel ipsa ordinaria auctoritate præuenerit, modo & forma, quibus per præfatas literas, vel alias concessum extitit procedendi, easque cognoscendi, & fine debito terminandi liberam & amplam facultatem concedimus per præsentes. Præterea cum per literas nostras præfatas eisdem Collegio & deputatis concesserimus facultatem cogendi quas-

quaslibet personas ad restituendum bona, proprietas, & reditus monasteriorum, ecclesiarum beneficiorum domorum, & piorum locorum, vt præmittitur alienata, siue detenta & occupata, vna cum eorum fructibus per possessores, & alios perceptis, & de facili euenire posset, vt plurimæ personæ, quæ per multos annos ipsa bona possederunt, & in eis plurima melioramenta fecerunt, ne bonis ipsis priuentur, canones, census reditus quæ pro bonis ipsis soluunt, cuperent augere, ita vt cederent in euidentem vtilitatem ipsorum monasteriorum, ecclesiarum, beneficiorum, domorum, hospitalium, & locorum piorum. Aliique tanta premerentur necessitate, vt ipsis de fructibus per eos, & eorum antecessores, & alias personas perceptis, integre satisfaciendi nulla sufficiat facultas, onerosumque eis omnino videatur, cum ipsi forsan bonæ fidei possessores fuerint, talem summam soluere. Nos super præmissis paterna pietate prouidere cupientes, Volumus Collegium, & deputatos præfatos eiusque Commissarios, Auditores, & ministros, postquam bonorum partem debitam huiusmodi iuxta formam literarum nostrarum monasteriis, ecclesiis, domibus capitulis, capellanis, beneficiatis, & piis locis ad ius, & proprietatem monasteriorum, ecclesiarum, domorũ, capitulorum, rectorum, capellanorũ, beneficiorũ, & piorum locorum, quorum antea erant, reduxerint, posse, & valere eisdem possessoribus, aut aliis personis, de consensu eorum, quorum intererit, sub honesto canone siue censu aut alias, prout iustum eis videbitur, in euidentem tamen vtilitatem ipsorum monasteriorum, ecclesiarum, domorum, capitulorum, parochialium, ecclesiarum, capellaniarum, & beneficiorum, ac locorũ piorum de nouo in Emphyteosim, seu censum perpetuum, aut ad tertiam vel aliam generationem, seu hominis vitam, aut aliud tempus eorum arbitrio locare, & concedere, ac super fructibus male perceptis huiusmodi, si beneficiatorum eorundem ad id accesserit assensus, componere, deque tertia parte

te bonorum, & fructuum huiusmodi ipsi fabricæ, per prædictas nostras literas assignata arbitrio suo, etiam sine pro tempore existentium Abbatum, Priorum, Commendatariorum, Administratorum, Canonicorum, Capitulorum, Rectorum, & beneficiatorum eorundem consensu, & etiam inuitis disponere, & componere, ipsosque possessores & alias personas cum eis contrahentes quietare, & absoluere posse. Cumque, vt similiter accepimus, inueniantur multa bona in euidẽtem vtilitatem monasteriorum, ecclesiarum, & piorum locorum huiusmodi, sed consuetis solẽnitatibus, vel aliis de iure, vel ex forma ordinum, & constitutionum monasteriorum, capitulorum, ecclesiarum, domorum, hospitalium & piorum locorum requisitis non obseruatis, ac sine licentia, vel confirmatione apostolica alienata, Collegium, & deputatos, & eorum commissarios, ac ministros præfatos possessores ipsos pro excessibus, & temerario ausu, ac fructibus perceptis indebite huiusmodi eorundem Collegij deputatorum, Commissariorum, & ministrorum arbitrio pœnis pecuniariis omni, & quacunque appellatione remota in ipsius fabricæ vtilitatem conuertendis, punire, & mulctare, eisdemq; possessoribus, & detentoribus competentem terminum sub præfatis pœnis, ad obtinẽdum debitam confirmationem à nobis, & sede apostolica præfigere, quod si neglexerint ipso termino elapso, ad incursus pœnarum huiusmodi, & ipsorum bonorum priuationem omni appellatione postposita, procedere etiam posse volumus, & declaramus. Vlterius quoque cum plurima reperiantur monasteria, ecclesiæ, beneficia, hospitalia, & pia loca, quæ instrumenta alienationum bonorum suorum penes se non retineant, sed solum eis canones seu census illarum ratione persoluuntur, licetque, qui ea possident forsan penes se talia instrumenta habeant, illa tamen ostendere minime velunt, seque tuentur, quòd per multum temporis spatium in bonorum eorumdem solutionis possessione existunt,

stunt, Eisdem collegio deputatis commissariis & ministris, vt omnes, & singulas personas bona ecclesiastica, vt præfertur, retinentes, possidentes, vel detinentes, nisi legitimam causam habuerint se excusandi, ad exhibendum per documenta, & instrumenta publica titulos suos, quorum vigore bona huiusmodi possident, intra terminum eis præfigendum sub pœnis, & censuris, sibi beneuisis monere, quod facere recusantibus, aut non curantibus iidem Collegium, & deputati in iis, in quibus dicti possidentes à Quadraginta annis citra non ostẽderint dicta instrumenta, & abinde pacifice, & possedisse, & soluisse, ac de canone solito ipsis beneficiatis respondisse ad pœnarum, & censurarum huiusmodi incursum, ac ipsorum bonorum priuationem, fructuumque eorundem solutionem procedere possint concedimus, & indulgemus. Ex quo niam indignum videtur, quòd monasteria ecclesiæ, & loca pia, ac fabrica ipsa, dum per litium anfractus circunduci contigit, fructibus bonorum, pro quibus primam sententiam in eorum fauorem obtinuerint, priuentur, Volumus quòd collegium, & Deputati præfati, necnon eorum Commissarij Auditores, & ministri post primam latam sententiam, si ab ea appellari, & causa prosequi continget, fructus bonorum, super quibus lis verti contigerit, sub arcto sequestro, aut penes idoneum Depositarium per ipsum Collegium, & eorum ministros eligendum vsque ad eius cognitum in secunda sententia, deductis tamen his, quæ alias ex forma locationum præcedentium Rectoribus, Administratoribus, Monasteriis, & piis locis fuerint persoluendi, quę minime retardari debeant, & sine litis ac iurium Monasteriorum ecclesiarum & piorum locorum, ac partium præiuditio ponant, dent & deponant. At quoniam Ecclesiarum bona confinia, Canones, census, reditus & prouentus, iura instrumenta scripturæ à diuersis auaritia obcæcatis occultantur, adeo quod à multis Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Capitulis, Canonicis, Rectori-

bus, Capellanis, Guardianis, & aliis beneficiatis beneficiorum suorum bona, & illorum confinia, & instrumenta ignorentur, Eisdem Collegio & Deputatis, eorumque Commissariis, Auditoribus, ac subdelegatis, substitutis & ministris, vt sub pecuniariis, & in illarum subsidium ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis ac aliis iuris & facti remediis opportunis omnes, & singulos vtriusque sexus Christi fideles de præmissis informatos, ac Notarios, & Tabelliones, ac alios quoscunque de instrumentis, & scripturis, ac documentis in præmissis & circa ea necessariis rogatos, in ecclesiis, dum diuina celebrantur, vel alias etiam per edictum publicum, vel simplicem citationem, vt ea omnia ipsis monasteriis ecclesiis, beneficiatis, & piis locis denuncient, propalent, notificent, exhibeant, & consignent, citare, & monere, ac contra contumaces, & inobedientes ad incursus pœnarum, & censurarum huiusmodi declarationem vsque ad illam effectualem obedientiam omnibus, & singulis iuris, & facti remediis opportunis procedere possint, & valeant, concedimus, & indulgemus. Et quoniam iustum esse censemus, vt causæ quæ per ipsos Collegium, Deputatos, eorumque Auditores, Commissarios, & Ministros cognoscuntur, tractantur, & decidantur, celerem, & optatum finem accipiant, Volumus, quòd Collegium, & Deputati eorumque Auditores Commissarij & ministri in omnibus causis, quas ipsos, & eorum quemlibet pro tempore auocare, agere, cognoscere, decidere & fine debito terminare contigerit, illas iuxta priuilegia, & facultates eidem Collegio concessas & indultas, ac prout procedere possunt contra eiusdem fabricæ debitores, & in causis legatorum piorum vna cum illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis procedere, cognoscere, decidere, & similiter fine debito terminare, necnon partes in illis interesse habentes citare, & si absentes, aut sui copiam non facientes, aut alias non reperibiles fuerint, dummodo prima vice

vice personaliter citati fuerint, facta prius diligentia de eos reperiendo per vnum ex cursoribus nostris, vel mandatariis præfatæ fabricæ, domi vbi alias residerint dimissa copia, vel per edictum in valuis Basilicæ sancti Petri huiusmodi, & in acie Campi Floræ affigendis, vel alias, prout in obligationibus in forma Cameræ fieri solet, arbitrio suo simili modo citare, necnon viduis, pupillis, & aliis personis de iure curatore indigentibus, curatores ipsos ex officio deputare, ac quibusuis tam Apostolica quam ordinaria auctoritate deputatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, vel causarum Palatij Apostolici Auditoribus, aliisque iudicibus, necnon quibus, & quoties opus fuerit sub pœnis pecuniariis arbitrio suo imponendis, ac censuris ecclesiasticis inhibere, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria, & oportuna facere possint, & valeant. Districtius inhibentes quibusuis locorum ordinariis, etiam S.R.E. Cardinalibus, & aliis personis, quauis auctoritate, etiam Apostolica fungentibus, etiam cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis à diuinis, & excommunicationis latæ sententiæ, aliisque nostro arbitrio moderandis, infligendis pœnis, ne eosdem Collegium, & deputatos molestare, aut præmissorum executionem quoquomodo impedire, vel in eis se directe, vel per indirectum ingerere, vel intromittere possint, seu audeant, vel præsumant. Decernentes quoque præsentes literas vllo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati nõ fuerint, notari, in ius, vel cõtrouersiã, seu alias reuocari nõ posse, nec per subreptionẽ, vel obreptionẽ obtentas præsumi, & ob id viribus carere, minusq; sub quibusuis similium, vel dissimiliũ gratiarũ reuocationibus, suspensionibus, limitationib⁹, & aliis contrariis dispositionib⁹ quantumuis generalibus, ac fortissimis clausulis, & decretis irritantib⁹, roboratis, cõprehẽdi-

sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum in quo ante præmissa quomodolibet erant statum, etiam sub data per Collegium, & deputatos huiusmodi eligenda plenarie restitutas esse. Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam auditores, & Cardinales præfatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate iudicari debere, irritū quoq; & inane, si secus super his à quoquā quauis auctoritate scienter vel ignoranter cōtigerit attentari, Non obstantib⁹ præmissis, ac nostra de non tollendo iure quesito, & quibuscunque apostolicis, etiam per nos, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis etiam collegij Cardinalium, & Auditorum eorundem, ac aliorum tribunalium, necnon quorumcunque Monasteriorum, ecclesiarum, domorum, beneficiorum, ordinum capitulorum, & piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis quibusuis etiam ipsis Auditoribus, & aliis iudicibus sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu simili, & excerta scientia concessis, confirmatis, approbatis & innouatis: Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum

dultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quòd dicti Deputati retenta tertia parte bonorum, per eos pro tempore recuperatorum huiusmodi, reliquas duas partes suis quibusuis ecclesiis pro rata consignare debeant, & teneantur. Quodque præsentium transumptis etiam impressis manu Secretarij fabricæ huiusmodi subscriptis, & sigillo eiusdem fabricæ sigillatis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum concessionum, declarationis, indulti, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo. Tertio Idus Septemb. Pont. nostri anno quinto.

Cæ. Glorierius.
Pro Reuerend. D. Sumat. N. Aragonia Præsi.
C. Rouyer. ſſ.

Bulla S. D. N. D. Pij Papæ V. assignationis, & applicationis fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, omnium fructuum & aliorum narratorum ex bonis ecclesiarum alienatis perceptorum, & vnius anni respectiue loco tertiæ partis proprietatis ipsorum bonorum per alias suas literas eidem Fabricæ assignatæ.

PIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

EX debito pastoralis officij, cui disponente domino præsidemus, ad ea libenter intendimus, per quæ

quarũlibet Eccleſiarũ,fabricæ p̃ſertim Baſilicæ noſtræ Principis Apoſtolorũ de Vrbe, cuius cura nobis peculiaris eſt attributa,cõgruã ſuſcipiãt ſuſtentationem,vtque id felicius ſubſequatur,nõnunquã ea, quæ per nos ad ipſarũ fauoré ordinata ſunt,quæq; nõ ita felicé ſucceſſum habitura credimus, ad aliã formã reducimus, prout locorũ,& téporũ qualitate pẽſata,cõſpicimus in domino ſalubriter expedire. Sane licet alias nos cum accepiſſemus, q̃ diuerſæ perſonæ tã eccleſiaſticæ quã ſæculares,quãplurima bona,poſſeſſiones,& terras,etiã ad eccleſias,etiã Cathedrales,& Metropolitan. Monaſteria,beneficia,domos, & alia regularia,necnon hoſpitalia,& pia loca pertinentia,& ſpectãtia prętextu diuerſarũ alienationũ eis cõtra tenorẽ fel.rec. Symmachi,& Pauli ſecundi, ac aliorũ Romanorũ Pontificũ prædeceſſorum noſtrorum, aut ſine apoſtolicæ ſedis licentia, ſeu illarum forma non ſeruata, aut alias in euidens damnum & præiudicium Eccleſiarum, Monaſteriorum, beneficiorum, & piorum locorum huiuſmodi factarum occupauerant, & detinuerant, ac detinebant, nos præmiſſis occurrere volentes, vtque neceſſitatibus fabricæ dictæ Baſilicæ curæ noſtræ commiſſæ ſubueniremus, certis tunc expreſſis modo, & forma Motu proprio dilectis filiis Collegio, & Deputatis præfatæ fabricæ, eorumque pro tempore Auditoribus,& miniſtris inter cætera,vt omnes, & ſingulas alienationes in emphyteoſim, ſeu cenſum perpetuum,aut ad tertiam,vel aliam generationem,ſeu hominis vitam, aut aliud tempus vltra triennium locationes, vel conceſſiones, ſeu permutationes, aut occupationes de quibuſuis terris,poſſeſſionibus,aut aliis bonis immobilibus, ſeu rebus, & iuribus, tam ſpiritualibus quam temporalibus eccleſiarum, monaſteriorum,domorum,beneficiorum,hoſpitalium,& aliorum piorum locorum quorumlibet ſine ſedis apoſtolicæ licentia,aut illius forma non ſeruata in damnum eccleſiarũ,ſeu ſolennitatibus à iure requiſitis,aut conſtitutionibus ipſorũ monaſteriorũ, ſeu domorũ minime ſeruatis, aut alias nulliter eatenus factas reuidere,

& cõſtito ſibi quantũ ſufficere videretur de præmiſſis, illas, & contractus ſuperinde ſub quibuſuis formis, & verborũ expreſſionibus habitos,etiã ſi iuramento vallati exiſterẽt, ad ſoljus ipſius fabricæ procuratoris inſtantiã,etiã parte inuita,& cõtradicẽte,facta ſibi prius intimatione per tres méſes,reſcindere,irritare,caſſare, & annullare,ipſoſq; detentores,& occupatores ad terras,poſſeſſiones,bona,res & iura præfata, vt præfertur detẽta,& occupata relaxandũ, & de fructibus eatenus perceptis,& qui percipi potuerãt,necnon in poſterum percipiẽdis realiter ſatisfaciendũ cogere,& cõpellere, bonorũque,& fructuũ recuperandorũ huiuſmodi tertiam partẽ ipſi fabricæ,reliquis duabus partibus eccleſiis, monaſteriis, beneficiis, domibus, hoſpitalibus,& piis locis ad quæ bona ipſa ſpectabãt,cũ effectu conſignatis vẽdicare,& applicare poſſent,& valerent. Ita vt eiſdẽ collegio,deputatis,eorumq; auditoribus, & miniſtris liceret dictæ tertiæ partis huiuſmodi bonorũ præfatæ fabricæ,vt præfertur,applicatorũ,corporalem poſſeſſionẽ propria auctoritate libere apprehẽdere, illamq; in dictæ fabricæ vſus,& vtilitatẽ abſq; alia ſedis apoſtolicæ,& ſuper eorũ eccleſiarũ,monaſteriorũ,domorũ,beneficiorũ,hoſpitaliũ,& aliorũ piorũ locorum, ad quæ bona ipſa ſpectabãt,licẽtia,alienare,vẽdere, & cõuertere,diœceſani loci, vel cuiuſuis licẽtia deſuper minime requiſita,facultatẽ, & auctoritatẽ conceſſerimus, prout in noſtris deſuper confectis literis plenius cõtinẽtur. Verũ,quia,vt accepimus, dictæ fabricæ difficile foret tertiã partẽ proprietatis bonorũ eidẽ fabricæ,vt præfertur aſſignatã vendere,& in vſum dictæ fabricę cõuertere,cũ non de facili emptores reperirẽtur, & plurima bona nõ ita cõmodã diuiſionẽ patiãtur, vt tertia ab ipſis pars ſine duarũ partiũ detrimẽto diſmẽbrari, & ſeparari poſſit, Cupiẽtes indẽnitati dictæ fabricæ cõſulere,arbitranteſq; quòd ſi loco dictæ tertiæ partis ꝓprietates bonorũ recuperãdorũ, vt præfertur, dictę fabricæ aſſignatæ,oẽs fructus cõtra leges, & canones,ac conſtitutiones anteceſſorum noſtrorum per

quosuis conductores, & successores vniuersales, vel singulares quomodolibet indebite ex dictis bonis percepti, & qui percipi potuerunt, & non sine animæ eorum periculo retineri possunt, quatenus exigibiles sint, & in alienationibus, in quibus pauci, aut nulli fructus indebite percepti fuerunt, vel ex inopia debitorum, vel ex quauis causa, vel occasione per ipsos deputatos arbitranda, nullum, vel modicum emolumentum reportare posse, cum non sit conueniens, quòd ex eius bono opere detrimentum sentiat, omnes fructus, reditus, & prouentus integros vnius anni ex huiusmodi bonis recuperatis exigendi, & percipiendi dictæ fabricæ assignarentur, & appropriarentur, celeriorem vtilitatem tam dictæ fabricæ quam ecclesiæ ipsæ consequerentur. Eosdem itaque collegium, & deputatos, ac auditores, & ministros, eorumque quoslibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon literarum præfatarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulos fructus, reditus, prouentus, canones, census, & affecta, seu alias responsiones quocunque nomine noncupentur quomodolibet tam per conductores bonorum ecclesiasticorum, quam eorum successores quoscunque vniuersales, vel singulares, aut particulares, ac alios detentores, occupatores, & debitores sub quouis prætextu, & inualido contractu contra leges, canones extrauagantes, & constitutiones antecessorum nostrorum, aut alias indebite, nulliter, & inualide perceptos, & ob infectam radicem primi contractus inualidi, aut alias nulliter cum ecclesia celebra-

th

ti, vel occupationis, detentionis, & vsurpationis factæ indebite dictorum bonorum. Si vero vel quia modici, aut nulli admodum fructus sint exacti, vel ex debitorum inopia, vel quauis alia causa per ipsos deputatos arbitranda, fructus prædicti non essent exigibiles, tunc fructus, reditus, prouentus, census, & canones integros vnius anni ex dictis bonis recuperatis percipiendos, loco dictæ tertiæ partis plenariæ, & integre dictæ fabricæ assignamus, & applicari mandamus. Ita quod eisdem Collegio, & pro tempore existentibus deputatis Auditoribus, & Ministris prædictis liceat illos propria auctoritate recuperare, exigere, & leuare, illosque locare, vendere, & alienare, ac in vsum, & vtilitatem dictæ fabricæ conuertere, Sedis apostolicæ, vel superiorum Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum eorundem, vel ordinarij, aut cuiusuis alterius licentia desuper minime requisita. Et vt facilius ecclesiæ integram proprietatem, & fabrica fructus, vt præmittitur, sibi assignatos consequi possit sine litium cursu, eisdem Collegio, & deputatis concedimus, & elargimur, vt quoties eis videbitur opportunum, per seipsos tantum in causis prædictarum alienationum, siue detentionum bonorum ecclesiasticorum, in quibus ius Ecclesiarum, Monasteriorum, domorum, hospitalium, beneficiorum, & piorum locorum præfatorum non adeo clarum existit, vt de facili bona, & fructus pro Ecclesiis, Monasteriis, domibus, beneficiis præfatis, & fabrica vendicari possint, aut ius ipsum dubium sit cum dictis detentoribus, possessoribus, & successoribus vniuersalibus, vel particularibus sub beneplacito Sedis Apostolicæ transigere, & cõponere de consensu Rectorum eorundem arbitrio possint, & valeant. Quodque aucta, & soluta parte, in qua conuenerint, seu pro qua composuerint, occupatores, possessores, vel successores prædictos absoluere, & liberare, ita vt de cætero à nemine sub prætextu quarumcunque constitutionum, canonum, legum extrauagan-

r 5

tium, ac bullarum per anteceſſores noſtros prædictos, & per nos ſuper reſciſſione, & recuperatione bonorum, & fructuum eccleſiaſticorum editarum quomodolibet moleſtari, inquietari, vel perturbari poſſint, & valeant, ſed facta ſolutione prædicta ſint, & eſſe intelligantur etiam liberati tam ab omni animæ periculo quam ab omnibus pœnis, & mulctis, quas occaſione dictorum fructuum indebite perceptorum incurriſſent, & contractus neceſſarios conficere, qui poſtquam celebrati fuerint, idem robur obtineant, ac ſi a Sede Apoſtolica confirmati fuiſſent, & ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis perpetuum ſilentium impoſitum ſit, & eſſe cenſeatur. Diſtrictius inhibentes quibuſuis cuiuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, & quacunque auctoritate fungentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, aliiſque noſtro arbitrio moderandis, & imponendis pœnis, ne eoſdem Collegium, & Deputatos, eorumque Auditores, & Miniſtros præfatos in præmiſſis moleſtare, perturbare, vel inquietare audeant, vel præſumant. Ac decernentes præſentes literas nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, vel intentionis noſtræ, aut quopiam alio defectu notari, impugnari, aut inualidari, etiam ex eo capite, quod intereſſe habentes vocati non fuerint, aut ad iuris terminos reduci, minuſque in ius, vel controuerſiam vocari quouiſmodo poſſe, ſed ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, nec ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi vllatenus poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinum ſtatum, etiam ſub quacunque data per ipſos eligēda reſtituras eſſe, & cenſeri. Sicq; per quoſcunque iudices & Commiſſarios etiā cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,

& auctoritate iudicari, & diſiniri debere. Irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus venerabilibus fratribus noſtris Amerin. & Maceraten. ac Aquinaten. Epiſcopis motu ſimili per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis cōtenta quęcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Collegij, Deputatorum. Auditorum, & miniſtrorū præfatorum fuerint requiſiti ſolenniter publicantes, ſibique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant præſentes literas, & in eis contenta quæcunque ab omnibus quos illa concernunt inuiolabiliter obſeruari. Non permittentes eos, vel eorum aliquem deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper iis habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando. Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtant. fel. rec. Bonifacij Papæ viij. prædeceſſoris noſtri, de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dūmodo vltra tres dietas quis ad iudiciū vigore pręſentiūn extrahatur, ac aliis cōſtitution. & ordination. apoſtolicis, ac quatenus opus ſit noſtris de non tollendo iure quæſito, acvnionibus committendis ad partes vocatis, quorum intereſt, & exprimendo valore, necnon Lateran. Concilij nouiſſime celebrati vniones perpetuas niſi in caſibus à iure permiſſis fieri prohibentis, & quibuſuis aliis apoſtolicis, necnon in prouincialibus, & ſynodalibus conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitution. & ordinat. ac quibuſuis etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis

quo

quoque,indultis,& literis apostolicis,sub quibuscunque tenoribus,& formis,ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus,& insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere,vel in specie,etiam Motu,& scientia similibus ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis,approbatis,& innouatis. Quibus omnibus,etiam si de illis , ac totis eorum tenoribus specialis , specifica,individua , & expressa mentio habenda,aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset,tenores huiusmodi,ac si de verbo ad verbum inserertur præsentibus pro sufficienter expressis habentes,illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter,& expresse derogamus , cæterisque contrariis quibuscunque,seu si aliquibus,communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum , quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam , & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem , per præsentes autem literas derogatum non esse , nec intelligi volumus in parte,vel toto primis,& secundis cedulis Motu proprio confectis, & in fauorem dictæ fabricæ super bonis ecclesiæ alienatis, nisi tantum quo ad dictos integros fructus, & facultatem percipiendi fructus vnius anni, vt præfertur, In omnibus vero aliis, & singulis in dictis cedulis , & literis concessis omnia stent,& esse intelligantur firma, & in suo robore valida,ac si præsentes à nobis non essent emanatæ. Insuper quoque statuimus , vt earundem præsentium trãsumptis manu Secretarij,& sigillo dictæ fabricæ subscriptis , & munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, assignationis, concessionis elargitionis,inhibitionis,decreti, mandati, derogationis, voluntatis, & statuti infringere , vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei , ac beatorum Petri,& Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ,millesimo quingentesimo septuagesimo,Kal. Febr. Pontificatus nostri anno sexto.

Cæ.Glorius.
Pro Reuerendis.summat.N.Aragonia Præsidens.
C.Rouyer.

Sanctiss.D. N. D. Pij Papæ V. Reuocatio priuilegiorum de recipiendis & retinendis Fratribus alterius ordinis.

PIVS *Episcopus Seruus Seruorum* Dei,*ad perpetuam rei memoriam.*

QVæcunque sacrarum Religionũ statum offendere noscuntur , nostrum nos incitat officium, de medio remouere. Quanquam enim de cohibendis regularibus ad alium ordinem translatis sancta Synodus Tridentina salubri consilio decreuit, vt nemo cuiuscunque ordinis,prælatus,vel superior vigore cuiusuis facultatis, illorum quempiam ad habitũ, & professionem admittere possit,nisi vt de ordine,ad quem transfertur , sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat. Multi tamen superioris,& prælati,obtentu priuilegiorum, quamplurimos Apostatas , & alios diuersorum ordinum ad se ob iurgia, contentiones,leuitatem , & malefacta vt maxime fugientes , eo etiam consilio receptare non desinunt,vt illorum opera in curandis infirmis, gerendisque eorum locorum rebus,& negotiis vtãtur, ex qua re plerique solutiores effecti,& quasi impunitatem assecuti, non personas tantum eorum ordinum , vnde animaduersionis metu forte exierant, sed & ipsorum ordinum ritus,moresque maledictis insequuntur. Quocirca cum eiusmodi priuilegia veniant abroganda, quandocunque insigniter comperiuntur nocere, vel etiam scandala generare. Nos his, aliisque rationabili

bilibus causis adducti, & vt quibuslibet huiusmodi effugia præcludamus. De nobis attributæ potestatis plenitudine reuocamus, & abolemus omnia, & quæcunque priuilegia, facultates, dispensationes, & indulta, præter iuris communis dispositionem emanata recipiendi, vel retinendi fratres, monachos, canonicos, & alios etiam laxiorum ordinum professores quibuscunque ordinibus, monasteriis, hospitalibus, militiis, & piis locis, etiam sancti Antonij Viennen. sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, sancti Ioannis Hierosolymitani, Iesu Christi, sancti Iacobi de Spatha, sancti Lazari Hierosolymitani, eorumque ecclesiis, membris, superioribus, & personis, per quoscunque Romanos Pont. prędecessores nostros, ac nos, & Sedem apostolicam tam in ipsorum monasteriorum, hospitalium, & locorum institutione, quam deinceps quomodocunque, ac quotiescunque, etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, & alias sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis restitutionibus, præseruationibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine, etiam pauperum infirmorum miserabilium, & cuiuscunque alterius pij operis intuitu, ac etiam ex quibuscunque aliis causis, quantumuis grauibus, charitatiuis, & necessariis, etiam consideratione, vel ad supplicationem Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, necnon S. R. E. Cardinalium, deque illorum consilio, & matura deliberatione prius habita, concessa, confirmata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, extensa, vel etiam moderata. Cassamus quoque, & annullamus, quo ad illa, oēs apostolicas, & alias literas super iis cōfectas, ac processus, & alia inde secuta quæcunque. Ac volumus ea omnia vires, & effectum de cætero non habere, ita vt

vt posthac illorum sic reuocatorum prætextu Prælati, & superiores prædicti, aut alij quicunque nullū prorsus alterius, etiam laxioris ordinis, vel obseruantiæ regularem, etiam specialem transeundi ad ipsos licentiam iuxta huiusmodi priuilegia duntaxat ferentem, ad habitum, &, professionem regularem in suis quisque monasteriis, domibus, locis, vel ordinibus, etiam vt in claustro perpetuo maneat, admittant, nec omnino quemquam recipiant, vel retineant. Eos vero, quos in aliquo ex casibus supra dictis vigore huiusmodi priuilegiorum tantum, ac præter iuris communis dispositionem iam habent translatos ad eorum superiores, & loca eius ordinis, vnde erant profecti, quam primum remittant. Decernentes admissiones, receptiones, & retentiones huiusmodi nulla firmitate subsistere, neminemque prorsus vlli voto, vllive regulæ, vel obseruantiæ etiam iuramento, aliaue solennitate promissæ obligare, necnon irritū, & inane quicquid secus per prędictos, aut quoscunq; alios quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quicunque verò aliquem contra huius nostræ reuocationis tenorem admiserint, aut receperint, aut illos, aut quos iam habent, modo prædicto translatos, aut receptos retinuerint, ipsos omnibus, & singulis dignitatibus, administrationibus, beneficiis, officiis, fructibus, & pensionibus ecclesiasticis præsentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles esse volumus eo ipso. Quocirca omnibus locorum ordinariis, in quorum diœcesibus loca prædicta consistunt, per apostolica scripta mandamus vt per se, vel alium, seu alios de trāslatis prædictis auctoritate nostra cognoscentes, in eos, quos contra hoc præscriptum nostrum degere inuenerint, ac etiam recipientes, vel retinentes reiecto quocunque exemptionis priuilegio, animaduertant, ipsosque præterea translatos, vel retentos, ad priores ordines, & disciplinam remittere procurent. Cōtradictores quoscunque per censuras, & pœnas ecclesiasticas, cæteraq;

iuris

iuris & facti remedia opportuna, quacunque appellatione postposita, compescendo, Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, Hospitalium, Militiarum, ordinum, & locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, vsibus & naturis, quodque Prælatis, & superioribus prædictis, vel quibusuis aliis cõmuniter, vel diuisim à predicta sit sede indultum, quod literis reuocatoriis sub quacunque formula editis nullatenus, vel nisi modis, & formis in huiusmodi indultis contentis parere, & ob non paritionem aliquas censuras, & pœnas incurrere, aut alias interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas nõ facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, necnon Monasteriis, Hospitalibus, Militiis, & Ordinibus huiusmodi mentionẽ, & quibuslibet aliis priuilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & literis apostolicis generalibus, & specialibus, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine prædictis concessis, cuiuscunque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, vel omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia nolumus cuiquam contra prædicta in aliquo suffragari, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, vt ipsarum præsentium exempla edantur, eademque etiam impressa, notarij publici manu, & Prælati ecclesiastici, eiusue curiæ sigillo obsignata, eandem illam vbique locorum fidem in iudicio, & extra illud faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, cassationis, annullationis, priuationis, voluntatis, mandati, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem

tem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum, eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Pridie Idus Octobris. Pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1569. Indictione duodecima, die vero prima mensis Decembris, Pontificatus Sanctiss. D. in Christo Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno quarto, retroscriptæ literæ apostolicæ lectæ, affixæ & publicatæ fuerunt ad Valuas Basilicarum Lateranen. ac in acie Campi Floræ, dimissis in omnibus supradictis locis earundem retroscriptarum literarum copiis affixis, per nos Iulium Parinum, & Io. Bornotum prædicti S. D. N. Papæ Curs.

Scipio de Octauianis Mag. Curs.

S. D. N. D Pij Papæ V. Noua constitutio de confidentijs beneficialibus earumque casibus, præsumptionibus, & probationibus, cum relaxatione cognitionis causarum, præter quam pendentium. Itemque futurarum de collatoribus Episcopis, & superioribus, beneficijsque consistorialibus.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INtolerabilis multorum peruersitas, qui sacrosanctas constitutiones nouis quotidie fraudibus eludere nituntur, sæpe illarum authores in necessitatem adducit cautius prouidendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus grauiore sanctione proposita reprimantur. Bene quidem, & prouidenter fœl. re. Pius Papa iiij. prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptalem, statuit & decreuit, vt ipso iure vacarent ecclesiæ, monasteria, ceteraque beneficia ecclesiastica in confidentiam à quibuscunque, etiam S. R. E.

Cardinalibus cuiusuis personæ contemplatione vel intuitu recepta, liberam illorum dispositionem sibi & apostolicę sedi reseruando, Nec valerent ipsorum collationes, seu concessiones, nec fructuum, nec pensionum reseruationes, nec facultates illas transferendi, nec regrediendi, seu accedendi, & ingrediendi ad ecclesias, monasteria & beneficia supradicta, illaque recipientis, fructus, pensiones, & alias res eorundem indebite perciperent, Prohibens, quibuscunque etiam sub censuris ecclesiasticis, ne quid huiusmodi amplius auderent. Ac etiam decreuit omnes, & quascunque prouisiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias dispositiones de ecclesijs, monasterijs, & beneficijs necnon reseruationes fructuum, pensionum, rerum, & iurium, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, aliasque facultates, siue perse, siue futuros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio, ac consistorialiter, siue etiam per ordinarios collatores, etiam ad patronorum præsentationes, cum interuentu confidetię huiusmodi, siue expresse, siue occulte, ac de iure præsūpto, & alias cōtra prędicta pro tēpore factas, nullius mométi fore, nec cuiquā suffragari, sed ecclesias, monasteria, & beneficia huiusmodi ipso iure vacare, ac prędictæ dipositioni reseruata esse, sicque per quoscunque etiā per præsūptiones, & cōiecturas legitimas, & alias eorum arbitrio procedendo (cum alioqui confidentias huiusmodi in lucem erui, & probari nō posse constaret) iudicari, & diffiniri debere: Necnon irritum, & inane quicquid secus contingeret attentari, quemadmodum confectis super his literis suis plenius continetur. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates, prædicta, quæ ad purgandam hanc pernicie ecclesiam, & animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse grauius delinquendi. Si quidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod iudices in causis huiusmodi confidentiarum expedi-

dis remissiores essent, omnes, & singulas causas vbicūque, & inter quoscunque motas ad nos aduocauisse-mus, ac omnimodam huiusmodi causarum præsentium, & futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis, & successoribus nostris reseruauissemus, & super quibusdam corā bonis processum fuisset, varijs inde, nec leuibus comecturis intelleximus vitium quidē confidentiæ occulte irrepsisse, sed plerisque causis præsūptiones & cōiecturas quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, eiusque rei causa plurimos, qui ante literarum prædictarum editionem huiusmodi confidentia exercent, vbi cognouerunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in iudicio confidentias, contempta constitutione prædicta, ecclesias, monasteria, & beneficia sic recepta vt prius retinere, alios fructus, pensiones & alias res accipere: alios eorum exemplo ad similia & grauiora fidentius commoueri: Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeuntes: alij ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, vt ad bellum proficiscātur, vt inimicos occidant, alij vt alieno nomine lites agant, aut defendant: alij propter crimina incapaces: quidam vt purgato delicto, vel absolutione consecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, & in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuūt, sæpe laicis, & inhabilibus, Plerique vel senes, vel infirmi, vt beneficia in domib⁹ suis perpetuēt, illa renunciarūt & renunciāt in alios, qui vel profanā familiā seruiētiū de fructib⁹ ecclesiasticis alāt, vel illa etiā nū infantib⁹, aut nascituris asseruent facto interdū circuitu retrocessionis, cū reseruatione fructuū & aliarū rerū, aut accessu, p̄sertim ab illis, qui p̄stādorū̄ iuriū Camerā Apostolicę sunt immunes: alij, aut incapaces, aut aliijs beneficijs ecclesiasticis onusti, aut ecclesiastico ordini sese mancipare refugiētes, aut mere laici beneficia ecclesiastica alijs cōferēda procurāt vt de illis postmodū ad libitū suū disponat, fructus etiā perei

pientes illorum. Ad hæc plerique ordinarij, & alij collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, vt fructus, seu pensiones capiant eorundem, alijsue faciant ministrari. Alia item permulta eiuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum diuinarum puritas impie violatur, disciplinæ ecclesiasticæ neruus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum. Quare nos volentes periculosam talium audaciam noui iuris subsidio cohibere, præsentiũ auctoritate statuimus, vt, si quis quacũque auctoritate ecclesiam, vel monasterium, aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessione cuiuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regressus, vel accessus, eidem dimittenti vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij vel aliis concedantur, vel pensiones soluantur, ex eisdem hæc confidentiæ censeatur. Itidem si ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum quouis modo vacans, ea conditione tacita, vel expressa, vt postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cuiuscunque contra iuris communis ordinationem disponatur, siue vt de eo prouisus, fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator aut cedens, vel alius per se vel alium scripto, aut verbo iusserit, seu significauerit, persoluat, & pariter si à patrono etiam laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri. Ad hæc si clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à solutione iurium ipsius Camerę, vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem, vel cessionem alicuius extranei, de ecclesia, monasterio, vel alio beneficio ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam, & admissam, illam

lam, vel illud etiam confectis literis Apostolicis, & possessione apprehensa, in eundem resignantem, vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti duorum, aut trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus ecclesiæ, seu monasterij, aut beneficij, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super illis reseruatum, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam vel illud ipsi clerico, vel Cardinali, aut alij exempto sit, fueritve concessus. Postremo si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit, quacunque auctoritate ecclesiam monasterium, vel aliud beneficium ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quouis horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta, casúsq; huiusmodi literis prædictis comprehẽdantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum. Ad probandum verò plene confidentiarũ abusum inter alias etiam hæ præsumptiones, & coniecturæ habeantur legitimæ. Videlicet, Si quis post cessam ab se ecclesiã, vel monasterium, aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamq; à successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius per se, vel alium, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicunque successor illi, vel eius propinquis ipsos, aut partem aliquam remiserit eorundem. Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit. Si vel sola procuratoris depositione vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint. Denique si quo pro concessione alicui facta, quacunque auctoritate de bene-

ficio ecclesiastico per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio non cessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocunque. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & coniecturas, pluresque huiusmodi præsumptiones, & coniecturæ plenam probationem faciant in prædictis. Cæterum criminosi, & cæteri omnes, qui ad perhibendum in casibus Simoniæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicij, in crimine perseueret, vtque hoc malum grauioris censuræ stimulo vsquequaque prohibeatur, omnes & singulos, qui hucusque ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasue res, intercedente hoc confidentiæ vitio, receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi, & resipiscentes clerici dimissione sibi prospexerint, & qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus, & singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis obtentis quæ pariter sub dicta reseruatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus, & aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curæ, & aliis officiis temporalibus præsentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam à Romano Pontifice, absolutionis beneficiū valeat obtinere. Nos enim aduocatione causarum huiusmodi, & reseruatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, nobis, & prædictis successoribus, vt prædictum est, facta causis illis duntaxat exceptis, quæ iam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam iis, quas ratione ecclesiarum, & monasteriorum,

rum, quorum dispositio in consistorio fieri consueuit, aut debet, itemque contra ordinarios collatores episcopos, & alios superiores prælatos, etiã Cardinales haberi contigerit, vti iam aliis nostris literis statutum est, audiendis, decidendis, & terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus ita deinceps quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & ipsorum cuicunque quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, interpretari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane quicquid secus in prædictis per quoscunque, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca omnibus locorum ordinariis districtius iniungimus, vt in suis quisque ecclesiis, Ciuitatibus, Diœcesibus, & locis etiam exemptis, ad prædicta studiose attendant, & quatenus illis relaxauimus, in delinquentes seuere animaduertant, si diuinæ maiestatis iudicium, dictæque sedis censuram voluerint euitare. In cæteris vero causis, & negotiis nobis, & prædictis successoribus exceptis, eosdem locorum ordinarios præsentium auctoritate delegamus, vt, gratia, & fauore postpositis, pro se quisque, cum venerit vsus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suoque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad prædictam sedem quam primum transferant, vt nos & prædicti successores in causis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit, decernamus. Nos enim singulis ordinariis ipsis, prædictos omnes, & quoscunque alios, etiam exemptos, etiam per editum publicum, constito prius summarie, & extraiudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi, & monendi, eisque, ac iudicibus ordinariis, & delegatis, aliisque personis quibuscumque, ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdemque, ac alios con-

tradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac omnia alia iuris, & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachij sæcularis, quandocunque opus erit, inuocand, cæteraque in prædictis omnibus, & singulis necessaria faciendi, & exequendi, plenam, & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus fœl. record. Bonifacij Papæ octaui prædecessoris nostri de vna, & in concilio generali edita de duabus diætis, aliisque apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, quodque episcopis, collatoribus, & prælatis prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibusuis aliis communiter, vel diuisim à prædicta sit sede indultū, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta huiusmodi ad iudicium trahi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta effectus præsentium, aut attributæ prædictis ordinariis iurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio impediri valeat quomodocunque, vel differri, & de quibus quorumcunque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscunque, Literis prædecessoris huiusmodi nihilominus in suo robore duraturis. Volumus autem, vt præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque notarij publici manu, & cuiuscunque curiæ ecclesiasticæ, eiusue prælati sigillo obsignatæ, eandem illam prorsus fidem in iudicio, & extra vbique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ priuationis, statuti, decreti, innodationis, iniunctionis, delegationis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare

tentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Kal. Iunij. Pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno à natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono, indictione duodecima, die vero Sabbati sexta Augusti, Pont. S. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno quarto, retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, dimissis in omnibus supradictis locis earundem retroscriptarum literarum copiis affixis per nos Iulium Parinum, & Io. Andream Panizzam prædicti S.D.N. Papæ Curs.

Christianus de Monte Mag. Curs.

Edictum Obseruandum ab assumendis ad maiores ordines.

Iacobus Miseratione diuina tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin S.R.E. presbyter Card. Sabellus S.D.N. Papæ Vic.

CVm alias omnibus, qui ad maiores ordines essent assumendi, vt per mensem ante ordinationem coram nobis sisterent, & se præsentarent, deque ipsorum natalibus, ætate, moribus, & vita legitima afferrent documenta, literasque susceptorum per eos ordinum, ac ordinariorum dimissoriales, titulumque beneficiorum, ad quæ promoueri intendebant, ostenderent, vt eos de aliis, quæ ad ordinum huiusmodi susceptionem necessaria sunt, moneremus, ac se ad ea, quæ ipsis per nos iniungebantur, præparare possent, iniunxerimus, iterum, & de nouo omnibus, & singulis ad maiores videlicet sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus ordines adscribi, & assumi in posterum

cupientibus ed cimus, vt per menſem ante ordinationem huiuſmodi faciendam coram nobis eum legitimis de eorum natalibus, ætate, moribus, & vita, documentis, literiſque ſuſceptorum per eos ordinum, ac ordinariorum, dimiſſorialibus, & beneficiorum, ad quorum titulum promoueri intendunt, bullis, & iuribus compareant, & comparere debeant, vt eos de aliis ad prænarratorum ordinum ſuſceptionem neceſſariis monere valeamus, ſeque ad per nos eis iniuncta præparare poſſint. Alioquin qui per menſem ante ordinationem non venerint, & noſtra neglexerint iuſſa, ad præfatos ordines nullatenus aſſumentur. Hi vero, qui proximis in temporibus de præſenti menſe Septembris promoueri voluerint, eos commonemus, vt diebus veneris, & ſabbati proximis ſextadecima, & decimaſeptima eiuſdem menſis ad nos cum eorum iuribus, & literis, ac documentis præſcriptis ad ſe examinandum veniant. Quod ſi neglexerint, & extra terminum ſe præſentauerint, ad ordinationem proximam prædictam non admittentur. In quorum fidem &c. Dat. Romæ &c. die 13. menſis Septembris 1569.

I. Carc. Sabellus Vic. Iauſtus Bona auena Not.

Mandatum exhibitionis quarumuis literarum patentium Cameralium à quibuſcunque præteritis S R E. Camerariis emanatarum, vnà cum ipſarum reuocatione, ob non paritione.

Frater Michael Bonellus S. Mariæ ſupra Minerua presbyter, Cardinalis Alexandrinus S. R. E. Camerarius.

RAtio nobis iniuncti Camerariatus officij recte adminiſtrandi videtur expoſcere, vt eos omnes, quorum miniſterium in eius muneris adminiſtratione indigere intelligimus, bene cognitos habeamus, vt eorũ opera, & fideliori, & tutiori vti poſſimꝰ. Et quamuis de omnibus hominibus generatim bene exiſtimemus, neminẽque vel vt minus idoneum, aut minus bonum reiicienḍum eſſe iudicemus, tamen valde pertinere arbitramur ad ea, quæ propria ſunt huius officij exequenda, ſi quibus miniſtris vſuri ſumus, eorum mores, virtutem, induſtriam, cæteraque omnia, quæ à non indiligenti Camerario requiri ſolẽt, ita explorata, certaque habeamus, vt de eorum opera nobis fideliter, & idonee nauanda, quantum fieri poteſt, ſecuri ſimus. Quamobrem, De mandato S. D. N. Papæ viuæ vocis oraculo ſuper hoc nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatus officij, tenore præſentium, omnibus & ſingulis in infraſcriptis, & quolibet ipſorũ ius, & intereſſe reſpectiue habentibus, & prætendentibus, ſub mille ducatorum Cameræ apoſtolicæ inferendorum, & in iuris ſubſidium ſub cenſuris eccleſiaſticis, aliiſque noſtri arbitrij pœnis præcipimus, & mãdamus, quatenus infra decem, qui in alma Vrbe, qui vero extra, infra quadraginta dies proximos, à die præſentium publicationis computandos, omnes & quaſcunque patentes literas Camerales à quibuſuis Camerariis prædeceſſoribus noſtris, & etiam per viã contractus oneroſi emanatas, deputationis theſaurariatuum, collectoriarum, & commiſſariatuum, tam gabellarum, vectigalium, datiorum, & aliorum onerũ pro tempore impoſitorum, quàm etiam ſuper viarum, pontium, tranſituum, paſſagiorum, aqueductuũ, murorum reparatione, Ciuitatum, caſtrorũ, & locorum, ſtatus eccleſiaſtici fabrica, & fortificatione, ac annonæ fraudibus, & aliis quibuſcunque, necnon conceſſionis quorumuis officiorum, indultorum, priuilegiorũ, facultatum, licentiarum, & gratiarum cuiuſcunque ſint generis per dictos prædeceſſores noſtros in quorumuis vniuerſitatis, collegiorum, capitulorum, congregationum, & aliarum perſonarum cuiuſuis ſtatus, ordinis, dignitatis, gradus, vel conditionis exiſtãt reſpectiue fauorem, tam in dicta Vrbe, quàm toto ſtatu eccleſiaſtico, & tam ad vitã, quàm ad beneplacitum, vel aliud forſan perpetuum tempus quomodolibet

factæ,

factæ, debeant, & eorum quilibet debeat apud acta nostri, & dictæ Cameræ Notarij infrascripti realiter, & cum effectu exhibuisse, & præsentasse. Alioquin præfatis terminis respectiue elapsis, & præmissis non adimpletis, non solum ad declarationem pœnarum, & censurarum præfatarum, illarum executionem contra omnes supradictos inobedientes procedemus, sed illos pro reuocatis, & amotis, dictisque deputationibus, & concessionibus priuatis, & destitutis ex nunc prout ex tunc haberi volumus, & mandamus, literasque patentes Camerales supradictas reuocamus, irritamus, cassamus, & annullamus, nulliusque amplius roboris, vel momenti, seu auctoritatis existere decernimus, statuimus, & declaramus. Vt autem præsentes literæ nostræ ad omnium notitiam deducãtur, & eos, quorum interest, vel interesse poterit omnino afficiãt, volumus etiam, & mandamus illas quoad Vrbem in Cameræ apostolicæ valuis, & acie Capi Florę, quo vero extra Vrbem earum copias etiam impressas in solitis locis publicis Prouinciarum, & Ciuitatum eiusdẽ status affigi, & per aliquod temporis spatium ibidẽ affixas detineri. In quorum fidem præsentes fieri, & per eũdem Notarium subscribi, sigillique nostri Camerariatus officij iussimus, & fecimus impressione communiri. Dat. Romę in Camera apostolica Die 24. Ianuarij milesimo quingentesimo sexagesimo nono. Pont. S. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno quarto.

Frater Michael Bonellus Card. Alexandrinus Camerarius.

Cæ. Capellus.

S. D. N. D. Pij Papæ V. Constitutio super forma creandi Census.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

CVm onus apostolicæ seruitutis obeũtes cognouerimus innumeros celebratos fuisse, & in dies cele-

celebrari censuum contractus, quine dum non continentur intra limites à nostris antecessoribus, eidem contractibus statutos, verum etiã, quod deterius est, contrariis omnino pactionibus propter ardentem auaritiæ stimulum, legum etiam diuinarum manifestũ contemptum præ se ferunt, non potuimus animarum, prout tenemur, saluti consulentes, ac piarum mentiũ petitionibus etiam satisfacientes, tam graui morbo, letiferoque veneno salutari antidoto non mederi. Hac igitur nostra constitutione statuimus, cẽsum seu annuũ reditum creari, constituiue nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifero, & quę nominatim certis finibus designata sit. Rursum nisi vere in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro, iustoque pretio. Solutiones quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus. Conuentiones directe, aut indirecte obligãtes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus, non teneantur, nullo modo valere volumus, Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper, & libere, ac sine solutione laudemij, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter viuos, quam in vltima voluntate alienari. Vbi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri, eique denunciari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensem expectari. Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria, seu expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem cẽsui subiectam, siue aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodẽ contractu, siue aliunde acquisitam perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, & nulla. Imo, & censum augeri, & nouum creari super eadem, vel alia re in fauorem eiusdem, aut perso-

næ

næ per eum suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus. Sicut etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eũ spectare, ad quem alias de iure, & ex natura contractus non spectarent. Postremo census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum, & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe, aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscunque verbis, aut clausulis concepta sint. Cum vero traditione pretij reditus extinguẽdus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei, cui pretium dandum erit, & post denuntiam, intra annum tamen, etiam ab inuito pretium repeti posse, & vbi pretium, nec volens intra bimestre soluat, nec ab inuito intra annum exiguatur, volumus nihilominus quandocunque reditum extingui posse præuia tamen semper denuntia, de qua supra, & non obstantibus iis, de quibus supra, idque obseruari mandamus etiam quod pluries, ac pluries denunciarum fuisset, nec vnquam effectus secutus fuisset. Pacta etiam continentia pretium census extra casum prędictum, ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse omnino prohibemus. Contractusque sub alia forma post hac celebrandos fœneratitios iudicamus, Et ita illis propterea non obstantibus quicquid vel expresse, vel tacite contra hęc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à Fisco volumus posse vendicari. Hãc autem salutiferam sanctionem nedum in censu nouiter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo, & in omnibus seruari volumus. Declarantes pretium semel censui constituti nunquam posse ob temporum, aut contrahentiũ qualitatem, seu aliud accidens, nec quo ad vltimo contrahentes minui, vel augeri. Et licet legem ipsam ad contractus iam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma peruenerunt census, hortamur in domino, vt singulos contractus censuræ bonorum religiosorum subiic ant, & animarum saluti consulant. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, statutis, & consuetudinibus, necnon priuilegiis, & literis etiam per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, necnon irritantibus decretis, ex quauis causa, etiam per modum legis vniuersalis, aut alias quomodo libet editis, siue in fauorem Vniuersitatum, Communitatum, Collegiorum, Congregationum, Ciuitatum & locorum concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, quatenus directe, vel indirecte præsenti nostræ constitutioni in toto, vel in parte contrarientur, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentes in Cãcellaria, & in acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribãtur. Et, quia difficile foret præsentes ad singula queq; loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadẽ prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, annullationis, statuti, mandati, iudicij, hortationis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis

nis Dominicæ 1569. quarto decimo Kal. Februari, Pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à natiuitate Domini 1569. indictione duodecima die verò vigesima nona mensis Ianuarij, Pont. sanct. in Christo Patris, D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius quarto retroscriptæ literæ apostolicæ, affixæ & publicatæ fuerunt Romæ in locis retroscriptis, videlicet ad valuas basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Florę per nos Camillum Cherubinum & Christianum de Monte, prælibati S. D. N. Papæ Cursores.

Ioannes Guerardus Magister Cursorum.

Lectæ, & publicatæ fuerunt retroscriptæ literæ Romæ in Cancellaria apostolica, anno incarnationis Dominicæ 1569. die vero Sabbati vigesima nona mensis Ianuarij, Pontificatus sanctissi. D.N.D. Pij Papæ quinti anno quarto.

A. Lomellinus Custos.

Sanctiss. D.N.D. Pij Papæ V. Reductio Montis Iulij ad decem cum dimidio pro centenario.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Ad pastoralis officij curam nobis licet immeritis diuina prouidentia demandatam, in primis pertinere censemus, vt charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum Regi Christianissimo aduersus eius rebelles, & hæreticos, in tantis tãque periculosis tumultibus in Regno suo excitatis, quibus possumus modis, ac rationibus auxilium feramus, licet magnum pecuniarum numerum antea in eius subsidium miserimus, tamen nunc etiam copias militares pro vrgenti rei necessitate in Galliam in eiusdem Regis, Regnique defensionem mittere de cer-

cernimus. Verum, cum ad stipendia militibus ipsis persoluenda non exiguo auri, argentiue põdere opus sit, & ab impositionibus onerum subditis nostris faciendis, quantum possibile fuerit, abstinere decreueri mus, videamusque omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reditus aut alienatos, aut pignotatos esse, ita vt erariũ nostrum apostolicum penitus attritum sit, & exhaustum, cogimur maximæ huic necessitati leuiori quo fieri potest remedio aliquam opem afferre. Itaque cum fel. re. Iulius Papa III. prędecessor noster vnum Montem vacabilem, Iulium nuncupatum de Scutis Ducentis millibus in alma Vrbe nostra erexerit, & Montistis montis huiusmodi fructus super introitibus Dohanarum eiusdem Vrbis ad rationem duodecim pro centenario assignauerit, & omnia loca per obitum Montistarum huiusmodi exinde pro tempore vacantia extinxerit, prout in literis ipsius Iulij prędecessoris sub plumbo de anno 1550. desuper confectis, & eius motu proprio eodem anno expedito plenius continetur, Cumque Cameræ Apostolicæ ministri, qui pro tempore deinceps fuerunt circa Montis præfati extinctionem nullam vel saltem modicam curam habuerint, ita vt in literis, & motu proprio dicti Iulij contenta nequaquam obseruata fuisse, quinimo loca, quæ ex tunc de cætero vacauerunt pignorata fuisse reperiantur, Nos superioribus diebus considerantes minori, quo fieri potest, dictorum Montistarum incommodo, ac detrimento, & honesta quoque ratione aliquod subsidium vrgentissimis præsentibus ærarij nostri necessitatibus afferre, Dilecto filio nostro Michaeli Card. Alexandrino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, ac secundum carnem Pronepoti nostro dedimus in mandatis, vt per edictum publicum Montistis præfatis notum faceret, statuisse nos fructus dicti montis Iulij de Vrbe vacabilis eis, vt præfertur, assignatos de duodecim ad decem cum dimidio pro centenario quolibet anno reducere, quodque si qui eorundem Montistarum nollet sic reductis huius

t

modi fructibus in ipso monte remanere, scuta centum pro quolibet loco dicti Montis eis restituerentur, & propterea in Bancho dilecti filij Bartholomæi Bonamici collegij Montistarum huiusmodi depositarij pecuniæ ad hunc effectum deponerentur, deinde edictum hoc publicari, & per Vrbem affigi, pecuniarumque depositum per ministros nostros fieri iussimus. Volentes igitur reductionem huiusmodi sub debitum, & totalem effectum prout necessitas postulat, quam primum habere, & executioni per nos designatæ realiter, & omnino demandari, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione habitis, & de Apostolicæ potestatis plenitudine fructus, & reditus quoscunque omnium locorum dicti Montis Iulij, qui hodie vacabiles reperiuntur, de duodecim ad rationem decem cum dimidio pro vno quoque loco Scurorum centum quolibet anno (saluis tamen firmis, & inuiolatis in cæteris, remanentibus, & in suo robore persistentibus dicti Iulij prædecessoris literis, & motu proprio præfatis, quibus per nos in nullo aliter præiudicatum, innouatum, seu alteratum, aut immutatum existere, sed in illis contenta quæcunque prout sus intacta, & illibata, permanere, prout hactenus etiam in posterum perpetuo obseruari debere declaramus) Auctoritate Apostolica, per præsentes reducimus atque reductos nunc, & in perpetuum fore, & esse, & reductionem huiusmodi ab omnibus, quos illa concernit, inconcusse, & inuiolabiliter seruari. Sicque per quoscunque iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam Præsidentes, & Cameræ Apostolicæ Clericos, aceius Camerarium, & alios S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, interpretandi, & diffiniendi facultate, & auctoritate, iudicari, interpretari, & decidi debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Mandantes propterea dicto Michaeli Cardinali Camerario, & dilecto Bartholo-

Bartholomæo Thesaurario generali nostro, modernis, & pro tempore existentibus, vt deinceps loca Montis Iulij huiusmodi vacabilia, quæ posthac vacauerunt nullatenus pignorare, seu vendere debeant, nec audeant, neque etiam possint, sine especiali rescripto manu nostra propria signato. Volumus autem, quòd omnia loca, quæ occasione reductionis huiusmodi supererunt, cum effectu tradantur, & consignentur dicto Bartholomæo Bonamico, pro eo seu illo vel illis, qui ab ipso nominatus, seu nominati fuerint, ita vt pro quolibet lõco centum scuta monetæ in manibus personæ per nos ad hoc deputandæ soluere debeat, & teneatur. Patentes verò Concessionum eorundem locorum per ipsum Michaelem Cardinalem Camerarium subscribi, & dictorum locorum distributionem ab eo in dies, & non aliter fieri mandamus, ipsique super his plenam, & liberam facultatem concedimus. Non obstantibus dicti Iulij prædecessoris literis, & motu proprio huiusmodi, ac regula nostra de non tollendo iure quæsito, & quibusuis aliis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, nec non quibusuis indultis, & literis Apostolicis Montis Iulij præfato, & illius Montistis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis & insolitis clausulis, & etiam irritan. & aliis decretis, etiam quod fructus eiusdem Montis ad minorem summam reduci nullo modo possint, & alias quomolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua mentio seu quæuis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & totaliter de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, totaliterque deroga-

tum esse volumus,& decernimus, cæterisque contrariis quibuscunque. Et cum aliis clausulis necessariis, & opportunis,& præsentis sola signatura sufficiat,seu si videbitur, literæ sub plumbo, seu in forma breuis desuper expediri possint.

Placet Motu proprio, & ita reducimus.M.

Die septima Martij.1569. Suprascripta cedula motus proprij registrata, fuit in Camera Apostolica de mandato illustris.& Reuerendiss.D.mei Cardinalis Camerarij suprascripti libro primo signaturarum Sanctiss.D.N.Pij Papæ V.fol.8.

Cæ.Cappellus.

Sanctiss.D.N.D.Pij Papæ V. Reductio Montis Nouennalis ad septem pro centenario, cum eiusdem extensione, & ampliatione.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Cum alias fe.rec.Paulus Papa IIII. Montem Nouennalem nuncupatum summę scutorum centum octuaginta septem millium de iuliis decem pro scuto ad rationem octo pro centenario non vacabilem, & elapso primo anno quandocunque sibi, seu successoribus suis, & Agentibus Cameræ apostolicæ videbitur, facta intimatione per mensem ante personis, de quorum interesse tractabitur, & restitutis (eodem mense trãsacto) personis ipsis pecuniis, quas in eodem Monte habuerint vna cum emolumentis eis debitis extinguibilem, de venerabilium fratrum suorum S.R.E.Cardinalium consilio,& assensu ac nouennium tantum erexerit, & pro fructibus dicti Montis scuta quatuordecim millia noningenta sexaginta annuatim ex scutis triginta millibus annuis subsidij partis fructuum congregationum regularium Italiæ,ac residuum dictorum scutorum triginta millium pro extinctione dicti Montis assignauerit, & infra dictum Nouennium extingui debere, nec vlterius reuiuiscere, aut propagari posse declarauerit,pro vt in literis sub dat.Romæ anno incarnationis Dominicæ 1555. dec. Calendas Nouembris, Pontificatus sui anno primo latius continetur. Et successiue etiam fe.re.Pius Pap.4.prædecessor noster de eorundem Cardinalium consilio, & consensu residuum subsidij præfati pro extinctione dicti Montis Nouennalis destinatum Monti Pio recuperationum nuncupato per ipsum erecto assignauit,& ordinauit, quod occurente pro tempore locorum dicti Montis recuperationum vacatione, per obitum, aut alias,præterquam per resignationem,quicquid pecuniarum ex illorum sic vacantium locorum venditione prouenerit, in totidem locorum eiusdem Montis Nouennalis primo,& deinde certorum aliorum Montium redemptionem vna cum fructibus ex eodem Monte Nouennali,ac aliis Montibus redemptis prouenientibus, & non in alios vsus conuerterentur. Voluitque quod cum primum omnium aliorum Montium loca redempta fuerint,loca dicti Montis Pij recuperationum vacantia per ipsum aut Romanos Pontifices pro tempore existentes aliis concedi non possint. Sed tam illa illorum vacationibus occurentibus, quam loca redempta huiusmodi eorum redemptione facta,vt præmittitur,eo ipso extinguerentur,& expirarent,prout in aliis eiusdem Pij literis sub dat.anno incarnationis Dominicæ 1562. pridie Nonas Iulij, Pontificatus sui anno 3. continetur. Et successiue erectis per eundẽ Piũ prędecessorẽ nostrũ tam primo quã secundo succursus Auinionem, nuncupatis Montibus loca per obitum post certum tũc expressum tempus, aut alias, præterquam per resignationem vacantia similiter in extinctionem dicti Nouennalis Montis conuerti mandauerit, prout in suis sub dat.xv.Kalendas Septembris anno 4. Et pridie Nonas Nouembris anno quinto respectiue expeditis literis continetur, Quarum vigore ad redemptionem scutorum trium millium dicti Montis Nouennalis vsque nunc processum extitit. Et quia pro deffensione Catholicæ fidei Christianæ notabilẽ pecuniarũ summã charissimo in

Christo filio nostro Carolo Francorum Regi Christianissimo ab armis hæreticorum oppresso transmisimus, ac etiam transmittere paterna charitate coacti sumus, & modum non habentes, dictas pecunias ex reditibus Cameræ nostræ apostolicæ extrahere, viamque faciliorem, aut meliorem quam infrascriptã non inuenientes, licet nos ipsi possemus omnia dicti Montis Nouennalis loca redimere, & deinde eadem cum participatione fructuum ad rationem septem pro centenario vendere, & assignare, attento maxime, quòd hodie plerique alij Montes non vacabiles vltra septẽ pro centenario non respondent, & quod propter pecuniarũ in hac ciuitate cõfluentium abũdantiã emptores plures ad rationẽ septẽ pro centenario inuenirentur, & quod attẽta facultate redimẽdi nulli iniuria fit nec damnũ. Nihilominus volentes modernos dicti Montis Mõtistas fauorabiliter prosequi, ac dictarũ literarum tenores etiam veriores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, habito per dilectum filium Bartholomæum Bossottum thesaurarium nostrum generalem cum dicti Collegio officialibus longo tractatu, secumque super infra dicendis verbo, seu in scriptis concordato. Nos eorundem officialium erga sedem Apostolicam beneuolentiam, promptumq; in illius notoriis necessitatibus animum succurrendi plurimum in Domino collaudantes, Decreuimus, prout auctoritate apostolica, & de plenitudine potestatis decernimus, & de eorundem etiam Montistarum, vt præfertur, consensu, fructus Montis Nouennalis huiusmodi ad rationem octo pro centenario, & anno, vt præmittitur, assignatos, ad rationem septem pro centenario, & anno reducere, Montemque præfatum nunc summæ scutorum centum octoginta quatuor millium existentem vsque ad summam scutorum ducentorum quatuor millium centum quadraginta extendere, & ampliare, prout fructus huiusmodi reducimus,

mus, ac Montem præfatum extendimus, & ampliamus, dictaque scuta quatuordecim mille noningenta sexaginta, seu verius quatuordecim mille ducenta octoginta nouem, & bai. 90. nunc integra remanentia annuatim præfato Monti sic extenso, & ampliato pro illius fructibus annuis ad rationem septem pro centenario, & anno à Kal. præsentibus mensis Ianuarij incohando pro centenario eisdem hypothecis, & obligationibus Cameræ Apostolicæ, & illius bonorum in genere, & in specie, & auctoritatibus, facultatibus, priuilegiis, exemptionibus, & immunitatibus prorsus, & omnino potiantur, & gaudeant, prout prius Montistæ huiusmodi habebant, potiebantur, & gaudebant. Ita quod omnia, & singula in fauorem, & securitatem Montistarum præfatorum vsque nunc per Sedem, & Cameram Apostolicam concessa, etiam in vim præsentium concessa censeantur, etiam perinde ac si ab initio Mons huiusmodi ad rationem septem pro centenario, & pro summa scutorum ducentorum quatuor millium centum quadraginta erectus fuisset. Ita quod nulla prorsus differentia per præsentes nostras quoad nos sedem, & Cameram apostolicam intelligatur esse in præmissis, nisi dumtaxat ratione, & respectu perceptionis fructuum de octo ad septem pro centenario reductorum. Vt autem dilecti filij Collegium Montistarum præfatorum, ex sua erga nos prompta voluntate, & hilari animo, super præmissis consensu præstito aliquem fructum reportent, concedimus, & indulgemus, vt ex quinque Iuliis, qui ante hac pro admissione ad vnumquemque dicti Montis locum ad Cameræ commodum percipi solebant, duo cum dimidio tantum pro Camera per dilectum filium Tullium Festum de Aspra laicum Sabinensem, quem sicut accepimus, prædictus Thesaurarius noster generalis, vigore facultatis sibi desuper attributæ in præfati Montis Nouennalis Secretarium constituit, & deputauit, quasq; constitutionem, & deputationẽ illarũ tenorẽ præsentibus pro expressis habentes harũ serie

confirmamus,& approbamus,Illasque ad hoc vt ideni Tullius, eiusdem Montis quandiu durauerit Secretarius, permaneat, extendimus, & ampliamus percipiantur, reliqui vero duo cum dimidio ad dicti Collegij commodum,quo facilius præmium eorum congregationibus interessentibus præstare valeant, seu pro aliis ipsius Collegij commoditatibus conuertantur,& persoluantur, eosdem Montistas, qui loca ex huiusmodi reductione facta super excrescentia emere voluerint, exponendo scuta centum monetæ in tanto auro pro quolibet loco iuxta distributionem inter ipsos per modernos dicti Collegij defensores factam,seu faciendam,aliis omnibus extraneis, etiam plus offerentibus præferantur, ita vt etiam pro hac prima vice nil ex dictis quinque iuliis pro expeditione literarum patentium (salua tamen semper mercede,& prouisione solita dicti Secretarij) persoluere teneantur. Mandantes dilecto filio nostro Fratri Michaeli tituli Sanctæ Mariæ supra Mineruam presbytero Cardinali Camerario Cameræ Apostolicæ præsidentibus clericis quatenus præsentes, & etiam literas desuper expediendas admittant,ac in libris Camerę describi, ac quascunque patentes literas expedire, præmissaque omnia, & singula semper obseruari, ac Montistis tam præsentibus quam futuris assistere, & de dictis emolumentis ad rationem septem pro centenario responderi faciant, ac pro eorundem fructuum solutione, ac præmissorum obseruatione, ad cautelam etiam denuo absque hypothecarum,& obligationum in fauorem dicti Montis factarum præiudicio,& nouatione,subsidium dictarum congregationum in genere, & in specie,ita tamen, quòd per speciem generi non derogetur, nec è contra, & ita quod nulla quoad nos, & Cameram apostolicam quoad cautelas, & obligationes dictæ Cameræ, erga dictos Montistas censeatur facta nouatio,sed iura iuribus, & cautelas cautelis addędo obligent, prout & nos etiam si aliqua Cameræ apostolicæ obligatio non succedat, ex

ex nunc obligamus, & hypothecamus, ac subsidium dictarum congregationum iuxta formam literarum fe.re.prædicti Pij Papæ quarti,tam in erectione Montis recuperationum, quam primi, & secundi Auinionen. donec mons huiusmodi durauerit, & extinctus fuerit,prorogamus, dictasque congregationes, ad illud omnino dictis Montistis soluendi monte huiusmodi durante teneri,& obligatos esse volumus, & eorum obligationem de triennio in triennium (vt moris est) Depositario dicti Montis per ipsos Montistas ad eorum nutum ponendo, & amouendo ante finem cuiuslibet triennij fiendam promittimus,& ad hæc omnia nos,successores nostros,& dictas congregation.de supremæ plenitudine potestatis obligamus. Dicto vero Thesaurario nostro generali, vt pecunias ex huiusmodi reductione,& extensione respectiue redigendas à personis loca extensa, & ampliata ementibus recipiendi, & solitas patentes literas in earundem personarum fauorem pro locis emendis expediendi,ipsasq; pecunias postmodum ad venerabilem fratrem Carolum Caiacen. nostrum, & sedis apostolicæ apud chatissimum in Christo filium Carolum Francorum Regem Nuncium ad effectum dicto Regi persoluen. & subuenien. transmittat, nec tamen propterea Montistas ipsos vllo vnquam tempore ad transmissionem huiusmodi probandum teneri, & obligatos esse, ac fructus in sortem computari non posse, sed libere illos, tam veteres, quam nouos Montistas ad dictam rationem septem pro centenario libere percipere posse decernimus, ac nouorum locorum iuxta reductionem,& extensionem, ac ampliationem huiusmodi per dictum Thesaurarium nostrum faciendas venditiones, ac si à nobismet, & in consistorio nostro secreto, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio factæ fuissent ex nunc motu simili, ac ex certa nostra scientia approbamus, & confirmamus, ac omnes, & singulos etiam dictorum Montistarum consensus forsan non rite receptos, ab omni-

bus, vel maiori parte præstiti, ac alios quoscunque iuris, & facti, ac solennitatum, quarumcunque quomodolibet omissarum, defectus, si qui forsan in præmissis interuenerint, supplentes, & præmissa omnia vim validi efficacis contractus, inter nos, & Cameram prædictam, ex vna, & veteres, ac nouos montistas prędictos, inter quos nullam penitus differentiam esse volumus, sed omnes ad inuicem in omnibus, & per omnia adæquamus, initi, & stipulati habere, & valere, ac efficacia existere, sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices &c. etiam S. R. E. Cardinales Palatij Apostolici Auditores iudicari &c. sublata &c. ac irritum &c. si secus &c. decernimus, & declaramus, Non obstantibus omnibus, quæ in singulis dictorum prædecessorum nostrorum literis prædecessores prædicti voluerunt non obstare, quæ hic sigillatim pro repetitis habeantur, quibuscunque specialiter, & expresse derogamus, necnon aliis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd per præmissa contenta in bulla Montis recuperationum prædicti, ac primi & secundi Auinionen. quo ad futuram extinctionem dicti Montis, sic per nos reducti, & respectiue extensi nullum censeatur in futurum factum præiudicium. Quodque mons huiusmodi scutorum 204140. semper & quandocunque post triennium à Kal. Ianuarij incohandum tam ex dicti Montis recuperation. quam aliis quibuscunque Cameræ apostolicæ pecuniis restituto pretio prædicto in totum vel in partem per Cameram apostolicam redimi, & extingui possit, & debeat facta intimatione per mensem ante, etiam prout antea licitum erat. Et quod præsentium, quas ac si consistorialiter expeditæ fuissent, valere, ac publici etiam contractus initi internos, & sedē prædictā, ac Montistas vim, & robur obtinere, & habere decernimus, sola signatura etiam absque resignatura sufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio, & extra, quacunque regula non obstante,

Et

Et nihilominus etiam sub plumbo per secretariam nostram etiam cum insertione tenorum dictarum literarum apostolicarum, seu illarum narratiua, & cum amplissima derogatione, ac aliis clausulis necessariis, & opportunis latissime, & amplissime extendendis etiam super vnoquoque præmissorum, etiam separatim expediri possint in forma gratiosa.

Placet Motu proprio. M.

Datum Romæ apud sanctum Petrum quarto Idus Ianuarij anno tertio. Die decima Ianuarij millesimo quingentesimo sexagesimo nono, admissa fuit retroscripta Motus proprij cedula in Camera apostolica ex eiusdem Cameræ decreto, & registrata apud me infrascriptum libro diuersorum dicti anni foliis 14.

Cæ. Capellus Cameræ Apostolicæ Notarius.

Sanctiss. D. N. Pij Papæ V. Præceptum de Iudæorum extermination̄e ex omni dominio temporali S. R. E. & subditorum, præter Romam, & Anconam.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

HEbræorum gens sola quondam à domino electa quæ diuinis eloquiis infusa cælestium mysteriorum particeps esset, quantum ceteris omnibus gratia, & dignitate excelluit, tantum postea incredulitatis suæ merito contempta, & neglecta in præceps meruit deturbari: quod aduenientē temporis plenitudine perfida, & ingrata suum redemptorem indigna morte peremptum impie reprobarit. Amisso namque sacerdotio, legis auctoritate adempta, propriis diuiecta sedibus, quas tanquam lac, & mel fluentes clementissimus, & benignissimus Deus iam inde à prima ipsis gentis origine illi præparauerat, terrarum orbem tot iam sæculis pererrans, inuisa, probris, contumeliisque omnibus obiecta, fœdas, & infames quasque artes, quibus famem tolerare posset, haud secus quam viliss

Iissima mancipia cogitur attrectare. Sed Christiana pietas hunc ineluctabilem casum imprimis commiserans, illam humanius satis apud se passa est diuersari, vt scilicet crebro illius intuitu passionis Dominicæ memoria fidelium oculis frequentius obuersetur, simulq; ea exéplis, doctrina, monitis, ad cõuersionem, & salutem (quæ reliquiis Israel, Prophetæ oraculo futura est) amplius inuitetur: à qua, si Christianorum sedibus exposa, ad eas gentes, quæ Christum non norũt diuerteret, magis magisq; aliena redderetur. Verũtamẽ illorũ impietas pessimis omnibus artibus instructa, vsq; eo processit, vt iam pro cõmuni nostrorum salute expediat tanti morbi vim celeri remedio prohibere. Nam, vt tam multa vsurarũ onera omittamus, quibus Hebræi egentium Christianorum substantiã vsquequaque exinaniuerunt, perspicuum satis putamus eos furum, & latronum receptores, atque participes, qui quasque res ab iis surreptas, & interuersas non modo profanas, sed etiam diuino cultui seruientes ne internoscantur, aut ad tempus supprimere, aut alio transferre, aut omnino transformare conantur: plerique etiam specie tractandæ rei proprio exercicio conuenientis honestarum mulierum domos ambientes multas turpissimis lenociniis præcipitant, quodq; omnium pernicio sissimum est, sortilegiis, incantationibus magicisque superstitionibus, & maleficiis dediti, quam plurimos incautos, atque infirmos Sathanæ præstigiis inducunt, qui credant euentura prænunciari, furta, thesauros, res abditas reuelari, multaque præterea cognosci posse, quorum ne inuestigandi quidem facultas vlli omnino mortalium est permissa. Postremo cognitum satis, & exploratum habemus, quã indigne Christi nomen hęc peruersa progenies ferat, quam infesta omnibus sit, qui hoc nomine censentur: quibus denique dolis illorum vitæ insidietur. His, aliisque grauissimis rebus adducti, & augescentium quotidie ad Ciuitatum nostrarum perniciem scelerũ grauitate permoti, cogitantes præterea supradictam gen-

gentem præter mediocres ex oriente commeatus nulli Reipublicæ nostræ vsui esse, nostris vero populis, qui præsertim à nobis aliquanto remotiores sunt, conducibilius fore illius nomen, flagitia, miserias aliunde ad se relatas audire, quam vllo charitatis stimulo eam in suo deinceps sinu vt ante hac confouere: Auctoritate præsentium præcipimus, vt omnes, & singuli vtriusque sexus Hebræi in omni ditione nostra temporali, & sub ea consistentium Ciuitatum, Terrarum, & locorum Domicellorum, Baronum, aliorumque dominorum temporalium, etiam merum & mistum imperium, ac vitæ, necisque potestatem, & quãcunque aliam iurisdictionem, atque exemptionem habentium, de ipsius omnino finibus intra trium mẽsium spatium, postquam præsentes literę his fuerint publicatæ, omnino excedant. Quibus præteritis quicunque siue incolæ, siue peregini, siue præsentes, siue futuri in quacũque dictæ ditionis ciuitate, Terra, vel loco, etiam Domicellorum, Baronum, Dominorum, & aliorum exemptorum prædictorum quandocunque inuenti fuerint, rebus omnibus spolientur, & fisci iuribus applicentur, mancipia Romanæ Ecclesiæ fiant, & in perpetuam seruitutem asserantur, dictaque ecclesia illud idem ius in eos, quod cæteri domini in seruos, & mancipia, sibi debeat vendicare: Vrbe Roma, & Ancona dumtaxat exceptis, vbi eos solos Hebræos, qui nunc eas habitant, ad prædictam memoriã amplius excitandam, persequendasque cum orientalibus negotiationes, mutuosque commeatus cum eisdem permittimus tollerandos: cum eo tamen, vt nostras, & prædecessorum nostrorum, aliasque canonicas de eis constitutiones studeant obseruare. Sin minus in pœnas omnes quæ dictis constitutionibus continentur, quasque ad hoc innouamus, eo ipso incidant. Futurum enim speramus eos, qui præsertim nostro, & huius Sedis conspectui proximi sunt, noxæ metu à maleficiis temperaturos, & interdum aliquos (vt antehac nostro quoque hortatu satis multis contigit

tigit) lumen veritatis cum gaudio agnituros. Sed neutri ad alteros, nec in aliū dictæ ditionis locum vllo tempore demigrent, nec proficiscantur, neque quempiam ex proscriptis ad se recipiant, si seruitutis iugū & supplicia voluerint euitare. Iubemus igitur omnium prouinciarum, Ciuitatum, & locorum dictæ ditionis Legatos, Gubernatores, Præsidentes, Prætores, & Magistratus, ac etiam locorum Ordinarios, necnon Domicellos, Barones, dominos, & exemptos supradictos, ac quoscunque alios ad quos id pertinet, vt quisque pro se, nulla alia à nobis expectata iussione, aut mentis declaratione omnia prædicta quamprimum exequātur, & caueant diligenter ne vlli posthac Hebræi ad ipsas prouincias, ciuitates, & loca etiam domicellorū, baronum, & aliorum prædictorum ex quacunque causa amplius accedant. Quicunque verò etiam de iis, qui Romæ, & Anconæ nunc sunt, excurso trimestri proximo inuenti in quacunque dictæ ditionis parte, etiam quæ dominij temporalis eorundem domicellorum, baronum, dominorum, & exemptorum sit, statim ecclesiæ prædictæ mancipati in seruitutem perpetuam coniiciantur, quorum etiā ceruicibus grauiores pœnas impendere significamus, vt cæteri eorū exemplo discant quanti fuerit hanc nostram prohibitionem temere neglexisse. Nō obstantibus prædictis, ac constitutionibus, & ordinationibus, apostolicis legibus communibus, & municipalibus prouinciarū, ciuitatum, & locorum prædictorum, necnon Camerę apostolicæ, iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, & conuentionibus cum Hebræorum prædictorum vniuersitate etiam sub fide publica pactis, priuilegiis quoque, indultis, exemptionibus, & literis apostolicis illis omnibus, ac etiam prædictis, domicellis, baronibus, & dominis, ipsorumque ciuitatibus, Terris, locis, & populis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex

ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine ac alias quomodocunque, & sub quibuscunque tenoribus, & formis, & ex quibusuis causis, etiam onerosis, ac cum restitutionibus, præseruationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisq; fortioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis in genere, & in specie quotiescunque concessis, confirmatis, & sæpius iteratis vicibus innouatis. Quæ omnia, & singula etiam si de eis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserrentur præsentibus pro expressis habentes, quatenus prædicta impedire, vel differre, aut alias illis obesse possent, harum serie de simili potestatis plenitudine specialiter, & expresse reuocamus, & abolemus, viribusque & effectu prorsus carere, ac quicquid secus per quoscunque scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & innane decernimus, cæteris quę contrariis quibuscunq;. Volumus autē, vt prę sentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscumque curiæ ecclesiasticæ, aut Prælati sigillo obsignata eandem illam prorsus fidem vbique locorum facient quā ipsæ præsentes facerent, si essēt exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis, præcepti, innouationis, iussionis, significationis, reuocationis, abolitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autē hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, quarto Kal. Martij. Pont. nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno

Anno à Natiuitate Domini 1569. indictione duodecima, die vero Sabbati vigesima sexta mensis Februarij. Pontificatus sanctiss. in Christo Patris, D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius quarto præsentes, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Horæ, vt moris est, per nos Bartholomæum Sottocasa, & Ioannem Andream Rogerium Apostolicos Cursores.

Christianus de Monte Magister Curs.

S. D. N. D. Pij Papæ V. Constitutio contra offendentes statum, res, & personas officij Inquisitionis Hæreticæ prauitatis.

PIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

SI de protegendis cæteris omnibus ecclesiæ ministris, quos in fidem, & clientelam nostram à domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet, quanto maiore studio ea nos solicitudinem capessere necesse est, vt qui in sacro Inquisitionis Hæreticæ prauitatis officio versantur, sub tutela inuiolatæ auctoritatis huius sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei catholicæ exequantur. Cum itaque eius generis impiorum vis quotidie magis inualescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subuertere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eo iam nos detrusit necessitas, vt nefariam, & scelestam illorum audaciã acerbiore castigationis verbere reprimamus. Hac igitur generali constitutione de fratrum nostrorum consilio sancimus, vt quicunque siue priuatus, siue cuncta Ciuitas, siue populus, siue dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illustris, quemuis ex Inquisitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, aliisue ministris prædicti officij vel Episcoporum id munus in sua diœ-

diœcesi, aut in prouincia obeuntiũ, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem in causa fidei quomodocunque productum, vel euocatum occiderit, verberauerit, deiecerit, seu perterrefecerit, quiue ecclesias, ædes, aliasue res siue publicas, siue priuatas officij ministrorum expugnauerit, inuaserit, incenderit, expiluerit, aut libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliaue instrumenta siue publica, siue priuata vbicunque posita cõbusserit, diripuerit, seu interuerterit, seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocunque modo illã exportauerit, seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione etiam inermis, siue capiendi, siue comburendi, siue supprimendi causa fuerit, siue res, aut personas seruari, defendiue prohibuerit, quiue carcerem, aut aliam custodiam, seu publicam, seu priuatam effregerit vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumue eripuerit, receperit occulauerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu iusserit id fieri, qui cœtum, concursumue fecerit, siue vt aliquid prædictorum fieret homines accommodauerit, siue alias auxilium, consilium, aut fauorem publice, vel occulte in quolibet prædictorum scienter prestiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptumue, nullum denique damnum re ipsa sit secutum nihilominus is sit anathemate præsentis canonis auctoritate ligatus, idem quoque legis maiestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocunque alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipso priuatus, sæcularis Iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ dãnatis primo capite dictæ legis p constitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebusque omnibus fisci iuribus applicatis, vti etiam est de damnatis hæreticis per sanctiones canonicas constitutum, eius filij paterna infamia subiecti, omnis, & cuiuscunque hæreditatis, successionis, donationis, & legati siue propinquo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum, siue extraneorum omnino sint expertes, eisdem
præterea portæ nunquam pateant dignitatum. Nemo
autem expurgationem habere, aut causam vllam pro
ponere, vel prætendere possit, quin tantum nefas in
contemptum, & odium huius officij admiserit, nisi
contrarium per claras probationes docuerit se fecis-
se. Quod porro de prædictis, eorumque filiis statui-
mus, illud idem de omnibus clericis, & presbyteris
sæcularibus, & quorumuis ordinum, etiam exempto-
rum regularibus, & quacunque etiam Episcopali, &
maiori dignitate præditis, ac etiam priuilegio quo-
modocunque suffultis, decernimus exequendum, ita
vt ipsi beneficiis, & officiis omnibus ecclesiasticis præ-
sentium auctoritate priuati per Iudicem ecclesiasti-
cum Hæreticorum more degradentur, demum po-
testati sæculari traditi, pœnis prædictis laicorum ins-
tar subiiciantur, Pontificum tamen causis nobis, &
successoribus nostris reseruatis, vt re quęsita, & nobis
renũciata, contra eos ad depositionem, & alias pœnas
prædictas procedamus, vt criminis atrocitas videbi-
tur postulare. Quicunque autem pro talibus veniam
petere, aut alias intercedere tentauerint, in easdem il-
las pœnas, quæ in Hęreticorum fautores à sacris con-
stitutionibus inferuntur, ipso facto, se nouerit incidis-
se. Verum, si quis etiam huiusmodi criminum cons-
cius vel affinis, siue religionis studio, siue pœnitentia
ductus, rem ad huc incognitam retexerit, supplicio li-
beretur. Cæterum eam omnium, & quarumcunque
absolutionum rationem à prædictis criminibus, nec-
non habilitationum, & restitutionum etiam ad fa-
mam, & honores, ita deinceps habendam optamus, vt
successores nostri nullas nisi saltem semestri post
cuiusque assumptionem ad huius dignitatis fastigiũ
excurso, ac precibus apud supremum officium Inqui-
sitionis hic institutum verificatis, concedant. Decer-
nentes omnes, & quascunque huiusmodi absolutio-
nes, habilitationes, & restitutiones, quæ precibus sic
non verificatis de cætero fient nemini prorsus pro-
desse

desse, sed nec præsentibus nisi toto ipsarum tenore ad
verbum inserto, & gratia ex certa Romani Pontificis
scientia facta, & propria manu subsignata, vlla in par-
te derogari, nec derogatum censeri debere, & si illis
ex quacumque causa aliter derogari contigerit, de-
rogationes huiusmodi nullius prorsus fore roboris,
& momenti. Iubemus igitur vniuersos & singulos Pa
triarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, &
cæteros ecclesiarum prælatos per vniuersum orbem
constitutos, vt per se, vel alium, seu alios præsentes li
teras, aut earum exempla in suis quisque Prouinciis,
ciuitatibus, diœcesibus, & locis solemniter publicare,
& quantũ in se est, firmiter obseruari procurent, con-
tradictores quoscũque per censuras, & pœnas eccle-
siasticas appellatione postposita, compescendo, ipsas-
que censuras, & pœnas etiam iteratis vicibus aggra-
uando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio
brachij sæcularis. Non obstantibus constitutionibus,
& ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis
quibuscunque. Volumus autem vt præsentium exem
pla etiam impressa edantur, eaque Notarij publici
manu, & cuiuscunque curiæ ecclesiasticæ, vel prælati
sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem vbi-
que locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent,
si essent exhibitæ vel ostensæ. Cæterum omnes orbis
terrarum Principes quibus gladij sæcularis potestas
ad malorum vindictam est permissa, per eam, quam se
tueri promiserunt, fidem obtestamur, ita suas quis-
que partes siue in præstando ministris prædictis au-
xilio, siue in criminum post ecclesiæ sententiam ani-
maduersione interponere, vt eorum quoque præsi-
diis ministri ipsi tanti officij munus pro Dei æterni
gloria, & religionis incremento feliciter exequantur,
amplissimum à Domino præmium recepturi, quod
fidei prædictæ assertoribus in æternæ beatitudinis
consortio præparauit. Nulli ergo omnino hominum
liceat hanc paginam nostræ sanctionis, legationis,
statuti, decreti, iussionis, obtestationis, & voluntatis

infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1569. Kalen. Aprilis, Pont. nostri anno quarto.

Ego Pius V. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

†Ego F. Card. Pisanus Episc. Ostien.
†Ego Io. Car. Moronus Eps Portuē.
†Ego Christo. Card. Madruc. Eps præ.
†Otho Card. Cruchses Eps Albanen.
†Ego A. Card. farnesi. Eps Tusc. Vic.
†Io. B. cicada Eps Sab. Card. S. Clement.
†Ego Iulius Card. Vrbinus.
†Ego Fuluius Card. Perusin.
†Io. Cardinalis Politianus.
†Scipio Cardinalis Pisarum.
†Ego Ia. Cardinalis Sabellus.
†Aloysius Card. Cornelius.
†Ego Phi. Card. à Burdesia.
†Ego Ant. Card. Grauelanus.
†Ego F. Cardinalis Paciecco.

†Ego Hieronym. Card. de Corrigio.
†Ego Io. Franciscus Car. de Gambara.
†Ego Nico. Card. Sermoneta.
†Ego Ind. de Aualos Card. Aragonia.
†Ego Marcus Ant. Card. Columna.
†Ego Ptolomæus Card. Comensis.
†Ego P. Car. de Sancta cruce.
†Ego Z. Cardin. Delphi.
†Ego Hug. Car. S. Sixti.

†Ego Alexan. Car. Cribellus.

†Ego

†Ego Guid. Card. Vercellus.
†Ego Guiliermus Car. Sirletus.
†Ego F. M. Car. Alex. Came.
†Ego Hierony. Card. de Clarauelle.
†Ego Ludo. Cardinalis Madruc.
†Ego Innoc. Card. de Monte.
†Ego Hiero. Card. Simoncellus.

†Ego Ferd. Cardi. de Medicis.
†Ego F. Card. Alciatus.
†Io. Paulus Cardina. ab Ecclesia.
†A. Cardin. Carafa.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Indictione duodecima, die vero secunda mensis Maij, Pontificatus sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno quarto reperscriptæ literæ Apostolicæ, lectæ & affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicę principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Flore, vt est moris dimissis in locis præfatis præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde amotis per nos Iulium Parinum, & Ioannem Bornotum prælibati sanctiss. D. N. Papæ Cursores. Ant. Clerici Mag. Curso.

Sanctiss. D. N. D. Pij Papæ V. Institutio Officij Scriptorum, & Procuratorum Literarum minoris gratiæ in Cancellaria Apost.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN earum rerum commutatione quam magnis suadentibus causis facere compellimur, hoc quoque à nobis sedulo curandum est, vt ille ministrorum numerus, qui nouo ordine compositus vno in loco vsui esse desiit, in alium magis conuenientem commodis

rationibus elocetur. Cum igitur in generali reformatione officij nostri Pœnitentiariæ, & quam nuper edidimus, inter alia multa, duo officia Correctorum, itemque functiones, & exercitia omnium, & singulorum Scriptorum, qui vigintiseptem, & Procuratorum literarum dictæ Pœnitentiariæ, qui viginti quatuor sunt, in prædicto Pœnitentiariæ officio de apostolicæ potestatis plenitudine extinxerimus, & abolverimus, ac eorundem Scriptorum, & Procuratorum qui tunc literarum Pœnitentiariæ erant, rationem aliorsum habituri, eos omnes ab ipso Pœnitentiariæ officio subduxerimus, quemadmodum literis nostris desuper confectis plenius continetur. Nos dictis officiis Scriptorum, & procuratorum, eorumque collegiis nouum statum inducere, & quantum in nobis est, singulorum, ea obtinentium indemnitati consulere volentes de simili potestatis plenitudine omnia, & singula officia, & loca Scriptorum, & Procuratorum prædictorum, ipsorumque personas, & collegia (nouo nomine, & titulo vtriusque indito, ac libera cõcessione, & omnimoda alia dispositione octo officiorũ huiusmodi Procuratorum maiori Pœnitentiario eodem quo antea iure perpetuo remanente) ad Cancellariam apostolicam transferimus, & cum ea perpetuo coniungimus, ita vt quondam Scriptores literarum Pœnitentiariæ, de hinc Scriptores literarum apostolicarum minoris gratiæ, alteri verò Procuratores literarum earundem minoris gratiæ appellentur, & inscribantur. Quibus concedimus, & assignamus mensam, seu bancum vtriusque commune, in eadem Cancellaria, post milites sanctorum Petri, & Pauli, aut alio ibi loco à dilecto filio nostro S. R. E. Vicecancellario constituendo, ad quod literæ omnes hoc de hinc officio literarum minoris gratiæ expediendæ, in primis deferantur. Statuentes, vt materiæ, quæ in dicto Pœnitentiariæ officio proximis ante dictam reformationem temporibus communiter habebantur, & ex ordinatione nostra in summam redactæ sunt, deinceps per nostram, ac

ac Romani Pontificis pro tempore existentis, deputatorumue signaturam fiant. Harum omnium libellos supplices, & item literarum super eis conficiendarum schedulas, siue minutas, soli Procuratores ad dictæ Cancellariæ stylum conscribant. Conscriptas minutas Abbreuiatores literarum apostolicarum de maiori præsidentia in primis examinent, & corrigant. Correctas soli Scriptores huiusmodi literarum minoris gratiæ describant, vt inde literæ ipsæ ad Cancellariam prædictam, & Defensores, aliosque Præsidentes in banco prædicto deferantur, ibique secundum regulam ad ritum dicti officij Pœnitentiariæ moderandam taxentur. Mox ab Abbreuiatoribus prædictis, instar aliarum in eadem Cancellaria recognitæ, & ad supplicationem collatæ, ad Bullariam mittantur, subiectoque plumbo protinus à Sigillatore prædicti officij Pœnitentiariæ capiantur, qui taxa ad præscriptum nostrum recepta, eas per descriptores ad id assumendos iuxta nostras super hoc ordinationes regestrari, & regestratas ad exemplum, vt in aliis moris est, conferre, denique singulis literis prædictis omnem impensam per verbum Exposuit, vti literis officij Pœnitentiariæ prædictæ moris erat, subscribere, idque etiam regesto prædicto adnotare procuret. Percipiendorum autem à quoque fructuum, & emolumentorum suorum ea ratio esse debeat, vt, finito mense, in primis salaria eorum omnium, qui ad mensam prædictam defensores, & alio officij munere ex Scriptoribus, & Procuratoribus literarum minoris gratiæ huiusmodi constituantur, & soluantur, demum Procuratores, & Scriptores suam quisque portionem viritim pro sua collegia, vt antea distribuendam, capiant. Regens vero dictæ Cancellariæ, & Abbreuiatores prædicti pro laboribus illud idem de singulis expeditionibus, quod olim prædicti duo Correctores, & stipendium, & emolumentum libere, vt licite percipiant. Cætera item salaria, & emolumenta in plumbo, & vtroque regesto, videlicet supplicationum,

& literarum prædictarum,& alibi necessaria,iuxta ordinationes nostras prædictas capiantur. De taxa vero à dicto Sigillatore capienda,stipendia Regentis, Datarij, Correctoris, Theologi, Doctoris, Procuratorum, Scriptorum, Sigillatoris, cæterorumque ministrorum officij Pœnitentiariæ, item impensæ omnes etiam pro charta,atramento,cera,capsula,cordulis,& alias quomodocunque ad expeditionem literarum dictæ Pœnitentiariæ necessariæ, quas gratis vbique fieri, & concedi iam præcepimus, ante omnia deluantur,& singulis persoluantur,quod vero his omnibus omino deductis,& persolutis reliquum erit, maioris Pœnitentiarij prædicti esse debeat. Ad hæc quoque prædictus Sigillator curam habeat prædictas supplicationes è manu Datarij recipiendi, & per alios ad id ordinandos describendi, in regestum ab altero distinctum referendi, & vtrumque fideliter custodiendi. Cæterum nullæ omnino supplicationes super huiusmodi materiis signandæ inter Abbreuiatores prædictos distribuantur,neque cuipiam relinquantur, neque super iis sumpta, aliaue exempla ex regestis describantur,etiam postquam literæ apostolicæ super illis expeditæ, & partibus eas prosequentibus redditæ fuerint,sed supplicationes ipsæ apud regestum prædictum sub cura dicti Sigillatoris, qui pariter ipsi regesto præfectus sit, fideliter custodiantur. Præcipimus igitur,atque interdicimus Abbreuiatoribus, Scriptoribus,Procuratoribus, cæterisque prædictis tam coniunctim quam diuisim, ne quid vel minimum etiam sponte oblatum à partibus, siue pro expeditionis maturatione,siue alio extraordinario labore capiant, aut à famulis aliisue personis capere permittant, sed suis quisque taxis,& stipendiis vti constituta sunt, contenti esse debeant. Quicunque secus fecerint, præter illas censuras,& pœnas, quæ in talia perpetrantes impositæ sunt,suorum officiorum priuationem incurrant, & ad futura inhabiles, ac etiam infames censeantur vti nos illos priuatos, inhabiles, & infames declaramus eo ipso.

ipso. Et nihilominus mandamus prædictis Vicecancellario,& Abbreuiatoribus, necnon Rescribendario, & Scriptoribus apostolicis, cæterisque, ad quos pertinet tam coniunctim quam diuisim, vt Scriptores,& Procuratores prædictos, eorumque singulos sic cum vniuerso corpore prædicto coniunctos fraterna charitate prosequantur, & ad huiusmodi officia, & ipsorum liberum exercitium, necnon honores, onera, & emolumenta omnia recipiant, & admittant, ac faciant prædicta omnia, & singula inuiolabiliter obseruari. Non permittentes quenquam contra præsentium tenorem quomodolibet impediri. Rursus eisdem Scriptoribus, & Procuratoribus sic cooptatis,& adscriptis, vt prædicto Vicecancellario tanquam capiti aliorum dictæ Cameræ collegiorum instar, obediant,& obsequantur. Non obstantibus de certo Scriptorum literarum apostolicarum numero, & aliis eorum,ac dictæ Cancellariæ statutis,stylo, institutione, consuetudinibus, stabilimentis, & reformationibus quantocunque tempore obseruatis, ac etiam iuramento,confirmatione apostolica,vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ translationis, coniunctionis, concessionis,assignationis,statuti, præcepti, interdicti, declarationis, mandati,& derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit,indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum,anno incarnationis Dominicæ 1569. Quarto decimo Kal. Iunij. Pont.nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Sanctiß. D. N. D. Pij Papæ V. Reuocatio omnium Facultatum Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

TEmpus, & necessitas, & instituti nostri ratio postulat, vt in multis curiæ nostræ rebus nouam deinceps formam proponamus: cura vero hac nos impensius solicitamur in primis incumbere ad ea, quæ salutem, & periculum respiciunt animarum. Quare ab officio nostro Pœnitentiariæ initium capere, nouamque illi pro futuris facultatem statuere volentes, De apostolicæ potestatis plenitudine omnem, & quamcunque officij prædicti, & maioris Pœnitentiarij nostri auctoritatē, iurisdictionem, & potestatem ordinariam, & delegatam, ac omnia & quæcunque priuilegia, facultates, & indulta, illis cæterisque omnibus dictæ Pœnitentiariæ collegiis, & personis, ab ipsius officij institutione per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem apostolicam, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque prædictæ potestatis plenitudine, tam in genere, quam in specie, ac de mandato speciali, & expresso, etiam viuæ vocis oraculo emisso, & ex quibuscunque causis concessa, confirmata, & etiam nouissime à fe.re. Pio Papa quarto prædecessore nostro reformata, restricta, & moderata, quibuscumque cōcepta formulis, ac etiam restitutiuis, præseruatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, & efficacioribus, etiam vim contractus inducentibus clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis suffulta, quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quæcunque sint (potestate minorum Pœnitentiariorum nostrorum, & ordinationibus de illis, eorumque statu etiam nouissime editis, saluis, & integris remanentibus) tenore præsentium reuocamus, supprimimus, & abolemus, literasque omnes desuper confectas, & inde statuta quæcunque cassamus, & annullamus, ac volumus illa omnia, etiam quoad datas hucusque captas, vires, & effectū de cætero nō habere. Præcipimus quo

quoque, & interdicimus prædictis maiori Pœnitentiario, collegis, & personis, ne deinceps vllis vtantur, neue illorum prætextu, aut alias quomodocunque quicquam etiam incœptum audeāt expedire, sed qui ibi delecti fuerint noua duntaxat, quam à nobis recipient, facultate, deinceps in perpetuum vtātur. Quod si secus fecerint, aut quicquam præter, vel contra nouam huiusmodi facultatem nostram, etiam prætextu antiquarum sic extinctarum facultatum, ac priuilegiorum, & indultorum, aut alias quomodocunque expedire contenderint, eos, & eorum singulos ipso facto officiis omnibus priuamus, & ad alia quæcunque inhabiles decernimus, præterea excommunicationis sententia innodamus. Decernentes etiam irritum, & inane, quicquid secus per eosdem, aut alios quoscunque, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Cæterum iubemus præsentes in ipso Pœnitentiariæ officio, ac consuetis Romanæ Curiæ, & Vrbis locis publicari, & exempla de more applicari. Volentes, & dicta auctoritate statuentes, illas sic publicatas, omnes, & singulos æque obligare, ac si illis ipsis singulatim notificatæ fuissent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, suppressionis, abolitionis, cassationis, annullatiōis, voluntatis, præcepti, interdicti, priuationis, innodationis, decreti, iussionis, & statuti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nono. Kal. Maij. Pont. nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Sanctiss. D. N. D. Pij Papæ V. Præfatio de vniuersali reformatione Romanæ Curiæ, & Ordinatio noui status sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ.

PIVS

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

IN omnibus rebus humanis nihil tam perfecte instituitur, nihil vllis legibus, sanctionibusque tam diligenter muniri potest, quin id lubrica, & præceps, malorumque omnium effectrix cupiditas nouis quotidie artibus peruertere, atque corrumpere moliatur. Quocirca omnes ad huius præcelsæ dignitatis fastigium euecti perpetua quadam necessitate coguntur nusquã oculos a commisso sibi grege auertere, sed continenter vigiles circumferre, vt quandocunque vsus poscit, nouis modo legibus ferendis, modo veteribus corrigendis, vel ad vsum reuocandis, ea quæ paulatim deprauata sunt, in melius reformentur. Quod quidem nos iam inde ab ipso Pontificatus nostri principio & libenter fecimus, & quantũ in nobis est, illud idẽ statutum vrgere, & persequi, annuente Deo, conamur: neque quicquam nobis est vel præclarius, vel optabilius, quam vt collapsos à vetere disciplina mores ad pristinam suã integritatem denuo erectos, & in agro Domini à prauarum consuetudinum sentibus omnia diligenter perpurgata videamus. Sed ne, dum ea, quæ ad communem totius corporis salutem pertinent, tã topere procurantur, quisquam nos accuset, quod eam partem, quæ nobis proxima est, negligamus, neque illius vlceribus necessarium salutis remedium applicemus, diuino auxilio freti, curiæ nostræ vniuersæ reformationem iamdudum oculis nostris obuersantem aggredi decreuimus: pro qua & si antehac nonnulli præcessores nostri multa sancte, & salutariter ordinarunt, hominum tamen fragilitate non ita multo post aut neglecta, aut corrupta sunt, aliis, atque aliis aliena suo sibi officio vsurpantibus, & dictæ curiæ expeditiones inuicem confundentibus, quarum singulis sagax illa vetustas proprium, & distinctum, pro cuiusque diuersitate, & materiæ genere officium, tanto studio assignauit. Vnde nos operepretium fore arbitra-

bitrati, illud in primis conari, vt quod cuique ordini, quod cuique officio congruit, ad illud idem reuocetur, demum sapienter prouidere, & prouidenter statuere per quos viros, quibusque modis curiæ prædictæ negotia pro rerum, temporum, & locorũ qualitate deinceps dirigantur. At quia cæteris omnibus illa anteponere necesse est, ex quibus pendere dignoscitur periculum animarum, Nos huiusce reformationis exordium à Pœnitentiariæ nostræ officio capere instituimus, eiusque rei causa omnem illius auctoritatem ordinariam, & delegatam, omniaque priuilegia, facultates, & indultã ideo duximus reuocanda, vt habita de ministrorum qualitate, numero, functionibus, & officiis ratione explicita, nouam futuris formã de integro præscribere valeamus, qua ipsum Pœnitentiariæ officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis officiis magis conueniunt, exoneratum, atque expeditum, dehinc ea, quæ animarum salutem præcipue concernunt, attentiore studio prosequatur.

Primum igitur omnium de huiusmodi officio, ministris, & functionibus rationem prodere volẽtes, De apostolicę potestatis plenitudine omnia, & singula loca, seu officia Referendariorũ, Correctorũ, & Reuisoris, necnõ functiones, & exercitia Scriptorũ, qui vigintiseptẽ, & Procuratorũ, qui vigintiquatuor sunt, quorumq; Procuratorũ octo officia ad dispositionẽ pro tẽpore existentis maioris Pœnitẽtiarij pertinere noscũtur, in eodem Pœnitentiariæ officio perpetuo supprimimus, & abolemus, eorumque Scriptorum, & Procuratorum rationem aliorsum habituri, illos omnes iam nunc ab ipso Pœnitentiariæ officio amouemus: Ac dictum officiũ dehinc maiore Pœnitentiario, Regente, Datario, vno Correctore, vno Magistro in Theologia, vno Doctore in Decretis, duobus Procuratoribus, duobus Scriptoribus, & vno Sigillatore (quos pro futuris rebus, & negotiis illius satis esse duximus) perpetuo constare volumus, horumque omnium

nium officiorum in ipso Pœnitentiariæ officio constitutorum venditionem, aut quauis aliam ad voluntatem tacitam, vel expressam ea dimittentium dispositionem, expresse prohibemus, sed illa omnia probis, & peritis gratis omnino, & sine aliqua dimittentium, aut aliorum quorumcunque acceptione concedantur, quod si secus factũ fuerit, quæcunq; cõcessiones de illis pro tempore factę, nullius sint roboris, vel momẽti.

Præterea statuimus & ordinamus, vt deinceps in perpetuum maior Pœnitentiarius officium suum per se ipsum exerceat, quare sit presbyter, magister in Theologia, seu Decretorũ Doctor, &, si causa legitima à Romano Põtifice admissa, absens, seu impeditus fuerit, vnum alium ex S. R. E. Cardinalibus prædictis qualitatibus insignitum sibi pro pœnitentiario surroget, qui interim hoc munus etiam per se ipsum prosequatur, literasque non Pœnitentiarij delegantis, sed suo proprio nomine iubeat expediri.

Similiter Regens, Datarius, Magister in theologia, & decretorum Doctor viri eximia doctrina præstantes, casuumque conscientiæ periti. Item Corrector, in decretis, stylo, cæterisque Pœnitentiarię rebus diligenter versatus, & instructus. Ac etiam Sigillator, probatæ vitę, & vti id munus postulat, omnium officij expeditionum peritus. Qui omnes maioris Pœnitentiarij cura, & solicitudine delecti, & à Romano Põtifice cõfirmati, ad suum quisque officium admittantur. Procuratores quoque, & Scriptores prædicti vita, moribusque integris ornati, ad suum quisque officiũ exercendum idonei.

Adhæc omnes prædicti officij ministri, etiam Procuratores, & Scriptores sint presbyteri, vel certe in aliquo ex sacris ordinibus constituti, huiusmodi arcanorum continentissimi, quorum etiam iuramento de fidelitate præstãdo adscribatur, quod nec occultos casus huiusmodi, nec personas vnquam cuiquam extra officium reuelabunt, qui secus fecerint, non leuius quam presbyteri peccatorum confessiones prodere audentes, puniantur.

Procuratoriæ autem, & Scriptoriæ officia ita demũ à maiore Pœnitentiario illis concedantur, qui prius à Regente, & Correctore super vita, moribus, ætate, scientia, & aliis qualitatibus requisitis diligenter, ac propositis edictis, & mora sex dierum precedente per concursum examinati, & idonei comprobati fuerint, alioquin omnes concessiones, etiam si à Romano Põtifice ex aliqua causa pro tempore factæ fuerint, pro irritis habeantur.

Omnes verò supradicti officia sua per se ipsos cum diligenter, tum etiam fideliter exerceant, solique presentes, & actu exercentes, nisi legitime impediti, fructus, & emolumenta percipiant quorum singulis certum, statutumq; aliunde stipendiũ cuique conueniens assignare intendimus, quo solò contenti esse debeant, nihilq; aliud etiam spõte oblatum, à partibus, aut aliàs siue pro expeditionis celeritate, siue pro alio extraordinario labore, tam procurando, quam scribẽdo, aut recognoscendo, & examinãdo, capere possint: Qui cumque secus fecerint, officio suo huiusmodi priuati, excommunicationis quoque sententia innodati eo ipso censeantur, cuius absolutionis beneficium ab alio quàm Romano Pontifice (excepto mortis articulo) nequeant obtinere.

Vt autem negotia vniuersa, qua decet puritate, & diligentia dirigantur, prædictus Regens petitiones, casusque omnes ad prædictum officium deductos in primis examinet diligenter, quæque perspicua, & secundum communem in eodem officio cursum absq; difficultate expediri consueuerunt, eadem expediri iubeat, nihilque omnino vel ordinarium, aut clarũ nisi prius ab ipso recognitum, & probatum, Procuratores expedire incipiãt: Dubia vero, vel obscura, vel difficultate obstructa, Regens ipse ad maiorem Pœnitẽtiarium referat, vt diligentius examinentur, demum in eius signaturą proposita, cum maturò omnium iudicio decidantur.

Cæte

Cæterum materiæ omnes siue conficiendæ, siue scribendæ inter Procuratores, & Scriptores cura Sigillatoris æqualiter diuidantur.

Sed vt literæ prædictæ stylo suo conscriptæ, sanæ, & incorruptæ emittantur, Corrector prædictus, antequam ille scribantur, schedulas siue minutas earum à prædictis Procuratoribus conficiendas, cum supplicatione expedita diligenter recognoscat, examinet, & corrigat: vt inde literæ ipsæ mundæ, & integræ, rasuris que prorsus carentes expediantur. Itemque super omnibus materiis tam ordinariis, quam extraordinariis supplicationes, vbi illis opus erit in totum expediri debeant, prius quam ad expeditionem literarum super illis quoquo pacto procedatur.

Denique Sigillator prædictus literas omnes easdem recognoscat, vt manus requisitæ illis appositæ sint, & eorum datæ cum libello supplicationis concordet, deinde ipsas sigillo Pœnitentiariæ obsignet, obsignatas, & in totum gratis vbique expeditas, tunc demum eas procurantibus resignet.

Illud autem sancte, & inuiolate apud officium prædictum volumus obseruari, vt nihil prorsus pro literarum confectione, & expeditione, nec alias, etiam pro charta, atramento, cera, capsula, cordulis, aliisque rebus ad ipsam expeditionem pertinentibus exoluantur, rationem aliunde habituri, vnde hæc omnia, simulq; ministrorũ omniũ stipendia debeãt comparari.

Sed ne quid rerũ dictæ Pœnitentiariæ lapsu tẽporis pereat, neglectu mucidiaceat: Sigillator ipse omnia exemplaria, literas, scripturas, & instrumenta quorumcunque priuilegiorum, facultatum, concessionum, prohibitionum, reformationum, & cæterorum omnium dictum officium Pœnitentiariæ in vniuersum, & priuatim concernentium, fideliter, ac cum periculo suo asseruet: deque his omnibus authenticum inuentarium, ac regestum conficiat, cui quidquid postea additũ, statutum, concessum, vel veritũ erit, illud totum qualecunque quamprimum adscribatur, & de

deinceps hæc omnia in futurorum Sigillatorum fidem cum eisdem conditionibus, & periculis deponantur.

Ad retinendam veto in dicto officio puritatem, & confirmandam singulorum fidem, districte præcipimus, vt iuramenta, quæ in admissione officialium requiruntur, ad præsentem nostram reformationem accommodata, quotannis in manibus dicti maioris Pœnitentiarij debeant iterari.

Monemus insuper omnes, & singulos supradictos, vt caueant diligenter, ne in officiorum suorum exercitio fraus vel dolus quoquo pacto admittatur, vel captio inducatur, neue ipsi partibus quidquam dolose, & fraudulenter suggerant, quo facilius optata, impetrare possint, sed solum petitiones iustas, rationabiles, & honestas recipiant, & proponant. Quod si dolum, vel fraudem fecisse, aut quidquam vel minimũ pro labore, aut alias quoquo modo accepisse conuicti fuerint, præter illas censuras, & pœnas quæ contra talia admittentes quomodocunq; propositę sunt, in pœnam priuationis officiorum suorum incurrant, & ad futura inhabiles, infamesque reputentur, prout nos illos priuatos, inhabiles, & infames declaram⁹ eo ipso.

Decernentes ex nunc irritum, & inane, quicquid secus super prædictis, aut eorum aliquo à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus nostra de non tollendo iure quæsito, & aliis apostolicis constitutionibus, ac de certo officiorum prædictorum numero etiam pluries à Romanis Pontificibus reducto, necnon officij Pœnitentiariæ huiusmodi iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vetere stylo, & consuetudinibus quantocunque tempore obseruatis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Depulsa igitur omnis auaritię fœditate, pro se quisque piam, castamque mentem ad impositum sibi munus pro Dei æterni gloria, & Christifidelium saluto

acriter intendat: & pro virili parte conetur, vt cuncta prospera, & hoc tanto officio digna succedant: sedesque apostolica pro bene gestis condignæ laudis præconio in singulis Christiani orbis partibus plenius celebretur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, abolitionis, amortionis, prohibitionis, statuti, ordinationis, intentionis præcepti, monitionis, decreti, declarationis, & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romę apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quintodecimo Cal. Iunij. Pont. nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Exemptiones ab exactionibus Datijs, Gabellis, Pedagijs, Vectigalibus &c. Vtriusque sexus Religiosis personis Ordinum mendicantium, concessæ per Sanctissimum in Christo P. & D.N.D. Pium diuina prouidentia P P V.

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

CVm ad vberes, quos sacri mendicantium ordines in agro Dominico quotidie faciunt fructus, attente respicimus, & attente cõsiderationis indagine perscrutamur, ipsorum religionis sinceritatẽ, & voluntariæ paupertatis habitum, in quibus sub humilitatis spiritu, deuotum Altissimo præstant famulatum, dignum, quin potius debitum reputamus, vt illis ea libenter concedamus, per quæ semotis quibuslibet grauaminibus, promptiores eiusdem altissimi inhæreant seruitiis. Hinc est, quòd nos volentes eosdem mendicantium ordines, & dilectos filios eorum fratres, & monachos, cæteraſque personas, ac etiam Moniales quaslibet eiusdem ordinis sub illorum cura degentes specialibus fauoribus, & gratiis prosequi, Motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicę potestatis plenitudine, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, Omnes & singuli mendicantium ordinum huiusmodi fratres, Monachi, & dilectæ filiæ in Christo moniales, seu sorores, ac aliæ vtriusque sexus personæ regulares vbilibet per totũ Christianũ orbem diffusi, & constituti, illorumq; monasteria, cœnobia, domus conuentus, Ecclesię, Capellę, Oratoria, & alia loca etiam vnita, ac membra, & dependentia, necnon terrę cultę, & incultæ, possessiones, prædia, agri, & alia omnia, & singula mobilia, & immobilia, ac se mouentia, & vbilibet, ac in quibuscunque rebus consistentia bona, necnon eorum in dictis bonis laboratores, Coloni, Arrendatarij, Locatarij, & Affictuarij, negotiorumque suorum gestores vniuersi, quomodolibet nuncupati, nũc, & pro tempore existentes, in perpetuum ab omnibus, & singulis exactionibus tam vrbanis, quam rusticis, necnon datiis, gabellis pedagiis, vectigalibus, collectis impositionibus, & oneribus ordinariis, & extraordinariis, ac tam realibus quam personalibus meris, & mixtis, etiam subsidio, triennali, & augmento, ac focularibus, equorum taxa, militumque hospitiis, ac alias quibuscunque nomini bus nuncupatis quauis auctoritate quomodolibet impositis, & imponendis, & quæ laicis, ac aliis quibuslibet quomodolibet imponi consueuerunt, & in futurum imponentur, ac ratione quarumcunque mercium, & rerum cuiuscunque generis, vel qualitatis existant, tam per mare, & aquam dulcem, quam per terram vndecunque, & quomodocunque pro tempore delatarum, necnon animalium quorumcunque mortuorũ, & viuorum, & quæ alias quomodolibet, & ex quauis causa, ac super quibuscunque rebus tam in alma vrbe nostra, quam extra eam vbilibet locorum exiguntur, & in futurum exigentur, necnon à contributionibus, & solutionibus in illis faciendis, ac tam pro vsu, & vestitu, quam quocunque alio vsu tantum, ac tam

emendo quã vendẽdo, & alias quomodolibet negociando, necnon etiam à solutione quadrantis pro singulis libris carnium de animalibus, quæ nunc, & pro tempore ex armentis occidi contigerit, necnõ etiam quæ in suis ædibus, prediis, & possessionibus priuatim detinent, & nutriunt: ac à contributione sumptuum, & expensarum, quæ aliquando pro pontibus, viis, aquæductibus, muris, mœnibus, aliisue machinis strudendis, & reparandis, seu reficiendis, ac ciuitatum, terrarum, & locorum quorumcunque fortificationibus necnon etiam alias in omnibus, & per omnia, ac tam in dicta vrbe, quam extra eam vbilibet, penitus, & omnino liberi, immunes, & exempti, ac liberę, & exemptæ, liberaque immunia, & exempta sint, & esse censeãtur, ac pro talibus teneantur, & reputentur. Quodque terę, agri, possessiones, & loca aratiua, vt prefertur in illis, quæ aliquando pro pascuis animalium ad certum tempus reseruantur nulla tenus vnquam comprehendantur, nec comprehendi cẽseantur, ac etiam monasteria, cœnobia, aliaque omnia regularia loca predicta, pro quorumcunque militũ, tam equitum, quam peditum hospitiis, quemadmodum magno cum nostro dolore hucusque in plerisque locis factum comperimus, nequaquã assignentur, nec assignari debeãt. Et insuper, quod fructus, reditus, prouentus, introitus, & alia quæcunque bona monasteriorum, cœnobiorũ, & aliorum locorum regularium prefatorum ab aliis, quàm à Syndicis, & procuratoribus religiosis fratribus, monachis, & monialibus, aliisque personis prædictis exigi illamque duntaxat in beneficium loci, vel sustentationem ipsorum religiosorũ fratrum, & monialium expendi, nec per alios quoscunque quouis nomine censeantur, nec in alium quam præmissum vsum conuerti, seu expendi possint, neque debeant, nisi de concẽsu superiorum illius loci, cui data, vel consignata, aut donata fuerint, seu ad quem alias spectabunt, nec etiam soli tutores, aut curatores, seu protectores, & alio nomine Sancte sij, aut alias nuncupati, de

de eisdem bonis vllo modo disponere possint, Quodque idipsum etiam de eleemosynis, oblationibus, & quibuscunque aliis donatiuis intelligi, & obseruari debeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo statuimus, ordinamus, volumus, & declaramus, necnon fratres, monachos, moniales, ac alias regulares personas eorumque monasteria, cœnobia, cõuentus, ecclesias, capellas, oratoria, & alia loca, ac terras, & possessiones, prædia, agros, & bona, necnon laboratores, colonos, arrendatarios, loçatarios, affectuarios, ac gestores, prædicta, vt præfertur libera, immunia, & exempta eisdem auctoritate, & tenore facimus, ac fore, & esse decernimus, Mandantes propterea dilectis filiis modernis, & pro tẽpore existentibus cameræ Apostolicæ camerario, præsidentibus, & clericis, ac commissariis agentibus, & officialibus quibuscunque, vt omnibus, & singulis tam virorum, quam mulierum monasteriis Mendicantium ordinum huiusmodi existentibus sub ditione nostra temporali mediate, vel immediate constituris, tantum sal, quantum pro eorum vsu suffecerit, singulis annis, omni dilatione cessante, & contradictione remota, contribuere, & assignare, ac contribui, & assignari facere debeant realiter, & cum effectu, districtius etiam in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostrę, ac excommunicationis maioris latæ sententiæ, ac duorum millium Ducatorum auri de Camera pro vna Basilicæ Sancti Petri de Vrbe, & pro altera medietatibus singulis monasteriis, & locis præfatis, quæ molestari, seu perturbari contigerit, irremissibiliter applicandorum pœnis, eo ipso, & quoties contrafactum fuerit incurrendis, inhibentes tam illis, quam dilectis filiis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, datiorum, gabellarum, onerum, & aliorum præmissorum exactoribus, Conductoribus, & Appaltatoribus, necnon quibusuis Communitatibus, & vniuersitatibus, illarumque officialibus, & personis aliisq; quibuscunq; ad quos spectat, & quomo-

dolibet ſpectabit in futurum, quatenus præmiſſa omnia,& ſingula inuiolabiliter, & perpetuo obſeruent,ac ab omnibus obſeruari faciant, neque fratres, monachos, moniales, & alias religioſas perſonas alioſque ſupradictos ſuper præmiſſis quomodolibet moleſtent,& perturbent,neque permittant per quoſcunque quomodolibet moleſtari, ſeu perturbari, Et ſi quis contradicere,aut quouiſmodo contrauenire præſumpſerit per mandatum executiuum contra ipſum cuiuſcunque dignitatis ſtatus,ordinis,vel præeminentiæ fuerit,ipſo facto procedi. Et ſic per quoſcunque iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungen. ſublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,iudicari,& definiri debere,ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis Archiepiſcopis,& Epiſcopis,ſiue eorum Vicariis in ſpiritualibus generalibus, necnon dilectis filiis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori,ac Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis,Decanis, Archidiaconis, Canonicis,& capitulis, ac aliis quarumcunque Eccleſiarum Prælatis,& perſonis vbilibet,& in quibuſcunque regionibus,terris, & locis,exiſtentibus, ac aliis, ad quos quomodolibet ſpectat, & ſpectabit per præſentes Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, & eorum quilibet per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit,ac quoties pro parte fratrum Monachorum,Monialium, aliarumque religioſarum perſonarum præfatorum fuerint requiſiti, ſolēniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra illos,& eorum ſingulos ſtatuto,ordinatione, voluntate, declaratione, conſtitutione, deputatione, mandato, inhibitione,decreto, aliiſque præmiſſis pacifice frui,& gaudere, non permittentes eos deſuper per Camerarium,Præſidentes,Clericos, & Commiſſarios

ſarios Cameræ huiuſmodi, necnon Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Collectores, Gabellarios, & Exactores prædictos, aut quoſcunque alios ad aliquam ſolutionem contributionem, vel præſtationem præmiſſorum occaſione quomodolibet faciēda quouiſmodo cogi, & compelli,aut alias contra præſentiū tenorem quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per prædictas, aliaſque opportunas cenſuras, & pœnas appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas huiuſmodi incurriſſe declarando, interdictum Eccleſiaſticum apponendo,inuocato etiam ad hoc, ſi opus ſit auxilio brachij ſæcularis. Non obſtan. fe. re. Bonifacij PP.viij.prædeceſſoris noſtri de vna, & concilij generalis de duabus diætis, dummodo vltra tres diætas aliquis auctoritate præſentium non extrahatur,ac omnibus illis, quæ in contrarium per quoſcunque officiales, & quoſuis alios, ac præſertim per officiales ciuitatis noſtræ Bononien. & quoſuis alios adducta ſunt hactenus, & adducentur impoſterum, ac adduci,& allegari poſſent,necnon quibuſcunque litibus,& cauſis,tam in Romana curia, quam extra eam vbilibet,ac coram quibuſcunque iudicibus etiam palatij noſtri cauſarum Auditoribus,ac S.R.E. Cardinalibus ſuper præmiſſis inter quoſcunque quomodolibet pendentibus,ac etiam inſtructis, & ad ſententiam deductis,vel etiam à ſententia terminatis,niſi in fauorem Eccleſiæ fuerint, Et præſertim quadam lite inter huiuſmodi regulares,ac ciues, & cōmunitatem dictæ ciuitatis Bononien.in Romana curia pendente, quas, & quam,ac omnes proceſſus,& ſcripturas productas, & producendas,ac regiſtra, & ſententias vbiuis comparen.& latas, ac ferendas ad nos auocamus, & penitus extinguimus, caſſamus, annullamus, & delemus, perpetuumque deſuper ſilentium imponimus, Necnon quibuſuis Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & Synodalibus conciliis editis generalibus,

vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus etiam contra exemptos quomolibet editis, & edendis, Ac etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis illis, & eorum singulis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis in genere, & specie, etiam Motu simili, & certa scientia etiam consistoriali, & alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium concessis, approbatis, & innouatis, Quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse, derogamus contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo piscatoris, die vigesima nona Iulij. M. D. L X V I. Pontificatus nostri anno Primo.

F. de Torres.
V. Macharanus.

QVibus omnibus, ac singulis præmissis tanquam rite, recteque, ac legitime factis auctoritatem, & decretum dictæ Curiæ, atque nostram duximus interponendam, & interposuimus, ac interponimus præsentium per tenorem. In quorum omnium, & singulorum præmissorum fidem, & testimonium veritatis præsentes exinde fieri, & per eundem Notarium nostrum infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus, sigilloque nostro, quo in similibus vtimur, iussimus, & fecimus impressione muniri. Datum Romæ in Palatio nostræ solitæ residentiæ, in quo iura reddun-

tur, & partium causæ audiuntur, sub anno à Natiuitate Domini 1566. Indict. nona, die vero quarta mensis Septemb. Pontificatus Sanctiss. in Christo patris D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno primo, præsentibus ibidem discretis viris D D. Fabritio Galletto, & Pompeo Antonino Curiæ nostræ Notariis, testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis ipeciali-ter, atque rogatis.

In nomine sanctissimæ Trinitatis patris, & filij, & Spiritus sancti, Amen.

NOuerint vniuersi, & singuli hoc præsens publicum transumpti instrumentum, inspecturi, visuri, perlecturi, & audituri, quod nos Alexander Riarius Protonotarius Apostolicus Curiæ causarum Cameræ Apost. generalis aud. Roman. Curiæ iudex ordinarius vniuersarum quoque literarum Apostolicarum executor, à Sanctiss. D. N. PP. sanctaque sede Apost. specialiter deputatus pro parte, & ad instan. Reuer. Dominorum Magistri Eustachij Lucatelli Bononien. procuratoris generalis ordinis prædicatorũ S. Dominici, & Reuerendissimi Patris Magistri Vincentij Iustiniani totius eiusdem ordinis generalis, Vicarius, ac priorum, fratrum, & eorum quarumcunque Ecclesiarum conuentuum, & monasteriorum, & aliorum quorumcunque monachorum, & monialium omnium ordinum mendicantium Almæ Vrbis, ac totius orbis terrarum respectiue principalium citari fecimus, & mandauimus, per edictum publicum, vt moris est, propter ferias generales nuper indictas ad instar edictorum publicorum, quæ olim in albo prætorio scribebantur, omnes, & singulos sua communiter, vel diuisim interesse putantes ex aduerso principales eorumque procuratores, si qui erant in Ro. Curia pro eisdem ad dicen. & excipien. quicquid verbo, vel inscriptis contra infrascriptas literas Apostolicas libertatis, immunitatis, & exemptionis, ac aliorum prout in eis in forma breuis sub annulo piscatoris, expeditas

dicere, siue excipere, volebant necnon viden. iurare testes super recognitione quatenus opus sit, videndumque, & audiendum illas respectiue transumptari, & exemplari, ac in publicas transumpti formas redigi, mandari, auctoritatemque, & decretum desuper interponi, vel dicen. & causam si quam haberent rationabilem, quare præmissa fieri non deberent allegandum ad diem, ac horam infrascriptos. Quibus aduenientibus, comparuit in iudicio coram nobis Reuerendus Dominus Frater Thomas Gratianus Perusinus, Ordinis præfati S. Dominici procurator substitutus à dicto domino Magistro Eustachio procuratore generali præfato prout in actis nostri Notarij infrascripti de substitutione præfata constat dicto nomine procuratorio, necnon nomine, & vice omnium, & singulorum priorum, & fratrum, ac monialium, & aliorum quorumcunque superius specificatorum instan. principalium, & reproducta citatione præfata edicti publici per vnum ex S.D.N. Papæ Cursoribus, vt moris est, affixa, & publicata citatorumque in eadem contentorum non comparentium contumaciam accusauit ipsosque contumaces reputari & in eorum contumaciam dictas infrascriptas literas apostolicas transumptari, & exemplari, ac in publicam transumpti formam, redigi, mandari, auctoritatemque, & decretum desuper interponi à nobis debita cum instantia postulauit. Nos tunc Alexander auditor, & iudex præfatus dictos citatos non comparentes reputauimus non immerito contumaces, & in eorum contumacia attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam, & rationi consonam. Et quia per inspectionem dictarum literarum infrascriptarum quas sufficienter, & legitime recognouimus, ac reperimus eas omni suspitione carere, idcirco eas per discretum virum D. Iohannem Antonium Curtum nostrum & dictæ Curiæ causarum Cameræ Apostol. Notarium transumptari, & exemplari ac in publicam, & auctenticam transumpti formam

formam redigi fecimus, & mandauimus, volentes, & auctoritate Curiæ nostræ statuentes, quod huic nostro transumpto de cætero ea prorsus vbique adhibeatur fides & credulitas in iudicio, & extra, quæ, qualis, & quanta adhiberetur ipsis propriis originalibus literis, si vobis exhibitæ essent, vel ostensæ, quarum quidem literarum tenor sequitur, & est talis, videlicet.

Bulla S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Confirmationis & nouæ concessionis Priuilegiorum omnium Ordinis Mendicantium Motu proprio. Cum processu Illustriss. ac Reuerendiss. D. Alexandri Riarij Protonotarij Apostolici Curiæ causarum Cameræ Apost. Iudicis, ac Executoris.

ALexãder Riarius Protonotarius Apostol. S.D.N. Papæ, eiusque Camerarij, necnon curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius, sententiarum quoque, & cẽsurarum in eadem Romana Curia, & extra latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcunque vniuersalis, & merus Executor, & ad infrascripta à Sanctiss. in Christo patre, & D. N. D. Pio diuina prouidentia Papa V. Iudex Executor specialiter deputatus, Vniuersis, & singulis Reuerendiss. & Reuerendis in Christo patribus, & dominis D D. Dei & apostolicæ sedis gratia Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis, eorumque & cuiuslibet ipsorũ in spiritualibus Vicariis, seu officialibus generalibus, ac aliis personis in dignitate ecclesiastica constituris, præsentes literas, siue hoc præsens publicũ processus instrumentum inspecturis, visuris, lecturis pariter, & audituris, omnibusque aliis & singulis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit, quosque infrascriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, quibuscunq; nominibus censeantur, aut quacunque præfulgeant dignitate, salutem in Domino, & nostris huiusmodi, immo verius apostolicis

cis firmiter obedire mandatis. Literas eiusdem S. D. N. eius vera Bulla plúbea, sanas siquidem, & integras, & non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, prout in eis prima facie apparebat, nobis pro parte Reuerendorum patrum Dominorum Generalium, & procuratorum generalium in Ro. Cu. & Prouincialiũ, necnon patrum Priorum, Fratrum, Conuentuum, seu monasteriorum, Priorissarum, ac Monialium ordinũ quorumcunque mendicantium per totum orbem terrarum, principalium & cuiuslibet eorum in eisdem literis insimul principaliter nominatorum nobis præsentatas, nos cum ea, qua decuit reuerentia, nouerit is recepisse huiusmodi sub tenore, videlicet.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Vide bullã greg. 13. Super. 5.

ET si Mendicantium ordines, qui sedulum in vinea Domini quotidie exhibere non cessant famulatum, summo semper studio (etiam dum in minoribus essemus) amplexi sumus, ad summi tamen Apostolatus apicem (meritis licet imparibus) diuina fauente clementia assumpti dum id mente recolimus, facere non possumus, quin eos propensiori charitate, & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarũ ab Apostolica sede (cuius continue pacem & dignitatem Ordines ipsi fortiter tutati sunt) tam spiritualia, quam temporalia subsidia, ornamentaque acceperint, & accipiant, quibus & sancta sua officia, ac vitam suã regularem facilius, atque expeditius exequi, & transigere possint, & cæteræ religiosæ personæ, ordinesque alij, exemplo ipsorum promptiores, alacriores que ad sua officia persoluenda reddantur. Hinc est, quod nos attendentes plerosque ex venerabilibus fatribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, qui eosdem ordines præ-

præcipue tamquam fructiferos in agro domini palmites, & colere, & adiuuare deberent, non solum id exequi negligere, verum etiam Concilij Tridentini decretis in prauum sensum retortis, eos, & eorum quemlibet variis afficere incommodis, & perturbationibus, eorumque priuilegiis non modicum afferre grauamen conantur. Quidam enim Episcopi, vt accepimus, nolunt admittere quosdam regulares ad prædicationem, etiam in suis ecclesiis faciendam, quamuis de eorum habilitate ad huiusmodi opus exercẽdum, habeant bonum testimoniũ à suis superioribus. Alij vero volunt, vt nedum semel, sed etiam pluries in anno coram ipsis, vel eorum Vicariis prædicatores præsentẽtur, ac pro licentia prædicandi, quã non nisi in scriptis dare volunt, aliquid quandoq; exigunt. Alij etiam episcopi maximam regularibus iniuriam irrogare videntur, dum præter ordinem, & veterem consuetudinem absque vlla ratione quosdã reiiciunt, & quosdam, pro eorum libito, admittunt ad prædicationem huiusmodi habendam in locis suæ diœcesis. Quorundã etiam locorũ ordinarij, quosdã religiosos probos viros, & idoneos, etiam à suis Superioribus approbatos, ad cõfessiones audiendas admittere nullo modo volunt. Quidam ex eis volunt, nõ solũ singulis annis, sed etiam pluries in anno, in aliquibus partibus eosdem confessores sibi præsentari. In aliquibus veto oppidis, tam Episcopi, seu eorum Vicarij, quam presbyteri Curati nolunt, vt fratres Mendicantes vocati ad audiendas confessiones infirmorum, maxime si infirmitas est grauis, aut etiam sanorum, in priuatis illorum domibus, vel alibi, præterquam in suis Ecclesiis, aut monasteriis possint accedere. Nonnulli etiam audent Confessores monialium, qui pleno iure subsunt regularibus, examinare, cum tamen id minime per Concilium decernatur, sicut & de fratribus, qui sunt aduituri confessiones aliorum fratrum. Quidam etiam in aliquibus partibus nituntur asserere, seu facere, ne quisquam infra annum possit sacram Eucha-

ristiam

ristiam in ecclesiis mendicantium recipere, neque etiam monia es tertiarias nuncupatas suorum ordinũ, vt aliqui asserunt, in aliquibus partibus fieri, tum tamen solum in Paschate, quo ad seculares dumtaxat, iuxta priuilegia summorum Pontificum prædecessorum nostrorum eisdem ordinibus concessa, id obseruari debeat. Alij vero Episcopi, seu eorum Vicarij audent ad eorum libitum dare licentiam quibuscunque, quæcunque Monasteria monialium etiam sanctæ Claræ ingrediendi, etiam si regularium curæ subdita sint. Quidam vero sub prætextu exquirendi voluntates puellarum, ante professionem eorum volunt eas extrahere à monasteriis, & per longum tempus alibi detinere, ipsasque puellas, seu nouitias de plerisque rebus interrogant, neque necessariis, neque in decreto Concilij Tridentini desuper contentis: ex quibus non modica potest oriri occasio scandali. Alij vero plerique noluerunt quosdam regulares, aliarum diœcesum sacris ordinibus initiare: ac etiam à sui ordinis Prælatis approbatos admittere nolunt. Aliqui vero singulis dominicis diebus in suos Parochianos ad sonum campanæ excommunicationem promulgant, vt nõ possint interesse missis, concionibus, & diuinis officiis, nisi in propria Parochia. Alij vero in aliquibus partibus in eorum Ecclesiis conciones sacræ scripturæ, & fermones pro mortuis haberi nolunt: & si aliquid ipsis relictum fuerit, vt ab ipsis Missæ dicantur, vel alia officia pro mortuis celebrentur, ipsis sibi ea vsurpant, dicentes quod ipsi ea exequi nõ possunt, quia ipsi sunt pastores. Alij vero sub excommunicationis latæ sententiæ, & exilij per decennium à diœcesi, pœna inhibuerunt, ne missæ in eorum Ecclesiis celebrentur in diebus festiuis, antequam rector Parochialis Ecclesiæ celebrauerit. Alij etiam nolunt, vt, dum prædicatio in Ecclesia Cathedrali habetur, alibi prædicetur. Ac insuper in quibusdam locis omnem ordinem, & quietem perturbant, dum controuersias iamdiu sopitas, & extinctas superæ præcedentia excitarunt, & vbi mul-

læ erant, pepererunt, dum pro arbitrio, & voluntate eorum hos illis præferre voluerunt. Quidam etiam Episcopi volunt regulares à cura animarum excludi, & illam solis presbyteris secularibus committi. Quidam vero quartam funeralium extendere volunt etiam ad missas, legata, & alia quæcunque, quæ domibus regularium relinquuntur. Alij autem volunt quartam partem omnium, eorumque etiam pro ornamento Ecclesiæ palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & eorum etiam quæ pro victu fratrum relinquuntur. Aliqui etiam in quibusdam partibus etiam volunt, vt non solum ius sepulturæ solui consuetum, quod semper soluitur, neque denegatur, sed etiam omne illud, quod ecclesiis ordinum ad eorum libitum partes dant, quando sepeliuntur ibidem defunctorum corpora, id totum curatis etiam de nouo soluatur instanter conantur, impedientes ne aliter corpora defunctorum ad Monasteria fratrum deferantur, vnde in hoc maxime, tam partes, quam ipsos fratres grauari contingit. Aliqui vero etiam ex locis Mendicantium, qui curam habent animarum, volunt pro seminario decimas exigere, ac in casu renitentiæ etiam pignus exigunt. Alij autem præfatos fratres, ac moniales sub eorum cura degentes subsidium regium persoluere cogunt, cum multæ earundem monialium vix habeant pro earum victu, & vestitu necessaria vitæ. Alij etiam in quibusdam partibus pauperes mendicantes eleemosynas petere prohibent pro eorum dumtaxat substentatione, &, si inuenerint eos panem, vel aliquid aliud simile amore Dei sibi collatum portantes quandoque ab eis auferre minantur, afficientes eos graui iniuria, & contumelia. Nonnulli vero Episcopi, vel capitula canonicorum pauperes mendicantes, tam fratres, quam moniales suorum ordinum, tam de reditibus bonorum, si quæ habent, quam de possessionibus, vineis, agris, & aliis suis bonis quibuscunq; non

solum

solum largitione fidelium sibi concessis, sed etiam ab
lias iustis de causis ab eis acquisitis, ac pecuniis emptis, sibi decimas ac primitias aliis respective soluere cogũt. Alij autẽ ausi sunt inquirere, & processus facere contra aliquos regulares, intra claustra delinquentes, vel de quorũ delictis aliqua erat suspicio non expectata suorũ superiorum censura. Alij vero Episcopi monialium monasteria ingredi, & illà ingrediendi, licentias aliis cõcedere, & aduersus illas processus formare, ipsorum ordinum superioribus irrequisitis, præsumunt. Aliqui etiam dominium tẽporale super moniales habere prætendunt. Nonnulli vero frequentissime regulares citant, & iurisdictioni suæ subiicere tentant, ac eorum conuentum occupant, ipsos expellendo, ac in ipsos iurisdictionem vel potestatem exercent. Aliqui vero ipsos carceribus (absque causæ cognitione) mancipant, ac manibus, pedibusque laborant, vt regulares mendicantes suæ ditioni subiiciant, & vsque adeo se intromiserunt in gubernatione conuentuum, & in correctionibus fratrum, vt Prouincialibus, & Generalibus nullius amplius videatur relictus locus, aut vlla iurisdictio. Aliqui autem conuentuum Priores, & Guardianos rationes & computa facere cum syndicis conuentuum huiusmodi prohibent. Fratres quoque, qui ad Episcopos huiusmodi recursum habent, à Prioribus, & Guardianis præfatis castigari, & puniri inter dicuntur. Inhibent quoque superioribus ordinum, ne faciant processus contra fratres, ac in ipsos imperium, & brachium sæculare exercent. Alij vero ipsos extra claustra degentes sub eorum protectione recipiunt, eosque sic permanere permittunt, eosque etiam inuitis suis superioribus detinent. Aliqui vero bonorum ipsorum fratrum tanquam ad eos (si extra claustra defuncti fuerint) spectantium, possessionem occupare præsumunt, & ad habitum religionis reuersis, sua bona consignare nolunt. Ac erũ vniones à sede prædicta, aut alias rite factas de beneficiis ecclesiasticis impediunt, & sibi relaxari debere vo

re volunt, & contradictores excommunicationis gladio feriunt. Alij vero regulares campanas diebus festiuis pulsare, vel eodem tempore, quo ipsi celebrant, missas celebrare nolunt. Aliqui etiam pro licentia danda ædificandi quandam domum regularem, triginta, vel quadraginta ducatos exigere non erubuerunt. Alij vero eos mortuorum corpora associare, alij autem illos cum Parocho similia munera subire non permittunt, nisi maior canonicorum pars interuenerit. Alij vero mortuorum officia in regularium Ecclesiis peragi nolunt, nisi cum ipsorum præsentia & ipsorum moniales, vel alias personas, etiam si in earum funere Parochus interuenire non deberet, sepelire prohibent, nisi ipsi Parocho prius certum quid solutum fuerit, & si aliquem ipsi sciuerint in regularium Ecclesiis sepulturam elegisse eum (vt dicitur) non ante ad illas deferre sinunt, quam ad Parochi Ecclesiã delatum, inibique officium peractum fuerit. Postremo vero testamenta sine presbyterorum præsentia fieri prohibent, &, si quid ipsis regularibus relictum fuerit, id asserentes contra Concilij Tridentini canones esse, reuocare omnino procurent. Ac propterea volentes præmissis, ac aliis similibus excessibus, & grauaminibus, ex nostri pastoralis officij debito prouidere, attendentes etiam illos, qui onus diei, & æstus, tam in prædicationibus, quam in cæteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent, nisi etiam aliquantisper subleuentur, facile fore, vt oppressi, à suis officiis omnino desistant, ne imposterum eis aliquod inferatur grauamen: Concilij Tridentini huiusmodi decreta, quorum falsa, seu minus vera intelligentia præmissa irrepserunt, quorumque declaratio non nisi ad nos spectat, modo & forma infrascriptis, declarãdum censuimus. Nos igitur Motu proprio, non ad alicuius instantiã, sed de mera deliberatiõe, & ex certa sciẽtia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, declaramus Canonem Sessionis 24. cap. 4. perquem omnibus regularibus, etiam in suorum ordinum Eccle-

siis, contradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, mendicantium ordinum fratres huiusmodi quando à suis Generalibus, vel eorum Ministris Prouincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere posse, imo volumus, quod in suis Ecclesiis, quando eis placuerit, licite, absque vllo impedimento, vel contradictione etiam Episcopi (nisi ipse prædicauerit) prædicare possint. Quod vero in sessione 23. cap. 15. circa confessiones à regularibus non audiendas statuitur, hoc etiam dictorum ordinum fratres, à præfatis suis Generalibus, vel Ministris Prouincialibus ad audiendas confessiones vtriusque sexus Christifidelium approbatos (vt præmittitur) minime comprehendat: ita vt à confessionibus audiendis, tam intra eorum Ecclesias, & domos, quàm extra, minime prohibeantur, super hoc literas felicis recordationis Pauli Papæ 4. etiam prædecessoris nostri, concedentes eisdem fratribus mendicantibus regularis obseruantiæ posse confessiones sæcularium personarum, etiam infirmarum, etiam extra domos, & monasteria sua, & vbilibet audire, approbando, & de nouo concedendo. Statuimus etiam, quòd ille, qui semel in vna diœcesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem diœcesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari, vel præsentari in dicta diœcesi debeat, tam quo ad prædicationes faciendas, quam quo ad confessiones audiendas, nec aliquid pro prædictis exigi, vel recipi debeat. Confessores verò monialium, quæ degunt sub cura regularium, ab ordinario examinari nolumus, quemadmodum, neque etiam fratres si debeant audire confessiones aliorum fratrum examinari debent. Lectores insuper ex eisdem fratribus, & in Theologia graduati, qui cum licentia suorum superiorum ad gradum admissi fuerint, cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit, tam confessiones audituri, quam prædicationis munus subituri, ab Episcopis minime examinentur. Cumque inhonestum sit quemlibet in alienam messem falcem

falcem iniicere, cumque monialium monasteria non nisi de Episcopi, vel superioris licentia, & in casibus necessariis, aliquis ingredi præsumat, in Sess. 25. Canon. 5. prohibetur, hoc tantum in illis monasteriis locum habere volumus, quæ ordinariis ipsis pleno iure subsunt, in quibus, in casibus necessariis ipsi dare licentiam possint, & non in aliis monasteriis. Ita vt in præfatis monasteriis, quę ordinariis ipsis pleno iure non subsunt, ipsi ordinarii illa ingredi non possint, prout in regulis earum, seu de iure statuitur, & eis aliquos processus aduersus moniales ipsas, seu fratres huiusmodi, propterea, seu alias ipsorum ordinum superioribus irrequisitis quoquomodo formare, aut facere posse omnino prohibemus, ita vt aliquam iurisdictionem, seu aliud quodcunque dominium in moniales, & fratres huiusmodi, respectiue habere exercere, aut exequi nullatenus possint, aut debeant, imo illas, & illos omnes ab eorum superioritate, dominio, & iurisdictione, & potestate eximimus & liberamus, prout eis concessum est per sua priuilegia à Sede prefatæ obtenta, & ita prefatæ moniales, ac fratres sint exclusi à superioritate, & iurisdictione ordinariorum respectiue huiusmodi, vt etiam in illarum, vel illorum syndicis, aut procuratoribus deputandis, vel in disponendis illorum facultatibus, vel alia sibi non competentia facienda, vllatenus non se intromittant, nec etiam ordinarij ipsos regulares præfatos citare, & iurisdictioni suæ subiicere, ac eorum conuentus occupare, ipsos ab eis expellendo, ac in ipsos iurisdictionem aliquam, & potestatem exercere, vt præmittitur, aut ipsos carceribus mancipare, & contra eos aliud facere possint, vt suæ ditioni subiiciantur, neque etiam se intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione conuentuum, tam fratrum, quam monialium huiusmodi, & illorum correctionibus, sed omnia ista, & alia necessaria ad correctionem, & gubernationem fratrum, aut

monialium huiusmodi,& eorum Generalibus, ac Ministris,seu Prouincialibus,vel aliis eorum, aut earum respectiue superioribus, etiam ratione computa faciendi cum syndicis conuentuum huiusmodi,omnino relinquitur,nec vllo modo in prædictis per se, vel alios se intromittant. Fratres quoque, si contigerit eos ad huiusmodi ordinarios recursum habere à prefatis Generalibus ministris, seu Prouincialibus, Prioribus, Guardianis,& aliis superioribus castigari,& puniri posse,& debere:neque ipsos ordinarios prefatis superioribus ordinum huiusmodi vllatenus inhibere, quinimo præfatos superiores processus contra fratres suos, & moniales huiusmodi,quando opus fuerit, circa delictorum inquisitionẽ, vel castigationem facere posse decernimus, inuocato etiã ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Inhibemus etiam ipsis ordinariis,ne fratres extra clausura degentes,sub eorum protectione recipiant, eosque, inuitis suis superioribus, detineant. Prohibemus quoque eisdem ordinariis,ne aliquo modo se intromittant in bonis dictorum fratrum extra clausura suorum monasteriorum pro tempore degentium, siue decedentium, & quamuis in habitu,siue absque habitu moriantur, volumus quod eorum bona mobilia, & immobilia ad ordinem quẽ professi sunt,pertineant,disponenda iuxta constitutiones,seu ordinationes præfatorum ordinum, neque illa ordinarij præfati occupare præsumant, imo huiusmodi & ad habitum religionis reuertẽtium bona omnia monasteriis ipsis,cum eã,quę acquirit monachus, de iure monasterio acquirantur, pertinere etiam decernimus. Ac ipsis ordinariis, ne quascunque vniones etiam perpetuas à Sede prædicta vel alias, vt præfertur,hactenus factas,& pro tempore faciendas de beneficiis ecclesiasticis, seu illorum fructibus, quin suum sortiantur effectum impediant, omnino etiam prohibemus, & censuras ecclesiasticas, & alias pœnas per eos in contradictores pro tempore latas, nullius esse roboris,vel momenti,similiter decernimus, & declaramus.

ramus. Insuper volumus, quod præfati regulares quibus cura animarum inest, possint per se ipsos iuxta suorum superiorum ordinationẽ, aut alios Vicarios, seu Capellanos sæculares ipsorum regularium nutu amouibiles, ab eis deputatos, & ab ordinario approbatos, præfatam curam exercere:neque in eorum deputatione, vel amotione, neque alicuius partis fructuum consignatione pro præfatis Cappellanis,seu Vicariis sæcularibus,si per tales curam exerceri contigerit, Episcopi vllo pacto se intromittant. Prohibemus insuper eisdem ordinariis, ac aliis quibuscunque personis, ne impediant ipsos fratres, quando eis placuerit, tam in diebus dominicis, seu festiuis, aut aliis totius anni temporibus, cãpanas pulsare,& etiam tempore, quo ipsi celebrauerint, missas celebrare: necnon mortuorum corpora associare, & illa per fratres ipsos,quando in Ecclesiis suis præfatis delata fuerint, absque præsentia rectorum ecclesiarum huiusmodi,sepeliri facere,ac officia mortuorum huiusmodi peragi posse, necessariamque præsentiam rectorum, aut aliorum clericorum,quin infirmi libere sua possint condere testamenta minime esse, ac ipsos regulares legata, aut quæuis alia sibi in testamentis relicta exigere, & obtinere posse, neque aliquod ius in contrarium esse,decernimus,& declaramus. Volumus etiam quòd puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ, vel seductæ fuerint, examen faciendum, non nisi infra quindecim dies, postquam iuxta Concilium Tridentinum Episcopi, vel eorum Vicarij requisiti fuerint, fieri possit, quibus elapsis, amplius in hoc illis se intromittere non liceat: cuius occasione nec Episcopus, nec eius Vicarius intra septa monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream, & interogationes alias, quam eas, quæ præfatum Concilium Tridentinum iubet, eis fieri omnino prohibemus,ac similiter volumus, quòd puellæ, seu nouitiæ ipsæ ad alias interrogationes respondere minime teneantur. Sess.

vero 23.cap.8. neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse, statuens, in regularibus locum non habere omnino declaramus, ita quod fratres huiusmodi præfatos etiam sacros ordines à quolibet Antistite gratiam, & communionem apostolicæ sedis habente, ordinarij loci minime requisita licentia, in locis, seu domibus fratrum huiusmodi, aut alibi recipere possint. Et insuper Sess. 22. decretum, per quod populum sæpe ad suas ecclesias, saltem dominicis, & maioribus festiuis diebus, conuenire debere monet, insequendo: volumus quòd fratribus mendicantibus huiusmodi non solum prohiberi non possit, ne missas, & alia diuina officia faciant in eorum ecclesiis, verum etiam in quibuscunque aliis vbi celebrari missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant: ac etiam quod conciones, & lectiones sacræ scripturæ, & sermones pro mortuis, etiam in ecclesiis facere, ac eleemosynas pro celebrandis huiusmodi missis, & aliis diuinis officiis peragendis, si eis illas donari, seu relinqui contingat, recipere, necnon missas, & diuina officia huiusmodi, etiam in diebus dominicis, vel festiuis, etiam antequam rector Parochialis ecclesiæ celebrauerit, celebrare & facere: & quando eis videbitur, etiam si tunc in ecclesia cathedrali prædicetur, prædicare: ac etiam quicunque vtriusque sexus Christifideles, totius anni tempore illas, & illa in ecclesiis fratrum huiusmodi audire possint. Ipsi Christifideles vllatenus desuper molestari, aut impediri per locorum ordinarios, seu rectores parochialium ecclesiarum, aut alios quoscunque vllo pacto, causa, vel occasione non valeant, seu debeant, sed præfati Christifideles audiendo missas, & alia diuina officia in ecclesiis fratrum huiusmodi diebus dominicis, aut festiuis, præcepto ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur. Ipsique Christifideles sacramentum Eucharistiæ (Resurrectionis Dominica festiuitate dumtaxat excepta) sumere, eisque illud per fratres huiusmodi administrari valeat, nec ad aliud faciendum

dum per locorum ordinarios, aut ecclesiarum rectores præfatos, seu alios quoscunque (illorum licentia minime requisita) etiam sub censuris ecclesiasticis, & aliis pœnis cogi, vel compelli possint, seu debeant, etiam decernimus, & declaramus. Et licet in Sessione 25.cap.12. caueatur, quòd censuræ, & interdicta ecclesiastica etiam à locorum ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à regularibus in eorum ecclesiis publicari debeant, tamen si tempore celebrationis alicuius ex festis sanctorum ordinum eorundem, ac aliis festiuitatibus iuxta eorundem ordinum priuilegia apostolica, interdictū huiusmodi emanauerit, illud in præfatis festiuitatibus, & earum octauis suspendimus. Controuersias autē omnes de præcedentia, quæ eadem Sessione 25.cap.vero 13.per Episcopum terminari mandantur, non nisi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo pacto innouari posse statuimus. Cumque licet cap.11. Sessionis 25.statuat, quòd in domibus virorum, seu mulierum, quibus animarum personarum secularium cura imminet, nulli etiam ad nutum amouibiles inhibi deputentur, nisi de ordinarij consensu, ac præuio examine huiusmodi præcedente, ad curam huiusmodi admitti posse omnino volumus præfatos regulares. Quartam autem funeralium de qua Sess. 25. cap. 13. nequaquam soluere teneantur monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existunt, postquam Concilium ipsum loquitur tantum de monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam soluere consueuerunt, & vbi solui consueuit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de Missis, seu legatis, vel aliis, fratribus ipsis, seu monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solui debet, sicque intelligi Concilij decretum, quo ad quartam huiusmodi soluendam debere decernimus. Vbi vero non est consuetudo soluendi quartam huiusmodi, de nullo suprascriptorum solui debere

declaramus. Nec ad quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento ecclesiæ palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & aliorum, quæ dictis ecclesiis relinqui, vel dari contigerit, etiam si pro victu fratrum, aut alias relinquantur, aliquid contribuere teneantur. Ac etiam ius sepulturæ solui tantum consuetum curatis, & non aliquid aliud eis solui debeat, quamuis partes ad earum libitum ecclesiis ordinum huiusmodi, seu eorum fratribus, alia quæcunque tribuant, seu eleemosynas elargiantur quando sepeliuntur ibidem corpora mortuorum huiusmodi, nec propterea impediri debeant, quin possint defunctorum corpora præfata ad eorum ecclesias tumulanda deferri facere. Inhonestum quoque esse censentes, Mendicantium ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri, illos, illorumque loca, etiam si curam animarum habeant, ac quæcunque beneficia illis vnita, ad contributionem pro seminario, aut decimarum aliquarum solutionem, imò illos, & eorum domos, monasteria, beneficia, & loca quecunque, & ab illis quomodolibet dependentia, eorumque possessiones, vineas, agros, & prata, ac alia bona quæcunque, tam ad ipsos, quam ad moniales præfatas etiam largitione fidelium, seu alias iustis de causis ab eis acquisita, ac pecuniis empta, vel alias quomodolibet pertinentia, minime teneri, illosque, & illas, à quibuscunque decimis, primitiis, quartis, mediis, & aliis fructuum partibus, nec non subsidiis charitatiuis, etiam per nos concessis, ad quorumcunque etiam regum, principum, & dominorum temporalium instantiam, quacunque etiam vrgentissima, & de necessitate exprimenda causa, ac etiam aliis quibuscunque oneribus, tam ordinariis, quam extraordinariis, etiam ratione fructuum, olerum, virgultorum, lignorum, beneficiorum, & aliarum quarumcunque rerum, tam pro victu, quam vestitu aut alias sibi necessariarum quomodolibet, etiam auctoritate apostolica, nunc & pro tempore impositis, ita vt penitus, & omnino

ad

ad alicuius rei contributionem minime teneantur, omnino eximimus, & liberamus, illosque, & illas, ad illos, & illa, etiam si sæculares, & aliæ personæ quæcunque in eas exigendi possessione fuerint, minime teneri debere volumus: nec sub cap. 12. Sessionis 25. comprehendi posse, vel debere decernimus. Quod vero de vsu quæstorum eleemosynarum auferendo loquitur Sessionis 21. capit. 8. id ad Mendicantium ordines nullo modo referri posse, vel debere etiam decernimus, quin potius cum eleemosynis huiusmodi viuere cogantur, eis id facere liberum omnino esse declaramus. Quoniam vero ex nimia Episcoporum sibi irrogata auctoritate, ipsi personas regulares suæ iurisdictioni subiicere omnino studeant, ac decreto Concilij præfati, Sessionis 25. cap. 14. edito, quo cauetur, quod si regularis intra claustra existens, & extra ea, ita notorie deliquerit, vt populo scandalosus sit, termino ab Episcopo præfigendo, à suo superiore omnino puniatur, sin minus ab ordinario delinquens puniri possit, confisi, variis, indebitisque grauaminibus regulares afficiunt: ordinarios præfatos aliquid contra regulares in claustris degentes huiusmodi quouis prætextu, occasione, vel causa innouare non posse vel debere, nec aliquos processus contra ipsas personas regulares formare, aut facere posse volumus, nisi propter manifestum scandalum, & suorum ordinum superioribus prius consultis, & negligentibus, alioquin omnia, & singula contra præmissa facta & gesta, ac facienda in futurum, pro nullis, & infectis habeantur. Licentias vero pro construendis domibus regularibus, quæ 4. capit. 25. Sessionis, nisi de ordinarij licentia construi prohibentur, gratis omnino dati, & non nisi legitima subsistente causa, superioribus explicanda, illas recusari posse. Necnon fratres præfatos, etiam solos, mortuorum corpora associare, ac Mandatum in die Cœnæ domini fieri solitum in ecclesiis, seu domibus fratrum cuiuslibet ordinis prædictorum, sollemniter facere, & prædicta die præ-

dicare hora, qua eis videbitur, nec per locorum ordinarios, aut rectores ecclesiarum, seu alios quoscunque prohiberi posse etiam decernimus, & declaramus. Mandantes etiam vniuersis locorum ordinariis, ne mortuorum officia agere Rectores parochialium in ecclesiis ipsorum fratrum, contra illorum voluntatem, permittant. Ac moniales dictis fratribus subditas, vel personas sepulturam in eorum ecclesiis eligentes, nulla soluta Parocho portione, sepelire, vel, si fratres ad mortuorum corpora associanda vocati fuerint, illa absque fratrum huiusmodi præsentia sepeliri facere audeant, vel præsumant. Cumque maxime deceat liberam esse cuiusuis testantis voluntatem, prauum illum vsum, paruo adhuc tempore (vt præfertur) introductum, per quem testamenta absque presbyterorum præsentia fieri interdicuntur, omnino abrogamus. Postremo, quod capit. 13. Sess. 25. cautum fuit, quòd omnes scilicet tam clerici, quam regulares, quicunque ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, id quo ad fratres præfatos de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis ecclesiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur: quod etiam de illis conuentibus (qui collegia nuncupantur) minime intelligi volumus, inquibus fratres sub arctiori clausura degunt, ita vt nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantum studiis, & lectionibus vacent. Præterea, si forte inter Episcopos, vel collegia, aut capitula, vel alias quasuis personas, & præfatos fratres, seu moniales, aut eorum aliquos, super præmissis, vel aliquo eorum, coram quocunque, seu quibuscunque iudicibus, etiam causarum palatij Apostolici Auditoribus, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, tam in Romana Curia, quam extra eam, vbilibet lis, seu lites respectiue pendeant, Nos litem, seu lites, & causam, vel causas huiusmodi ad nos aduocamus, ac

ac illam, & illas, quarum statum ac nomina, & cognomina iudicum, & collitigantium, præsentibus haberi, volumus pro sufficienter expressis, cassamus, & extinguimus, ac partibus ipsis perpetuum silentium desuper imponimus. Ac in super, vt facilius præmissa omnia illibata persistant, omnia, & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, fauores, & gratias, quæ decretis Concilij Tridentini alias quam vt superius est dictum, concessum, & declaratum, non contrariantur expresse, eisdem fratribus, necnon monialibus quibuscunque, & sororibus tertij ordinis prædictorum ordinum respectiue ordinibus, ac illorum ecclesiis, domibus, & personis, etiam viuæ vocis oraculo in genere vel in specie, tam per recol. mem. Eugenium iiij. Sixtum iiij. Leonem x. Paulum iij. ac dictum Paulum iiij. & Piũ etiam iiij. quam alios quoscunque Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros, ac nos, & sedem eandem quomodolibet concessa, confirmata, & innouata, necnon nostras, & prædecessorum nostrorum, ac alias quascunque desuper confectas literas, quarum omnium tenores, ac eorundem prædecessorum nostrorum nomina, & alia de necessitate exprimenda, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, etiam præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, eaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere, ac fratribus superioribus, & personis ordinum huiusmodi, necnon aliis quibuscunq; quos illa cõcernũt, suffragari debere, seu posse volumus. Necnõ priuilegia, immunitates, facultates, libertates, indulta, dispensationes, exẽptiones, fauores, & gratias, tã spirituales, quã temporales modo, & forma, quibus concessa sunt etiam per viam communicationis, & extensionis, actiue & passiue inter se,

& alios

& alios quoſcunque Ordines reſpectiue, de nouo cõcedimus, illaque omnia, & ſingula ad domos, & loca quæcunque dictorum Mendicantium ordinum, & monialium quarumcunque, ac ſororum de tertio ordine nuncupatarum in congregatione viuentium dictorum ordinum (vt præfertur) hactenus recepta, & imposterum recipienda. Necnon eorum perſonas, & bona, etiam ſi priuilegiorum, & aliarum gratiarum præfatorum auctentica originalia, propter temporis antiquitatẽ, vel varias vrbis ruinas deperdita exiſtant, dummodo de eis alias legitime conſtet, extendimus, & ampliamus. Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque iudices, & perſonas, quauis auctoritate fungentes, etiam Cardinales, & Auditores præfatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & diffiniri debere: necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Quocirca dilectis filiis noſtris Prædicatorum Cardinali protectori, & ſancti Hieronymi Generali ordinum, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ etiam generali Auditori, nunc & pro tempore exiſtentibus, & per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem fratrum, aut monialium, vel alicuius eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant, auctoritate noſtra, præſentes, & in eis contenta huiuſmodi firmiter obſeruari, ac ſingulos, quos literæ ipſæ concernunt, pacifice frui, & gaudere: non permittentes eos, vel aliquem eorum deſuper, contra præſentium tenorem per quoſcunque, etiam locorum ordinarios, quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, a-

lia

liaque opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggrauando, & interdictum eccleſiaſticum apponendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, & aliis apoſtolicis, necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus, conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apoſtolicis eiſdem Epiſcopis, vel quibuſuis aliis perſonis ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam Motu ſimili, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, nõ autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & incertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dũtaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus: necnon omnibus illis, quæ in literis confirmationis, & innouationis priuilegiorum eorundem, alias per eoſdẽ Paulum 4. & Pium etiam 4. prædeceſſores noſtros prædictos, ordini fratrum Minorum huiuſmodi conceſſorum, conceſſum eſt non obſtare, contrariis quibuſcunque: aut ſi locorum ordinariis, vel quibuſuis aliis cõmuniter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultũ quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, &

ex

expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et, quia difficile foret, earundem præsentium literarum notitiam ad quascunque personas peruenire, & vbique illas præsentare, etiam motu, & scientia similibus volumus, & decernimus, quod transumptis earundem præsentium literarum, etiam per impressionem factis, manu alicuius notarij publici subscriptis, aut sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillatis (quemadmodum adhiberetur præsentibus literis originalibus, si præsentarentur) vbique adhibeatur, tam in iudicio, quam extra illud, plena, & indubitata fides. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ declarationis, prohibitionis, exemptionis, liberationis, inhibitionis, aduocationis, cassationis, extinctionis, impositionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, cõcessionis, extensionis, ampliationis, volũtatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1567. decimo septimo Kal. Iunij, Pont. nostri anno secundo.

POst quarum quidem literarum apostolicarũ præsentationẽ, & receptionẽ nobis, & per nos, vt præmittitur factas, fuimus pro parte eorundem R.P. Generalium, & Procuratorum generalium in Rom. Curia Prouincialium, Priorum, & omnium conuentuum, seu monasteriorum tam virorum quam mulierum omnium ordinum Mendicantium totius orbis terrarũ principalium in præinsertis literis apostolicis principaliter nominatorum, debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem dictarum literarum, & cõtentorum in eisdem, procedere dignaremur, iuxta tra ditam, seu directam à Sede apostolica nobis formam. Nos igitur Alexãder Riarius Iudex, & executor prẽfatus, attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam,

stam, & rationi consonam, volentesque mandatum apostolicum nobis in hac parte directum, reuerenter exequi, vt tenemur, Idcirco auctoritate apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte, prædictas literas apostolicas, hunc que nostrum processum, ac omnia, & singula in eis contenta, vobis omnibus, & singulis supradictis intimamus, insinuamus, & notificamus, atque ad vestram, & cuiuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes. Vosque nihilominus, & vestrum quemlibet in solidum eisdem auctoritate, & tenore requirimus, & monemus, primo, secundo, tertio, & peremptorie, communiter, vel diuisim, ac vobis, & vestrum cuilibet insolidum, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis infrascriptis districte præcipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spatium, post præsentationem, seu notificationem præsentium, ac requisitionem vobis, seu alteri vestrum desuper factas, immediate sequen. quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies, vobis omnibus, & singulis prædictis, pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus, Reuerendiss. P P. Generalibus, & Procuratoribus generalibus in Romana Curia, Prouincialibus, necnon Prioribus, Fratribus, Priorissis, sororibus, & conuentibus, vel cuilibet illorum ordinum Mendicantium præfatorum totius orbis terrarum principalibus in præmissis omnibus, & singulis, ac in præinsertis literis apostolicis contentis & expressis, efficacis defensionis præsidio assisten. faciatis ipsos, & eorum quemlibet, necnon monasteria, ecclesias, & loca quæcunque ordinum Mendicantium quorumcunque totius orbis terrarum prædictorum omnibus, & singulis priuilegiis, declarationibus, extensionibus, ampliationibus, gratiis, concessionibus, indultis, derogationibus, decretis, & aliis præmissis, ac in præinsertis literis contentis, & expressis, iuxta earundem literarum vim, formam, cõtinentiam

& te

& tenorem in omnibus, & per omnia pacifice fruj & gaudere: Non permittentes ipsos & eorum quemlibet, ac Monasteria, Ecclesias, & loca quæcunque ipsorum ordinum mendicantium quorumcunque totius orbis terrarum per locorum ordinarios, aut quoscunque alios, tam ecclesiasticos, quam sęculares Iudices, & personas, quacunque dignitate, & potestate, ac auctoritate etiam Apostolica fungen. indebite molestari, impediri, aut inquietari.

INHIBENTES præterea vobis omnibus, & singulis supradictis, atque aliis iudicibus, & personis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus quacunque auctoritate fungent. sub mille ducatorum, locis piis arbitrio nostro applican. & in iuris subsidium excommunicationis pœnis, ne ipsos Reueren. PP. generales, & procuratores generales in Rom. Cu. prouinciales, Priores, fratres, priorissas, sorores, seu quemlibet illorum, dictorum ordinum mendicantium principales, eorumque conuentus, monasteria, ecclesias, domos & loca quæcunque eorundem ordinum mendicantium super præmissis omnibus, & singulis, ac in præinsertis literis contentis & expressis in aliquo perpos, aut per ipsos, vel alium, seu alios directe, vel indirecte, quouis quæsito colore, vel ingenio, molestare, impedire, aut inquietare, seu molestari, aut inquietari facere audeatis, vel præsumatis, seu audeant, vel præsumant.

Quod si forte præmissa omnia, & singula nõ adimpleueritis, monitionibusque nostris huiusmodi, immo verius apostolicis non paueritis, seu quilibet vestrum non paruerit realiter cum effectu, Nos in vos omnes & singulos supradictos, qui culpabiles fueritis in præmissis in aliquo, & generaliter in cõtradictores quoslibet, & rebelles, molestantes, perturbantes, & inquietantes prædictos Reuerendos P P. D D. Generales, & procuratores in Ro. Cu. prouinciales, Priores, fratres, priorissas, & sorores ordinum prædictorum mendicantium, ac quosuis dictorum ordinum principales huiusmodi, ac eorum conuentus, monasteria, ecclesias, & loca quæcunque super præmissis in aliquo ipsisque impedientibus dantes auxilium, consilium, vel fauorem, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quouis quæsito colore, vel ingenio, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, ex nunc, prout extunc, & è contra, singulariter in singulis, præfata canonica monitione præmissa, & in dictas pœnas incidisse, & incurrisse, sententiam ferimus in his scriptis, & etiam promulgamus. Vobis vero (Reuerendiss. & Reuerendis PP. Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis dũtaxat exceptis, quibus ob reuerentiam vestrarum pontificalium dignitatum deferimus in hac parte) si contra præmissa, vel præmissorum aliquid feceritis, vel fieri mandaueritis, per vos vel submissas personas, publice, vel occulte, directe, vel indirecte quouis quæsito colore, vel ingenio, præfata canonica monitione præmissa, ingressum ecclesiæ interdicimus. Si vero huiusmodi interdictum per alios sex dies præfatos immediate sequentes sustinueritis, vos in his scriptis, simili canonica monitione præmissa, suspendimus à diuinis. Si vero per alios sex dies præfatos duodecim immediate sequentes interdicti, & suspensionis sententias, animo, quod absit, sustinueritis indurato, vos in his scriptis, simili canonica monitione prędmissa, excommunicationis sententia auctoritate apostolica innodamus. Cæterum cum ad executionem præmissorum vlterius faciendam nequeamus, quoad præsens personaliter interesse, pluribus aliis arduis Romana Curia, & alibi legitime præpediti negotiis, vniuersis, & singulis Dominis Prioribus, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Succentoribus, Thesaurariis, Sacristis, tam cathedralium, & Metropolitanarum, quam collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, seu Locatenen. eorundem, plebanis, viceplebanis, & archipresbyteris, Vicariis perpetuis, attaristis, capel-

lanis curatis, & non curatis, clericis, notariisque, & tabellionibus publicis, ac in dignitate ecclesiastica constitutis quibuscunque per singulas ciuitates, & diœceses vbilibet constitutis, & eorum cuilibet insolidum, super vlteriore executione dicti mandati apostolici, atque nostri facienda, dicta auctoritate apostolica, tenore præsentium plenarie committimus vices nostras, donec eas ad nos specialiter, & expresse duxerimus reuocandas. Quos nos etiam & eorum quemlibet insolidum requirimus, & monemus, primo, secundo, tertio, & peremptorie communiter, vel diuisim, ac eis, & eorum cuilibet, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub prædictis pecuniariis pœnis, quas in eos, & eorum quemlibet, nisi fecerint, quæ iubemus, ferimus in his scriptis, districtæ præcipiendo mandantes, quatenus infra sex dies, post præsentationem, seu notificationem præsentium, ac requisitionem eis, seu alteri eorum desuper factis, immediate sequen. quos dies ipsis, & eorum cuilibet duos ℔ primo, duos ℔ secundo, & duos reliquos ℔ tertio & peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus: ita tamen, quod in his exequendis alter alterum non expectet, nec vnus pro alio, seu per alium se excuset, ad vos omnes, & singulos suprascriptos, personasque & alia quæcunque, de quibus, vbi, quando, & quoties expediens fuerit personaliter accedant, seu accedat, præfatasque literas apostolicas, & hunc nostrum processum, ac omnia & singula in eis contenta, vobis omnibus, & singulis supradictis legant, intiment, insinuent, & fideliter publicari procurent. Ac eisdem Reuerendis. PP. Generalibus, & procuratoribus generalibus, in Romana Curia Prouincialibus, prioribus, fratribus, prioribus, sororibus, conuentibus, & monasteriis, domibus, & locis ordinum mendicantium quorumcunque prædictorum, super præmissis omnibus & singulis & in præinsertis literis contentis, & expressis efficacis defensionis præsidio assistent, faciant ipsos, & eorum

rum quemlibet, necnon eorum monasteria, ecclesias, & loca, ac bona quæcunque spiritualia, & temporalia, præmissis, ac in præinsertis literis apostolicis contentis, & expressis, in omnibus, & per omnia pacifice frui, & gaudere, non permittentes ipsos principales & eorum quemlibet, super contentis in eisdem præinsertis literis apostolicis, aut eorum aliquo, siue eorum occasione, per locorum ordinarios, aut quoscunque alios, tam ecclesiasticos, quam sæculares iudices, & personas, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, & quibuscunque etiam pontificali, etiam Cardinalatus præfulgeant honore, dignitate, vel auctoritate, etiam si apostolica fungantur, quomodolibet indebite molestari, perturbari, aut inquietari: contradictores quoslibet, & rebelles per censuram ecclesiasticam, & pœnas etiam pecuniarias, & alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo. Et nihilominus, si forte omnes, & singuli supradicti, quibus præsens noster processus dirigatur, aut quicunque alii, mandatis, & monitionibus nostris huiusmodi, immo verius apostolicis parere, & obedire recusauerint, seu illa adimplere neglexerint, nos ex tunc glorioſissimum Principem imperatorem, ac Christianissimos, Serenissimosque, & catholicos Reges, necnon Illustres DD. Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Gubernatores, cæterosque nobiles, per omnes mundi partes, regnaque omnia, & dominia, iurisdictionem temporalem, & ordinariam quomodolibet exercentes, eorumque officiales, seu locatenentes, & eorum quemlibet, ex parte eiusdem. S. D. N. Papæ requirimus, & ex nostra affectuose rogamus, quatenus infra sex dierum spatium post præsentationem, seu notificationem præinsertarum literarum apostolicarum, & præsentis nostri processus, ac requisitionem eis, seu eorum alicui, pro parte prælibati S. D. N. Papæ desu-

per factas, immediate sequentes, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus, omnes & singulos in præmissis inobedientes, & rebelles, qui sic iudicum censuram ecclesiasticam contempserint, per captionem, & incarcerationem corporum eorundem, & quemcunque alium modum canonicum de quibus eisdem dominis temporalibus, & eorum officialibus, seu locatenen. videbitur expedire, astringant: & alias ipsos inobedientes, & rebelles compellant, potentia brachij sæcularis, donec, & quousque ad obedientiam sanctæ Matris Ecclesiæ deuenerint, & processibus nostris antedictis paruerint, beneficium quoque absolutionis à præfatis nostris sententiis meruerint obtinere. Et generaliter omnia, & singula nobis in hac parte commissa, plenarie exequantur iuxta præinsertarum literarum apostolicarum vim, formam, continentiam, & tenorem. Ita tamen, quod dicti subdelegati nostri, nihil in præiudicium dictorum R.P. Generalium, procuratorum generalium in Ro. Cu. Prouincialium, Priorum, fratrum, Priorissarum, conuentuum, & monasteriorum, domorum, & locorum, & aliorum quorumcunque ordinum prædictorum principaliũ attẽtare valeãt quomodolibet, seu præsumãt in præmissis, nec in processibus pernos habitis, aut sẽtentiis per nos latis, absoluẽdo, vel suspendendo aliquid immutare. In cæteris autem, quæ eisdem Reuerendis, & religiosis principalibus, & eorum singulis nocere possunt, vel quomodolibet obesse, præfatis subdelegatis nostris potestatem omnimodam denegamus. Et si contingat nos super præmissis in aliquo procedere, de quo nobis potestatem omnimodam reseruamus, non intendimus propterea commissionem huiusmodi in aliquo reuocare, nisi de reuocatione ipsa specialem, & expressam in literis fecerimus mentionem. Præfatas vero literas apostolicas, & hunc nostrum processum, ac omnia, & singula

gula huiusmodi negotium tangentia, volumus penes dictos Reuerendos, & religiosos principales remanere, & non per vos, aut aliquem vestrum, seu quemcunque alium, ipsis inuitis, quomodolibet detineri. Contrarium vero faciendum præfatis nostris sententiis prout in his scriptis per nos latæ sunt, præfata sex dierum canonica monitione præmissa, ipso facto volũmus subiacere. Absolutionem vero omnium, & singulorũ, qui prædictas nostras sententias incurrerint quoquo modo, nobis, vel superiori nostro tantum modo reseruamus.

In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimoniũ præmissorũ psentes literas, siue hoc psens publicũ processus instrumentũ, exinde fieri, & p Notariũ publicum infrascriptũ subscribi, sigillique nostri, quo in talibus vtimur, iussimus, & fecimus impressione communiri. Datum, & actum Romæ in ædibus nostris sub anno à Natiuitate Domini 1569. indictione duodecima, die vero decimatertia Mensis Augusti. Pont. prælibati Sanct. in Christo patris, & domini nostri domini Pij diuina prouidentia Papæ V. anno quarto. Præsentibus ibidem discretis viris DD. Fabritio Galleto, & Pompeo Antonino eiusdem curiæ nostræ Notariis testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis, & rogatis.

Sanctissimi D.N.D. Pij Papæ V. Constitutio de extinctione officiorum Ministri, Vicarij, & visitatorũ generalis in ordine Fratrum Tertij ordinis Sancti Francisci, & de submissione huius ordinis Ministro generali, & Prouincialibus Fratrum Minorum de obseruantia, cum reformatione dicti Tertij ordinis, & eius Domorum vtriusque sexus.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

EA est officij nostri ratio, vt, cum de cæteris Ecclesiæ nobis cõmissæ ordinibus, vel in sua integritate continendis, vel ad institutum reuocandis cũram perpetuam capiamus, maiore tamen solicitudine eadẽ ipsa in Religiosorum sodalitatibus requirimus, quos ideo Altissimus in suum sibi sanctuarium segregauit, vt cæteros fideles viam doceant, qua & ipsi æternæ salutis beatitudinem consequantur, itaque inter cæteras Religiones fratrum quoque Tertij ordinis Sancti Francisci de Pœnitentia nuncupati in Congregatione viuentium, ac Tribus votis substantialibus astrictorum status, nos commouet, vt ad illum reformandum studia nostra conferamus, quando vel ex tam multis quæ bonæ memoriæ Rodulphus Episcopus Ostien. Cardinalis Carpensis nuncupatus dicti ordinis protector, Sedis Apostolicæ auctoritate fretus in reparenda horum disciplina præclare, & salubriter edidit, Religionem hanc parum admodum profeciſſe agnouimus. Proinde nos hac præcipua morbi causa ex priorum Præsidentium, & aliorum Ministrorum negligentia, vel insciti comperta, in communem dicti ordinis salutem alia ratione intenti, De nobis attributæ potestatis plenitudine officia Ministratus, & Visitatoris generalis dicti ordinis perpetuo extinguimus, & abolemus, ac Ministrum, Visitatorem, & Vicarium generalem eiusdem ordinis officio, vsu, & exercitio omnimode interdicimus, edictoque prohibemus, ne vllus posthac Minister, Vicarius, ac Visitator generalis de dicto ordine habeatur. Cæterum vt deinceps ordo ipse vtiliorum Rectorum consilio, & opera dirigatur, nos diuersorum etiam prædecessorum nostrorum ordinationes sequentes, vniuersos, & singulos Fratres, Sorores, Professos, & Conuersos, necnon Domos, Monasteria, & loca virorum, & mulierum, ac custodias, & prouincias per vniuersum orbem constitutas, gregemque ipsum vniuersum Tertij ordinis vtriusque sexus Generali, & Prouincialibus Ministris ordinis

dinis Fratrum minorum de obseruantia nuncupatorum, prout in eorum Prouinciis consistunt, ita perpetuo supponimus, vt Minister generalis in vniuerso ordine, Prouinciales vero ordinis minorum de obseruantia in suis quisque prouinciis plenum ius, liberamque auctoritatem, ac in spiritualibus, & temporalibus iurisdictionem omnimodam habeant, Domos omnes, ac Monesteria, & loca quæcunque, necnon personas vtriusque sexus, tam in capite, quam in membris visitandi, & corrigendi, vagantes, & quoscunque alios puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi, ordinibus, officiis, & administrationibus deponendi, excommunicandi, suspendendi, interdicẽdi, & restituendi, ac etiam super iis, & cæteris omnibus ordinem ipsum, illiusque domos, & personas vtriusque sexus, quomodolibet concernentibus, eorum tamen regulæ prædictæ, & sacris canonibus, ac præsentibus literis non contrariis statuendi, mutandi, innouandi, & exequendi, quemadmodũ illis est in suo proprio ordine attributum. Præcipimus igitur in virtute sanctæ obedientiæ vniuersis & singulis Fratribus, & Sororibus Tertij ordinis prædicti vbilibet constitutis, vt Generalem, & Prouinciales ministros ordinis fratrum minorũ de obseruantia, tanquam patres, & superiores suos, eorũque monita, & mandata humiliter, & deuote recipiãt, & re ipsa adimplere procurent, alioquin contradictores quoslibet, & rebelles sententiæ, censuræ, & pœnæ quos quisque ipsorum rite tulerit in eosdem ipso facto volumus subiacere. Pari quoque ratione eis Cardinalem protectorem fratrum de obseruantia in protectorem tribuimus, qui eam in eosdem omnes curã, & auctoritatẽ obtineat, quam alius quisq; plenissimè hucusq; cõperitur habuisse. Statuentes præterea, quòd futuris omnibus capitulis prouincialibus fratrũ Tertij ordinis huiusmodi pro Visitatorum prouincialium, & aliorum officiorum electione, fratrum diuisione, & salubri cuiusque Prouinciæ directione annis singulis

celebrandis, aut Generalis, aut eius Commissarius, aut in cuius prouincia capitulum illorum habebitur, Prouincialis minister ordinis minorum de obseruantia huiusmodi semper præsideat, aliter vero celebrata, ac omnia in eis decreta pro irritis habeantur. In ipsis autem Capitulis prouincialibus Visitatorum prouincialiũ electio de idoneis fratribus Tertij ordinis huiusmodi per secreta suffragia, & alias eo modo, quo de fratrum minorum de obseruantia prouincialibus celebretur, celebrata per Ministrum generalem prædictum ante omnia confirmetur. Hæc vero officia Annalia duntaxat esse, & in singulis capitulis prouincialibus prædictis resignari debeant, ita vt lapso primo anno, illa vacare censeantur. Poterunt tamen ipsimet Visitatores prouinciales rursus in sequentem annum, & finito, etiam in tertium, si idonei reperientur, eodem modo eligi & confirmari, sed omnes suis huiusmodi officiis quandocunque perfuncti, demum ad illa nisi transacto Sexennio, nequeant reuocari. Cæterum omnes & singuli fratres, & sorores Tertij ordinis huiusmodi in sua quisque prouincia visitatori suo tanquam Superiori in omnibus, quæ suis regularibus institutis non aduersantur, obediant. Omnes vero Visitatores prouinciales huiusmodi sic electi tanquam vices gerentes Ministrorum prouincialium ordinis fratrum minorum de obseruantia, & illis subditi prædicandi, & docendi munus in singulis vtriusque sexus domibus, conuentibus, & locis suæ cuiusque prouinciæ obire, eamque in sibi subditos fratres, & sorores iurisdictionem, quam ipsimet Ministri prouinciales ordinis minorum de obseruantia obtinent, in omnibus, & per omnia exercere, ac quandocunque opus erit confessiones omnium, & singulorum fratrum, & sororum Tertij ordinis huiusmodi per se, vel alios suæ regulæ sacerdotes idoneos audire, illosque ab omnibus, & singulis sententiis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, necnon peccatis, criminibus, & delictis, dummodo talia non sint, propter quæ Sedes apostolica merito consulenda foret, in foro conscientiæ dumtaxat absoluere, & pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, ac cum Clericis, & Presbyteris eius ordinis super irregularitate, si quam sententiis, & censuris huiusmodi illaqueati, missas, & alia diuina officia, non tamen in contemptum, clauium, celebrauerint, vel alias sese illis immiscendo cõtraxerint, dispensare libere, & licite valeant. Ad hæc nullus omnino fratrum, & sororum tertij ordinis huiusmodi, qui prædicta tria vota substantialia fecerint, etiam prætextu quorumcunque priuilegiorum, dispensationum, indultorum, permissionum apostolicorum, aut etiam inueteratæ consuetudinis voto repugnantis, seu quacunque alia causa proprium quicquam aut priuatum liceat obtinere, sed omnia etiam priuatim, ac intuitu cuiuscunque personę donata, oblata, & concessa vbique communia, & indiuisa omnibus Religiosis esse debeant. Quicunque vero pecuniam, aut aliam rem qualemcunque sibi quacunque causa concessam prælato suo celauerit, furti reus censeatur, & tanquam fur puniatur. Eam tamen diligentiam superior cuiusque domus adhibeat, vt de communi ipsius domus singulis iuxta exigentiam consulatur. Præterea Sorores dicti tertij ordinis in communi in domibus, monasteriis, vel hospitalibus, aut alia congregatione viuentes, & dicta tria vota substantialia Religionis emittentes sub perpetua clausura maneant. Nullusque frater, aut confessor earum, vel quicunque prælatus ad domos, monasteria, vel alia loca sororum huiusmodi in communi, & collegialiter viuentium, nisi quibus ex officio incumbit, & in casibus necessariis à iure permissis, & tunc cum vno, vel duobus sociis proiectis, & honestis ingredi audeat, qui secus fecerit, carceribus mancipetur, omnibusque administrationibus, & officiis deponatur. Ipsarum vero sororum & omnes alij Confessores, & sacri Concionatores, per Generalem, vel prouincialem ministrum

approbentur. In cæteris autē omnibus quæ ad religiosam vitā pertinent, illa prædicti fratres, & sorores tertij ordinis obseruare teneantur, quæ à prædicto Rodulpho Episcopo, & protectore vigesima octaua Aprilis, Anni Domini millesimi quingentesimi quadragesimi noni fuerunt ordinata, substantiam totius huiusmodi regulæ maxime continentia, quam fœlicis recordationis Nicolaus PP. iiij. prædecessor noster ad incrementū fidei catholicæ approbauit, ita tamen vt præsentibus nullatenus aduersentur, quæcunque vero dubia in eis contigerit exoriri, illa omnia Generalis & prouinciales ministri ordinis minorum huiusmodi debeant declarare, quorū declarationi, & determinationi eorum regulæ, & præsentibus non contrariæ stari debeat. Ac decernentes præsentes literas de surreptionis, vel obreptionis vitio seu intentionis nostræ defectu nullo vnquam tempore notari, seu impugnari posse, aut debere, nec aduersus eas, & in eis contenta quæcunque restitutionem in integrum, aut reductionem ad terminos Iuris, vel aliud quodcunque gratiæ, seu iustitiæ remedium quisquam impetrare, vel etiam ab aliis impetrato, aut Motu proprio concesso vti valeat ex quauis causa quantumlibet rationabili, ac omnia, & singula præmissa aliquibus eiusmodi ordinis statutorum, aut quibusuis aliis reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus generalibus, vel specialibus per quoscunque Roman. Pontifices successores nostros pro tempore factis non comprehendantur, sed semper ab illis excepta sint, Sicq; per quoscunque Iudices quauis auctoritate fungentes, etiā causarum Palatij apost. Auditores, ac S.R.E. Card. etiā de Latere Legatos in quauis causa, & instātia, sublata eis, & eorū cuilibet quauis aliter iudicādi, & interpretādi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debeat: Necnon irritū, & inane quicquid secus super iis per quoscūq; quauis auctoritate etiā prextū priuilegiorū, facultatū, dispensationū, & indultorū apostolicorū, q̄ quoad hoc penit. abo-

abolemus, aut quouis alio quæsito colore scienter vel ignoranter contigerit attentari. Insuper vniuersis, & singulis fratribus, & sororibus tertij ordinis huiusmodi, eorumq; domibus, monasteriis, & locis omnia, & singula priuilegia, indulgentias, dispensationes, & indulta apostolica fratribus, & sororibus dicti ordinis minorū de obseruantia, etiam quoad Sacramentorū ecclesiasticorū administratione & receptione quomodolibet concessa, & cōcedenda quæcunq; sint, & fuerint, præsentibus tamen non repugnantia, ita vt illis omnibus, & singulis pariformiter, & æque principaliter vti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, concedimus, & indulgemus. Cæterum omnibus & singulis fratribus, & sororibus tertij ordinis huiusmodi districtius iniungimus, vt præsentes nostras literas humiliter recipiant, & quæcunque in eis expressa, ac per eas statuta, decreta, & mandata sunt, alia desuper à nobis non expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione firmiter custodiant, & in omnibus studiose obedire procurent. Quin etiam dilectis filiis nostris Carolo tt. S. Praxedis Presbytero Cardinali Borromeo nuncupato dicti ordinis protectori, & illius Ministro generali per apostolica scripta mandamus, vt ipsi, vel eorum alter easdem præsentes, ac quicquid pro earum executione, & obseruatione in dictis futuris capitulis prouincialibus, vel etiam extra illa ab generali, & prouincialibus ministris ordinis fratrum minorum de obseruantia huiusmodi statuetur, ordinabitur, & decernetur, in omnibus domibus, monasteriis, & locis virorum, & mulierum, ac ab omnibus, & singulis fratribus, & sororibus tertij ordinis huiusmodi inuiolate faciant per se, vel alium, seu alios obseruari, Contradictores quoslibet, & rebelles, ac etiam protestantes, & reclamantes, eisque auxilium, consilium, vel fauorem publice, vel occulte, directe, vel indirecte quouis quæsito colore, vel ingenio præstantes tam ecclesiasticos quam Laicos cuiuscunque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint,

per

per sentẽtias,cẽsuras,& pœnas ecclesiasticas cæteraſq; iuris,& facti remedia opportuna appellatione postpo sita, compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus,sententias,cesuras, & pœnas predictas etiam iteratis vicibus aggrauando,inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quæsito, & piæ mem. Bonifacij P P. viij. etiam prædecessoris nostri de vna,& in Concilio generali edita de duabus dictis,aliisque Constitutionibus,& ordinationibus apostolicis. Necnon tertij ordinis illiusque domorum, & etiam mulierum monasteriorum prædictorum iuramento,confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis,& consuetudinibus, priuilegiis quoque,indultis,& literis apostolicis illis,eorũque superioribus, & personis, ac eorum singulis per quoscunque Romanos Pont. Prædecessores nostros, ac nos, & Sedem apostol. etiam per modum statuti perpetui, ac initi : & stipulati contractus, ac alias sub quibuscunque tenoribus,& formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, & in specie concessis, confirmatis, ac etiam aliis reformationibus quotiescunque,ac quocũque tempore factis, & promulgatis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis,ac quibuslibet aliis indulgentiis, & exemptionibus apostolicis specialibus,& generalibus quorumcunque tenorum existant,per quæ præsentibus nõ expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quæ omnia contra earundem præsentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Per prædicta tamen non intendimus reformationi fratrũ, & sororum Tertij ordinis homini in Hispaniarum Regnis constitutis in aliquo præiudicare, quo minus literæ nostræ desuper editæ, & quæcunque illarum vigore pro rerum,locorum, & personarum qualitate, & exigentia facta sunt præsentibus non conformia

pos

Possint quoquo modo impediri, vel retractari. Denique volumus,quòd ipsarum præsentium exempla etiã impressa, dictique pro tempore existentis Protectoris, aut Ministri generalis, vel prouincialis sigillo, & Secretarij cuiusuis eorum, vel Notarij publici manu obsignata eandem illam fidem vbique locorum in iudicio,& extra illud faciant,quam ipsæ præsentes, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ extinctionis,abolitionis,prohibitionis, suppositionis,tributionis, concessionis,interdicti,statuti,indulti,præcepti, decreti, mandati,iniũctionis,intentionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit,indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum,anno incarnationis Dominicæ 1568. 5. Non. Iulij. Pont. nostri anno 3.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Sanctiss. D. N. D. Pij Papæ Quinti, Extensio Constitutionis Bonifacij Papæ viij. quæ incipit Fælicis, ad scientes & non reuelantes eos, qui offendunt. S. R. E. Cardinales.

PIVS *Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

INfelicis seculi pericula miserati, dolorem comprimere non valemus,quod nefarij homines,iustorum sanguinem sitientes, ad illorum quoq; perniciem infestiore animo incumbant, quos Spiritus sanctus mẽbra constituit præcipua Ecclesiæ Dei, quam suo sibi sanguine acquisiuit. Magna igitur ratione post alios fel. recor. Bonifacius PP. viij. de fratrum suorum consilio, perpetua constitutione sanciuit, vt, si quis S. R. E. Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, aut percusserit, aut ceperit, aut mandauerit id fieri, sociusue fuerit

rit facientis, factumue ratum habuerit, seu dederit cõsilium, vel fauorem, aut receptauerit, aut defenderit scienter eundem, tanquam læsæ maiestatis reus, perpetuo sit infamis: & præterea diffidatus, bannitus, & intestabilis: Omnia eius ædificia ruinæ perpetuæ subiaceant, nullus ei debita reddere, nullus ei in iudicio respondere teneatur, bonis omnibus fisco, vel reipublicæ applicatis: Idem etiam feudis, beneficiis, & officiis spiritualibus, & temporalibus sit ipso iure priuatus, sed & ipse infectans excommunicationis sententiam incurrat, quam solus Ro. Pont. excepto mortis articulo, valeat relaxare. Sed ne hæc quidem constitutio, propter abdita conscelcratorum consilia, omnino satis esse noscitur ad huiusmodi sacrilegia amplius prohibenda. Qui enim alicui vim inferre sibi proponunt, id secreto, in occulto vt maxime machinantur: veluti impium illud facinus indicat, in personam dilecti filij nostri Caroli tituli sanctæ Praxedis presbyteri Cardinalis Borromæi Ecclesiã Mediolanensem sanctissimis institutis studiose informantis proxime attentatum. Quæ res nos grauius commouet, vehementiusque excitat omnia equirere, vt nobilissimæ corporis nostri partes vndique protegantur. Quibus enim præsidio erimus, quibus suppetias afferemus, quos denique tutabimur, si templi Dei bases, si clarissima Ecclesiæ lumina, si speciales filios, qui pro animabus populorũ, pro fidei, pro iustitia, pro vnitate peruigilant, inultos deseramus? Itaque sanctioni prædictæ de simili fratrum nostrorum consilio adiicientes, Statuimus, vt quisquis, etiam à nudo consilio, aut simplici fauore, aut omnino à cæteris p̃dictis alienus, quempiam, aut horum administrorum, vel conscio-
rum coniurationis, siue conspirationis, aut commissi, committendiue criminis in personam Cardinalis, illorumue fautorum, receptorum, vel occultatorũ, siue ex renunciatione sibi protinus, vel per interpositam personam, aut literas facta, cognouerit, siue ex scriptu-
ris, cœtu, conatu, concursu, insidiis, aliisue signis, & indiciis

diciis qualemcunque scientiam habuerit, vel etiam coniecerit, quiue horum quicquam intellexerit, quãtumcunque res alias occulta sit, quamprimum id Ro. Pont. si in curia fuerit, sin autem ordinario loci, vel si Cardinalis ipse ordinarius extiterit, propinquiori Episcopo: &, si crimen nondum commissum fuerit, etiam ipsi Cardinali properet reuelare. Quicunque vero etiam non subditus, & omnino extraneus defecerit, cuiuscunque dignitatis fuerit, prædicto sit excommunicationis laqueo innodatus, pariterq; maiestatis reus infamiam, & omnes pœnas prædictas eo ipso incurrat. Eadem nihilominus cõstitutione quo ad reliquas eius partes, ac cæteris omnibus sanctionibus canonicis, & ciuilibus, ad talium coercionem editis, in suo robore duraturis. Porrò si quis ad sanitatẽ reuertens, rẽ adhuc incognitam retexerit, omni noxa penitus liberetur. Cæterũ loci ordinarius secreto curet casum ad se delatum, prædicto Pontifici primo quoque tẽpore nuntiare, & interim rem omnem ab stirpe exquirere, &, si necessitas tunc postulet, seculare quoq; brachiũ adhibere. Sed ne quisquam horum ignorationẽ valeat excusare, iubemus præsentes valuis Ecclesiæ sancti Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vbi publicabuntur, appendi, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui, & ea pariter ab omnibus locorum ordinariis in suis ecclesiis, locisque insignibus promulgari. Quia vero difficile nimis esset ipsas præsentes, quocunque illis opus erit, perferre, Volumus earum exempla etiam impressa, Notarij publici manu, & Prælati ecclesiastici, eiusue curiæ sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbique gentium facere, quam ipsæmet præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ adiectionis, statuti, iussionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum

torum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. Dat. Romę apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quartodecimo Kal. Ianuarij. Pontificatus nostri anno quarto.

Ego Pius V. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

†Ego Io. Car Moronus Eps. Portuẽ.
†Ego Christo. Card. Madruc. Eps. præ.
†Otho Turches. Eps. Card. Alban.
†Ego A. Card. Farnesi. Episcopus Tusc. Vic.
†Io. B. Cicada Episcopus Sab. Car. S. Clement.
†Ego Iulius Card. Vrbinus.
†Ego Io. Car. Policianus.
†Scipio Cardinalis Pisarum.
†Ego Ia. Cardinalis Sabellius.
†Ego Io. Ant. Cardinalis S. Georgij.
†Ego Phi. Card. Burdesius.
†Ego Ant. Card. Granuelanus.
†Ego F. Cardinalis Paciecco de Tol.
†Ego M. Ant. Car. Amulius.
†Ego Hieronym. Card. de Corrigio.
†Ego Franciscus Card. de Gambara.
†Ego Hip. Card. Ferrarien.
†Ego Ind. de Aualos Card. Aragonia.
†Ego P. Card. de Sancta cruce.
†Ego Z. Card. Delphi.
†Ego Ioan. Franc. Card. Comendo.
†Ego Marc. Anto. Card. Bobba.
†Ego Hug. Boncompag. Card. S. Sixti.
†Ego Alexand. Card. Sfortia.
†Ego Flauius Card. Vrsinus.
†Ego Alexand. Card. Cribellus.

†Ego

†Ego Guid. Card. Vercellen.
†Ego B. Card. Lomellinus.
†Ego Gulielmus Cardi. Sirletus.
†Ego F. M. Cardinalis Alex. Came.
†Ego F. Cardinalis Alciatus.
†Ego Hiero. Cardi. Simoncellus.
†Ego Ferd. Cardinalis de Medicis.
†Io. Paulus Cardina. ab Ecclesia.
†A. Cardin. Carafa.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1570. indictione xiij. Die v. Ianuarij, Pontific. sanctissimi in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papę quinti, retroscriptæ literæ affixę, & publicatæ fuerunt ad valuas ecclesiæ sancti Ioannis Lateranensis, & basilicæ Principis apostolorum de Vrbe, Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Floræ vt moris est, per nos Iulium Parinum, & Io. Bornotum. S.D.N. Papæ Cursores, dimissis in omnibus supradictis locis earundem literarum copijs impressis affixis.

Io. Gerardi Mag. Cur.

Constitutio S.D.N. Pij PP. V. Ne in populoribus cõcionibus disputetur de Conceptione gloriosæ Dei genitricis Mariæ, qua & inuocantur quæ desuper per se. recor. Sixtum Papam 4. & sacrum Concilium Tridentinum statuta, fuerũt.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SVper speculam Domini, viribus licet exiguis, constituti, prophetæ solicitudinem imitantes, die, nocteque ad diuersos Ecclesiæ status nostræ mentis aciem intendimus studiose prouidentes, vt communi Domino ab omnibus gradibus fideliter seruiatur, ab illis maxime, quibus digniora ministeria diuini Spiri-

tus fauore credita sunt, inter quos diuini verbi prædicatores adnumerãdos esse nemo dubitare poterit, qui si eorum munus ab ipso Domino consecratum, apostolicis præcipue iniunctum fuisse animaduerterent, qui si adepto gradu digne fungerentur, euangelizantes pacem, annunciantes bona, prædicantes salutem, non solum vox eorum dulcis, verum & spetiosi pedes viderentur, & fraternæ salutis vberes fructus referentes, multam fiduciam haberent in die Domini. Verum quod neque sine animi dolore accepimus, necre ferre possumus, quidam diuersorum ordinum regulares, Clericique sæculares, omissis quæ diuinæ maiestatis gloriam, & sanctissimæ Dei genitricis, aliorumque diuorum venerationem, atque fidelium pietatem, promouere poterant, quod Apostolus in quibusdam arguit, languent circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, & contentiones, cæteraque vitiorum monstra, potissimum verò cum de gloriosæ Virginis Matiæ Conceptione sermo incidertit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis dogmatibus esset, quæ corde credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud prophetæ conuenire videtur, dicunt, ait Dominus, cum ego non sim locutus, cum Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra, & doctrix disciplinæ de ea re hucusque nõ diffinierit, nemo absque temeritate, præiudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest, & quasi desint præclarissima inuentricis gratiæ merita, quæ angelica quidem lingua saris digne referri non possunt, & cũ ex illo vberrimo fonte, puteoque aquarum viuentium, non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus, magna cum vtilitate atque dulcedine, reficeretur, ad dissipatas Cisternas occurrunt, stultas scilicet, sine disciplina quæstiones, quæ generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, vtiliter percipere valent, presertim quoniam vt experimento didicimus ipsorum concionatorum ad

ad quæstiões huiusmodi proponendas facilius erumpere solent, maior numerus materiæ difficultatem prorsus ignorantes, neque intelligentes, quæ loquuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos, indiscretæ deuotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostẽtationis effectu, ad tumultus, & simultates concitant, quos tumultuantes, atque dissidentes componere, sedareque potius oportebat. Cumque paruulis in Christo lac infundere, prouectis solidum cibum apponere deberent, dum in huiusmodi controuersiis interminatis versantur, omnibus vbera proferunt arentia, quod non absque maledictionis nota legimus in Propheta. Nos igitur, qui prædecessorum nostrorum saluberrima decreta pro viribus salua esse cupimus, potissimum illa, quæ sacrosancta synodo Tridentina denuo sunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis piam, vel magis probabilem esse iudicauerit. Prædictorum igitur, concionatorum, alioru mque contentioni, atque temeritati, populorumq; scandalis occurere studentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra sciẽtia, ac de Apostolicę potestatis plenitudine, statutũ fel. re. Sixti 4. pdecessoris nostri, super ea re, quod à præfata synodo innouatum est (illud præsentibus, ac si de verdo ad verbum esset inserti, pro plene & sufficienter expresso, & inserto haben tes) Apostolica authoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, atque vt deinceps efficacius à cunctis obseruetur, perpetuo statuimus, & ordinamus, ac per apostolica scripta mandamus, quatenus nemo cuiuscunque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel vbicunque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare, rationibus, vel doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa questione, cuius-

uis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumat. Qui contra fecerit, ſuſpenſionis pœnam à diuinis abſque noua declaratione ipſo facto incurrat, ſi modo fuerit in ſacris conſtitutus, & quocunque præterea gradu, ſiue dignitate, vel adminiſtratione fungatur, illiis omnibus ſit ipſo iure priuatus, & ad eadem, vel ſimilia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis cenſuræ ipſo etiam facto ſit obnoxius, ſuper quibus niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente diſpenſari, ſiue abſolui non poſſit. Et nihilominus aliis pœnis, ſi opus fuerit, à proprio prælato pro delicti menſura infligendis ſubiiciatur, prout ſubiicimus. Cæterum quamdiu per apoſtolicam ſedem altera pars diffinita non fuerit, oppoſitaque ſententia condemnata, liceat viris doctis in publicis Academiæ diſputationibus, ſiue generalium, aut Prouincialium Capitulorum, vel vbi alias interſunt, qui rem capere poſſũt, nec ſcandali vlla ſubeſt occaſio, de illa quæſtione diſſerere, & argumentis vtramlibet partem, vel aſſerere, vel impugnare, dum tamen neutra, veluti erronea præiudicetur, ſeruenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto prædeceſſore noſtro ſtatuta ſunt, quorum ſingula, vt præfertur, etiam quantum ad alias pœnas, duximus innouanda, & innouamus per præſentes. Vt autem hæc noſtra Conſtitutio, & præmiſſa omnia ad eorum omnium, quorum intereſt, notitiam congruentius peruenire poſſint, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu eccleſiæ etiam eo ipſo incurrenda, ſi in his, quæ mandamus exequendis ſe negligentes exhibuerint, præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis locorum ordinariis, ac eorundem Vicariis, ſuffraganeis, & officialibus quibuſcunque, & aliis ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat, & pertinet, quatenus huiuſmodi noſtram conſtitutionem ſingulis ſuæ diœceſis, vel diſtrictus Prædicatoribus, & aliis quibus expedire iudicauerint, opportune inſinuent, & publicent, ac inſinuari & publicari faciant.

Et ne quis in poſterum quoquomodo ignorantiam de præmiſſis poſſit prætendere, aut ſe contra præmiſſa valeat excuſare, Volumus, & ſimiliter eadem authoritate decernimus; & mandamus, quòd præſentes literæ per aliquos ex noſtris Curſoribus in Baſilicã ſancti Ioannis Lateranenſis, ac principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicę valuis, ac in acie Campi Florę de Vrbe de more publicentur, & affigantur, & illis inde amotis remaneant in eiſdem locis earundem exempla affixa, quæ publicatio, & affixio, ita omnes, ad quos ſpectat, afficiat, & arctet, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſuis indultis, & literis apoſtolicis, quibuſuis perſonis etiam quantumcunque qualificatis, & in quacunque etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali, & quauis alia dignitate, & honore conſtitutis, etiam quod interdici, ſuſpendi vel excõmunicari nequeant, quomodolibet conceſſis, quæ eis contra præmiſſa in aliquo ſuffragari non poſſe decernimus. Cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus inſuper, & decernimus, quòd præſentes vim perpetuę, & irrefragabilis cõſtitutionis obtineãt, & quod illarum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus literis adhiberetur, ſi oſtenſæ, vel exhibitæ forent, Regula Cancellariæ noſtræ Apoſtolicæ quacũque in contrarium diſponerẽt, non obſtante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, ſtatuti, ordinationis, mandati, ſubiectionis, innouationis, præcepti, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo,

pridie kal. Decembris, Pōtificatus nostri anno quinto.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1570. indictione xiij. Die verò septima mensis Decembris, Pontifica. sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ quinti, anno quinto, retroscriptæ literæ apostolicæ affixę, & publicatæ fuerūt in basilicarū sancti Ioannis Lateranensis, & Principis apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ apostolicæ valuis & aciæ Campi Florę dimissis illarum copiis affixis per nos Ioannem Andream Panizzam, & Petrum Aloysium Gaytam, prælibati S.D.N. Papæ Curs.

Camillus Cherubinus Mag. Cur.

Sanctiss. D. N. D. Pij Papæ V. Indictio subsidij cccc. Millium scutorum super bonis xij congregationum pro expeditione contra Turcas.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

IN his extremis Reipublicæ afflictionibus, quibus impius Turcarum tyrannus Christianorum sanguinem sitiens, Nicosia misere expugnata, Cypro vastata, crebris iam excursionibus in ditionem Venetorum factis, sese ad reliquarum partium excidia comparat, iamque nostris ceruicibus imminet, omnia omni ope enitimur, vt ad prohibendam illius feritatem, ac simul defendendos prædictos Venetos quam maximi possunt ad bellum apparatus, præpropere fiant, vt obuiam tempori prodeatur, eiusque rei causa dum classis nostra sedulo instruitur, & copiæ conscribuntur, vos eadem opera cum charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico, & ipsis Venetis fœdus inire, atque firmare contendimus, quo singulorum viribus in vnum collatis, sæua furentis-

ho stis rabies, improbique conatus, Christo Iesu populo propitio, quem redemit, fortiter reprimantur. Quę, & alia multa pro nostra, reique publicæ tutela etiam aduersus alias ei impendentes calamitates, cum subire necesse sit, acribus, & assiduis vexamur curis, qua ope, quibus neruis tot tantaque onera sustententur. Ita enim alia super alia subsidia, quæ Principibus Christianis cum rebus suis, tum pro fide periclitantibus, subministrauimus, grauissimi item sumptus, quos in bello Gallico contra hæreticos, pro defensione Auinionis, pro tutela oræ maritimæ, cæterarumque munitionum nostrarum, & proxime pro classe nostra ad Cyprum missa, aliisque multis causis fecimus, Cameram nostram comminuerunt, ita res Cleri, & ditionis nostrę attriuerunt, vt nullus iam locus videatur relictus, qui noua nunc tributa conferre possit. His solicitudinibus vehementer constricti, post alias, atque alias cogitationes, denique instituimus, vt in hoc communi omnium periculo de opulentioribus Religiosorum societatibus præsens qualecunque auxilium conquiratur. Habita itaque super his cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio, & assensu, deque nobis attributæ potestatis plenitudine indicimus, atque imponimus hac vna sola vice tantum subsidium Quadringentorum millium scutorum auri in auro super omnibus bonis, proprietatibus, fructibus, reditibus, decimis, censibus, & aliis iuribus congregationum Cassinen. alias sanctæ Iustinæ de Padua, Lateranen. Montis Oliueti, Camaldulen. etiam quoad Eremitas Camaldulen. & Montis coronæ, Carthusien. sancti Saluatoris, Vallis Vmbrosæ, sancti Georgij in Alga, cælestinorum, Cistercien. Lombardiæ, Cruciferorum, & sancti Hieronymi, eorumque Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Beneficiorum, & Officiorum cum cura, & sine cura, necnon mensarum, membrorum, grangiarum, & locorum omnium illis annexorum vbicunque existentium per ipsarum congregationum

Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Conuentus, Capitula, & personas, æquata inter ipsos instar quartæ partis quam soluunt fructuum suorũ collatione, Thesaurario nostro generali Romæ illorum periculis, & impensis, & alias quemadmodum inter dilectũ filium nostrum (quem ad hoc Commissarium, & procuratorem nostrum cum omnibus, & quibuscunque priuilegiis, iurisdictionibus, & iuribus, quæ omnes alij ante hac Commissarij, & Procuratores huiusmodi habuerunt, quibusque vti, & gaudere potuerunt:) constituimus, & illos, siue illorum procuratores conuenier, integre persoluendum. Decernentes eos omnes ad præstationem, & solutionem subsidij prædicti secundum collationem huiusmodi faciendam esse efficaciter obligatos, tametsi bona, proprietates, fructus, & alia omnia suprascripta, quarta ipsa, nec non decimis, subsidiis, & aliis multis, & maximis oneribus sint grauata. Quocirca prædicto Aloysio Cardinali Camerario, & commissario nostro plenam, liberam, omnimodam, & absolutam potestatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus congregationes, necnõ Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, & alios prædictos tã coniunctim quam diuisim ad integram præstationem, & solutionem subsidij prædicti iuxta formam indictionis, & impositionis huiusmodi faciẽdam, etiam per edictum locis publicis affigendum monendi, & requirẽdi, cum illis, eorumque procuratoribus conueniendi, deque modis, & cautionibus solutionis prædictæ, & aliis hoc negotiũ concernentibus paciscendi, obligationes, promissiones & fideiussiones exigendi, & vicissim præstandi, contractus super his necessarios etiam nostro, & Cameræ prædictæ nomine stipulandi, & celebrandi, & secundũ illa, necnon præsentes subsidium ipsum procurandi, contumaces, non respondentes, aut deficientes Conuentus, & Cõgregationes interdicto ecclesiastico supponendi, & singulares personas excommunicationis sententia feriẽdi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum etiam manu regia apprehendi, & vsque ad condignam

condignam satisfactionem retinendi, redeuntes, & obedientes absoluendi, super irregularitate propterea contracta dispensandi, & ad priistinum statum restituendi, vices suas siue totas, siue in parte alij vel aliis idoneis citra absolutionem, dispensationem, & restitutionem delegandi, cæteraque in prædictis, & circa ea necessaria, & opportuna faciendi & exequendi, etiam si talia forent, quę mandatum exigerent magis speciale quam præsentibus est expressum. Non obstantibus fœ. rec. Bonifacij Papæ viij. de vna, & in concilio generali edita de duabus dietis, ac aliis apostolicis constitutionibus, necnon congregationum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarũ, cõuentuum, & ordinum, prædictorum iuramẽto, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinib⁹, seu quod superioribus, abbatibus, prioribus, præpositis, conuentibus, & personis prædictis, vel quibuscunque aliis communiter vel diuisim à prædicta sit sede indultum, quod ad præstationem, vel solutionem cuiuscunque subsidij, aut alterius oneris quacunque causa imposita, minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, exemptionibus, & indultis apostolicis supradictis Congregationibus, Superioribus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Monasterijs, conuentibus, & ordinibus per quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & sedem prædictam etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, ac alias sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutiuis, annullatiuis, derogatoriarum derogatorijs, alijsq; fortioribus, fortissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine, necnon consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instãtiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, maturoque

consilio super his in consistorio habito, ac pro conseruatione status religionum, & alias tam in genere, quã in specie quomodolibet concessis, & sæpius confirmatis, approbatis, extensis, & moderatis, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda esset in nostris literis mentio specialis, quæ omnia, in quantum præmissis obesse, aut illorum executionem, & effectum retardare possent, omnino tollimus, & abrogamus, quodque bona, res, & iura supradicta vniuersa, & singula, quarta, decimis, & aliis notabilibus grauaminibus onerata sint, cæterisque contrariis quibuscunque. Cæterum quia difficile nimis esset præsentes quocumque illis opus erit perferre, volumus vt earum exemplis etiam impressis, notarij publici manu, & prædicti Aloysij Cardinalis Camerarij, & Commissarij sigillo obsignatis, eadem illa prorsus fides in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ institutionis, indictionis, impositionis, constitutionis, decreti, tributionis, ablationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit, incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1570. Quartodecimo Cal. Aprilis, Pontificatus nostri, anno sexto.

Ego

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



†Ioan. Cardin. Moronus Episcop. Ostiensis.
†Ego Christ. Mad. Card. Trid. Episc. Por.
†Ego Otho Truchses. Episc. Card. Prænestin. Augustanus.
†Ego Ioan. Card. Episc. Alban.
†Scipio Card. Pisarum.
†Ego Ioan. Anto. Card. S. Georgij.
†Aloy. Cor. Card. Camerarius.
†Ego Ant. Card. Granuelanus.
†Stani. Card. Vuarmien.
†Ego F. Card. Pachecco.
†Ego M. Ant. Card. Amulius.
†Ego A. Card. Gesualdus.
†Ego N. Card. de Sermoneta.
†Ego Ind. de Aualos Card. Aragonia.
†Ego Ptol. Card. Comensis.
†Ego P. Card. de Sancta cruce.
†Ego Marcus Ant. Card. Bobba.
†Hugo Boncompag. Card. S. Sixti.
†Ego Flauius Card. Vrsinus.

†Alex.

†Alex. Card. Cribellus.
†Ego Guliel. Card. Sirletus.
†F. Hierony. Card. de Clarauelle.
†Ego Pa. Card. ab Eccleſia.
†Ego M. Ant. Card. Maffeus.
†Ego Iul. Ant. Card. S. Seuerinæ.
†P. Card. Cæſius.
†C. Card. Rambollietus.
†F. A. Card. Theanenſis.
†Ego F. Fœlix Card. de Monte alto.
†Ego P. Cardinalis Placentin.
†Ego Ioan. Card. Aldobrandinus.
†Ego F. Vincentius Card. Iuſtinia.
†Ego Hier. Card. Ruſticutius.
†Ego Ioan. Hiero. Card. Albanus.
†Ego Hier. Card. Simoncellus.
†Ego Fer. Card. de Medicis.
†Iul. Card. de Aquauiua.

Cæ. Glorierius.
A. de Alexiis.

Sanctiſſ. D. N. Pij Papæ V. Abolitio quarundam literarum ſuper certis facultatibus, & indulgentijs publicatarum. Et prohibitio ſimilium ad quoſcunque in futurum.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QVam plenum ſit periculi, noxia populis ingerere, nimium his temporibus afflicta religio teſtatur, quod malum cum in cæteris miniſtris, tum præcipue in eccleſiarum Prælatis animaduertendum eſt, quod ab his temere profecta longe maxima eccleſiæ Dei conferant detrimenta. Rem ſane indignam audiuimus, quod non ſolum quondam Gometius Tello Giron temporarius adminiſtrator eccleſiæ Toletanæ, ſed

ſed etiam quidam Hiſpaniæ Eccleſiarum Præſules officij paterni prætextu facultates ſibi à ſacris canonibus conceſſas excedentes, literas ſuas in ipſorum ciuitatibus, ac diœceſibus auſi ſunt publicare, quibus inter cætera periculoſa deprehenditur: quod cuicunque illas accipienti, certa ſoluta pecunia, licitum ſit, quem voluerit ſibi ſumere ſacerdotem, qui, confeſſione audita, ipſũ abſoluere valeat, nõ in eis tantũ caſib⁹ in quibus ſimplex ſacerdos abſoluere poteſt, ſed etiã in iis, quę ſolis epiſcopis reſeruata reperiũtur, aliquo pterea caſu admiſto, veluti ſimoniæ reatu, qui ad examen huius ſanctæ Sedis eſſet referendus. Non animaduertentes ipſi Præſules, & Adminiſtratores quam periculoſum ſit ea paſſim incertis perſonis committere, quæ ad Epiſcoporum iudicium, arbitriumque idcirco deferuntur, vt qui melius lepram à lepra diſcernere norint, cauſis, & circunſtantiis ſubtili indagine exploratis, ſalutaria cuique morbo remedia valeant adhibere. Adhæc ipſi in diſpenſandis cœleſtis gratiæ donis nimium prodigi, iis ſic literas prædictas accipientibus, indulgentias, & pœnitentiarum iniunctarũ remiſſiones nulla cum re temporali conferendas, profuſius, & indiſcrete largiuntur, quibus & aliis licentiis prædictis non pauci fluctuantes, & infirmi, veniæ facilitate inducti, ad peccandum procliuiores fiunt, quando tot, & tantorum delictorum remiſſionẽ certo & viliſſimo pretio acquirere poſſe confidant. Indicem præterea caſuũ, & indulgentiarum ædibus ſacris appendi iuſſerunt, quo palam ſignificatur ſoluentibus ſupraſcripta concedi, & inter alia abſoluendi facultatem ab eſu prohibitorum tribui, Itemque indulgeri Miſſæ ſacrificium, & ſepulturam tempore interdicti, aſſumptionem duorum pluriumue compatrum ad ſacrum Baptiſma, præter eos, qui ſynodalibus (vt dicũt) conſtitutionibus adſciſcuntur, Reparationẽ eccleſiarum, erectionem confraternitatum, & alias pias cauſas prætexendo. Cum igitur inter cætera ſcandala etiam Simonię prauitas redoleat, ex prædictis ſacri Tridentini

tini Concilij decretis, & aliis sanctionibus canonicis, nostræ præterea constitutioni de indulgentiis ad quæstum non emittendis, aduersetur, ciauium auctoritas euilescat, & pœnitentialis satisfactio eneruetur. Nos his malis celeri remedio occurrendum, eademq; opera futuris præcauendum fore censentes, De apostolicæ potestatis plenitudine supradicta omnia, quæ in ipsa Toletana, & quibuscunque aliis ciuitatibus, diœcesib⁹ & locis tã Hispanię, quã aliarũ quarũcunq; prouinciarum, & regionum quocunque prætextu hucusque emanarunt, perpetuo abolemus, ac nulla, & irrita nunciamus, Iubemusque literas, & indices, necnõ scripturas, & monumenta quæcunque, publica, & priuata, per ipsos locorũ Ordinarios, & alios ecclesiarũ Rectores vbicunque reperientur dilacerari, penitusq; deleri, Et ne talia de cætero à quoquam fiant, publicẽtur, vel concedantur, districtius prohibemus. Quicunque secus egerint, seu attentauerint, Antistites, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, ab ingressu, & per ceptione fructuum suarum ecclesiarum tandiu suspensi iaceant, donec, satisfactione præuia illis per Sedem prædictam suspensio relaxetur. Inferiores verò ab Episcopis sentẽtiam excommunicationis incurrant, à qua nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes etiam irritum, & inane quicquid secus per quoscunque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, vt præsentium exempla etiam impressa, Notarij publici manu, & Prælati ecclesiastici sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem iniudicio, & extra illud vbique locorum faciant, quam ipsæmet præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, nunciationis, iussionis, prohibitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotẽtis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli

& Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Dat. Romæ, apud sanctũ Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1569. Quarto Non. Ianuarij. Pont. nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1570. indictiõe xiij. Die vero 23. Mẽsis Ianuarij, Pont. in Sãctiss. Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidẽtia Papę V. anno quinto, retroscriptæ literæ apostolicæ lectæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas ecclesiæ sancti Ioannis Lateranensis, & basilicæ Principis apostolorũ de Vrbe, dimissis in supradictis locis præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde amotis per me Iulium Parinum S.D.N. Papæ Cursorem.

Ioan. Guerardi Mag. Curs.

Sanct. D.N.D. Pij Papæ V. Reuocatio priuilegiorũ, & statutorum, quòd fructus beneficiorum primi anni, aut alterius temporis, ex quo vacarunt, cedant capitulo, vel alij loco. Qui vero sunt concessi fabricæ, seu sacristiæ, seu pio vsui vltra semestre, deinceps sint illi pro dimidia, reliquum capiat beneficiatus.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DVdum nimis, & incommodum arbitramur, quòd Ecclesiarum ministri in iis, quæ ad ipsorum sustentationẽ suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei auaritiæ prauitatem, editas aurehac sanctiones minime satis esse intelligimus, nouæ constitutionis subsidio cogimur prouidere. Cum itaque alias ex plurium Ecclesiarum Cathedraliũ, & Collegiatarũ constitutionibus, aut ex praua consuetudine obseruari intelligeretur, vt in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione, siue admissione ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiæ, vel beneficij, canonicatuum, aut præbendarum, vel partem prouentuũ, seu

seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesue illicitæ aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponerentur, licet Sancta Synodus Tridentina hæc detestata mandauerit Episcopis, vt quæcunque huiusmodi in vsus pios non conuerterentur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspicionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, siue consuetudinibus super prædictis cognoscerent, & illis tantum quas probarent, exceptis, reliquas vt prauas & scãdalosas reijcerent, Eos vero, qui aduersus prædicta quauis ratione commisissent, pœnis contra simoniacos editis teneri decreuerit, Multorum tamen indomita cupiditate tam prædicta, quam alia ad beneficium, & commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare nos pro diuini cultus exercitio, simulque euocato eorũ ad illum auxilio plenius, euidentiusque consulendum fore rati, reuocamus, & abolemus omnia, & quæcunque priuilegia, consuetudines, & statuta quarumcunque Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac maiorum, necnon collegiatarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, aut alio quouis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo, ac quantocunque tempore, etiam continuo obseruata, siue pro persoluendis Ecclesiarum, vel Prælatorũ debitis, siue pro supportandis illorum oneribus, siue aliis etiã maioribus, maximis, & vrgentissimis causis concessa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, extensa, & moderata, quod vacantibus ipsarũ Ecclesiarũ dignitatibus, canonicatibus, prębendis, portionibus, beneficiis, & officiis, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut lõgiore, vel etiam breuiore tempore prouenturi. Mensæ Episcopali, seu Capitulari, alioue loco integre, vel partim

tim remaneant, seu applicẽtur, aut in communes vsus cedant, seu inter alios canonicos, & personas Ecclesię, seu Capituli diuidantur, Quodque nullus etiam auctoritate prouisus in canonicũ recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, beneficium, vel officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de obseruandis huiusmodi priuilegiis, consuetudinibus, & statutis iuramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum, & distributionum perceptioni renunciauerit, seu Capitulo, & personis prędictis cesserit, seu (vt appellant) dulciaria, aut quid aliud præstiterit, Quorum omnium tenores, causas, & effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscunque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, roborata, Volentes ea omnia vires, & effectum de cetero non habere, Pręcipimus igitur, & interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegiis, & personis ad quos id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones huiusmodi, nec prorsus vllam eorum partem retineant, neue ipsorum cessionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocunque petant, vel exigant, aut quemquam siue ordinaria, siue apostolica auctoritate prouisum, ad præstandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi prædicta non facient possessionem impediant, vel remorentur. Quicunque contrafecerint, si Ecclesiarum Antistites, tandiu à Pontificalis officij exercitio sint suspẽsi, donec satisfactione præuia, illis per Sedẽ apostolicam suspensio relaxetur. Capitula verò, & collegia quæcunque ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiã incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam à Rom. Ponti. absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi præstita iuramenta non tenere, nec quenquam illis obligari, quinimo iurantes in huiusmodi censuram incidere, necnon irritum, & inane quicquid secus super his per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit at-

tentari. Et nihilominus statuimus, vt vbicũque huiusmodi fructus, & distributiones fabricæ, vel sacristiæ, aut alterius pij loci vsibus vltra semestre repperiũtur cõcessi, horũ duntaxat dimidia pars ipsi sacristiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alterà verò beneficiati prædicti integre percipiant. Non obstãtibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis cõtrariis quibuscunq;. Aut si aliquibus cõmunited vel diuisim ab apostolica sit Sede indultũ, quòd interdici, suspendi, vel excõmunicari no possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressã, ac de verbo ad verbũ, de indulto huiusmodi mentionem, Decreto prędictę synodi, ac etiã constitutione fel. re. Ioannis PP. xxij. quæ incipit, Suscepti, & aliis iuribus hac de re disponentibus, nihilominus alias in suo robore duraturis. Cæterum per prædicta non intendimus illis præiudicare Capitulis, Collegiis, mensis, aut personis fructus, & distributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationẽ, siue possessionis apprehensionem prouenientes ex statuto, consuetudine, vel priuilegio huiusmodi, percipientibus vel retinentibus quominus ipsi illos interim, vt antea, exigere valeãt, & habere. Postremo volumus, vt præsentium exempla etiã impressa, Notarij publici manu, & Prælati ecclesiastici, eiusue curiæ sigillo obsignata eandem illam prorsus fidem vbique locorum in iudicio, & extra illud faciant, quam facerent ipsæmet præsentes, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis præcepti, interdicti, decreti, statuti, intẽtionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1570. Pridie Kalendas. Iulij. Pontificatus nostri anno quinto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini nostri 1570. Indictione tertiadecima, die verò tertiadecima Iulij Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno quinto, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorũ de Vrbe, ad valuas Ecclesiæ S. Ioan. Lateranen. & ad valuas Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Scipio. de Octauianis, & Ant. Clerici Cursores apostolicos.

Stephanus de Olea Mag. Curs.

Constitutio S.D.N. Pij Papæ. V. Contra monetarum tonsores.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Cum nil magis humanæ vitæ commercio sit necessarium, quam pecuniarum vsus, quæ hominibus cuncta humano victui necessaria præbent, decet Romanum Pontificem ad ea libenter intendere, per quæ pecuniæ ipsæ non solum non adulterentur, verum etiam in primæuo illarum statu ab omnibus illæsæ conseruentur: quod & si cunctis in locis, præcipue tamen in hac Alma vrbe nostra, quam glorioſi Apostolorum principes martyrio suo consecrarunt, & ad quam veluti communem omnium matrem gentes vndequaque concurrunt, singulisque aliis dominiis, terris, & locis nobis, & Sedi apostolicæ mediate, vel immediate subiectis curandum est, vt & ad illam venientibus vitiorum exempla non proponantur, & quibusuis id peccandi materies succidatur. Attendentes itaque quod licet monetarum aurearum tonsoribus vltimi supplicii de iure sit inflicta pœna, argenteas tamen monetas tondentibus satis minor pœna imposita sit, Ac animo reuoluentes, quam par sit vtriusq; delictũ, cum ij, qui argenteas minuũt, nullaalia de causa ab aurearum mutilatione, nisi ob earum defectum subsistant, ac propterea eodem iuris rigore in vtroque sæuiendum esse æquum reputantes: Motu simili, &c. hac nostra perpetuo valitura constitutione

ſtatuimus, eos, qui argenteas tondent monetas vltimi ſupplicij, & ea, qua aureorum tonſores hactenus puniti ſunt, & de iure puniri debent, pœna puniendos eſſe, & ita ab omnibus, quibus Iudicis officium tam in alma Vrbe noſtra, quam alibi in toto ſtatu eccleſiaſtico commiſſum eſt, quouis nomine cenſeantur, & quauis auctoritate præfulgeant, iniunctum eſt, puniri volumus, & mandamus. Diſtrictius inhibentes ſingulis terrarum, & locorum, & ciuitatum dominis in temporalibus, ne iudices præfatos in præmiſſis hoc modo ſequentes, ſub excommunicationis, &c. impedire, moleſtare vel inquietare audeant, vel præſumant. Decernentes quoq; ſic & non aliter per præfatos, & quoſcunque alios iudices, &c. eitam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata &c. iudicari debere. Irritum quoq;, &c. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis apoſtolicis, necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, ordinationibus, ac legibus etiam imperialibus, etiam in corpore iuris clauſis, ac tam municipalibus, & particularibus, quam quibuſuis aliis etiã iuramẽto, &c. roboratis ſtatutis, & priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Motu ſimili, &c. etiam Conſiſtorialiter, &c. conceſſis, &c. quibus omnibus, illorum tenores, &c. hac vice latiſſime derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis, & conſuetis.

Fiat Motu proprio. M.

ET quod quorumcunque priuilegiorum, ſtabilimentorum, pœnarum, ſtatutorum, legum, & aliorum neceſſariorum tenores habeantur pro expreſſis, ſeu in toto vel parte exprimi, ac de verbo ad verbum inſeri poſſint. Et declaratione, ſanctione, mandato, inhibitione, decreto, & aliis præmiſſis, quę hîc pro repetitis habeãtur, & ad partem perpetuo in forma gratioſa. Et cum deputatione, quatenus opus ſit, iudicium, qui aſſiſtant, &c. inuocato, &c. ſecularis. Cum derogatione dictarum latiſſime extenden. Et cum decreto opportuno, quòd

quòd vt præſentes ad omnium quorum intereſt, notitiam deducantur, nulluſque deinceps aduerſus eas aliquam excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare queat, quod illæ imprimantur, & in valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & ſancti Io. Lateranenſis, ac Cancellariæ apoſtolicæ, necnon acie Campi Floræ affigantur, & inibi earum copiæ dimittantur, quodque affixio huiuſmodi õnes perinde afficiat, ac ſi fuiſſent perſonaliter exhibitæ, intimatę, & oſtenſę. Quodque earum trãſumptis etiam impreſſis manu alicuius notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius prælati, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Et quod præſentis Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra, regula quæcunque contraria non obſtante, ſeu literæ ſuper illis cum maiori præmiſſorum expreſſione, per Breue expediri poſſint.

Fiat M.

Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, octauo Kalendas Nouembris, Anno quinto.

Anno à Natiuitate Domini 1570. Indictione xiij. die iij. Nouembris Pontificatus ſanctiſſ. in Chriſto Patris & D.N.D. Pij. PP. V. anno quinto, retroſcriptus Motus proprius affixus, & publicatus fuit ad valuas Principis Apoſt. de Vrbe, & Sancti Io. Lateranen. & Cancellariæ Apoſtolicæ, in acie Campi Floræ, per nos Ioan. Guerardi, & Io. Freile, S.D.N.PP. Curſores.

Ioan. Bornottus Mag. Curſo.

Conſtitutio S. D.N. Pij Papæ V. Contra fraudulentos, & doloſos decoctores.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Poſtquam eo vſque humana proceſſit intemperantia, vt Chriſti fideles, qui in ſacri baptiſmatis ſuſceptione diabo ac omnibus

vanitatibus eius sponte, ac solenniter renunciarunt, diabolica fraude seducti ita mundi huius illecebras expetant, vt pro illis assequendis non modo filij prodigi in Euangelio per dominum demonstrati exempla sequentes, sua luxurioſe viuendo profundant, verum etiam illis absumptis, aliena appetant, grande æs alienum à proximis suis, qui id eis, prout mutuum fert hominum commercium, sub variis instrumentorum obligationibus liberaliter mutuant, extorquendo, ac deinde dum id eis sub paupertatis specie restituere negligunt, proximos suos vna cum tota familia aliquando mendicare cogunt, facere nullo modo possumus, quin & Pastoralis officij debito, cui disponente domino, præsidemus, moniti, & ea, qua Christus prior dilexit nos charitate impulsi, clementiæ, & misericordiæ reiectis viis, iustitiam, & iudicium in tales acriter insurgendo assumamus, iurisque rigorem acriorem reddamus, vt saltem per hoc eos, quos timor domini à malo non retrahit, vltimi supplicij pœna exterreat, sicque vniuersas Domini Gregis oues ad ouile, ad quod (dante domino) omnes dirigi cupimus, salubre perducamus. Sane licet alias fe. re. Paulus Papa IIII. prædecessor noster inter cætera dilectis filiis Populo Romano concessa priuilegia per quasdam suas literas voluerat, quòd dilationes quæcunque nisi iuxta dispositionem iuris, ac formam statutorum almæ Vrbis concedi nullatenus possent, & qui illas obtinerent, semper biretum viride portare tenerentur, ac alias; prout in dictis literis plenius continetur, Nihilomin⁹ diuersi iniquitatis filij, præmissis non attentis, propriaque temeritate confisi, postquam propriis eorum bonis non aduersa fortuna, aut fortuitis casibus, siue hostium incursu, vel ventorum, marisque violentia atque iniuria (quod quidem vel certe ferendum esset) cum ab iis facile caueri nequeat humana prouidentia, sed sua ipsorummet incuria, negligẽtia, prodigalitate, atque luxu in explendis propriis voluptatibus, penitus dilapidatis, proximos suos ad

varia

varia eorum bona sibi mutuanda sub spe restitutionis compulerunt, illis similiter profusis creditores suos cessione bonorum deludentes, ac tam literas præfatas quam alia per nos contra huiusmodi decoctores, fallitos nuncupatos, ædita statuta deridere, audent, in graue apostolicæ auctoritatis vilipendium, proximorum suorum detrimẽtum, & grauamen, ac animæ suæ periculum non modicum. Nos præmissa conniuentibus oculis pertransire nequeuntes, & attente considerantes nulla alia de causa in fures vltimi supplicij pœnam esse impositam, nisi vt talia perpetrandi hominibus via intercluſa, liberum esset vnicuique sua absque periculo possidere, & vti, hos autem adeo furibus, & latronibus similes esse, vt ab illis in nihilo differant, nisi vt quod eis nisi cũ vitæ suæ periculo agitur, hoc decoctoribus impune liceat, Volentesque propterea vt par, immo grauius delictum, parem etiam sortiatur pœnam, iurisque rigorem in hos grauiorem reddere, ac genus hoc hominum tanquam humano generi infestum è cæterorum cœtu segregandum merito esse diiudicantes, omnium, & singularum legum, & constitutionum tam imperialium quàm Apostolicarum, etiam in corpore iuris descriptarum tenores, & formas, ac si de verbo ad verbum inserti forẽt, præsentibus pro expressis habentes, sine illarum aliquo præiudicio, quinimo illas reualidantes, & confirmantes, Motu proprio hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, statuimus, & declaram⁹, quod deinceps perpetuis futuris tẽporibus, quæcunq; persona tã secularis quã ecclesiastica, etiã si clericali, & ecclesiastico foro gaudeat, cuiuscunq; status, gradus, ordinis, & cõditionis existat, & quacunq; dignitate tam mundana, etiã si Domicellus, Comes, aut aliter Nobilis aliquãdo fuerit, quàm ecclesiastica, nõ tamen Episcopali, præfulgeat, qui omnem eorũ substantiã non præmissis de casibus fortuitis, sed incuria, negligentia, prodigalitate, & luxu suis, proprias voluptates explendo, & cupiditatibus non mediocri intẽperantia seruiẽtes

subuerterint,& dilapidauerint,necnon qui se bona sua decoxisse simulantes, illa in fraudem creditorum suorum occultant, & eorum pecuniam totam in eorum vtilitatem forsan conuerterint, vt eorum creditores ad secum componendum facilius alliciant, vltimi supplicij,& ea,qua fures ipsi de iure, vel consuetudine, aut particulari vel municipali statuto plecti solent, puniri debeat. Mandantes tam Vrbis præfatæ Gubernatori,& Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali auditori,quam omnibus, & singulis nostris, & sedis Apostolicæ in quibuscunque prouinciis legatis, & vicelegatis, necnon quarumcunque ciuitatum, terrarum,oppidorum, & locorum nobis,& eidem sedi tam mediate quam immediate subiectarum Gubernatoribus,Prætoribus, Capitaneis, Commissariis,& aliis quibuscunque iudicibus quauis etiam subdelegata potestate fungentibus, vt præsentes nostras inuiolabiliter in eorum iudiciis obseruent, nec contra tales, nisi illarum forma seruata, procedere audeant, vel præsumant. Districtius quoque inhibentes quibuscunque terrarum,oppidorum, & locorum dominis in temporalibus in virtute sanctæ obedientiæ,ac sub excommunicationis,&c. pœnis, ne sic in præmissis iudicantes, eorum seculari auctoritate molestare, inquietare,perturbare,vel impedire audeant,vel præsumant. Decernentes postremo præsentes, & desuper conficiendas literas nullo vnquam tempore de subreptionis,vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari,minusque sub quibusuis similium,vel dissimilium gratiarum reuocationibus comprehendi, vel illis derogari nullo modo tacite,vel expresse posse,nisi de illis, eorumque totis tenoribus, ac eorum Dat. de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, & expressio facta fuerit, aliterque factas derogationes nullius roboris,vel momenti fore,& tanquam tales à nemine attendi,nec vlli suffragari posse, sicque per quoscunque Iudices, &c. etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & sanctæ

ctæ R. E. Card. eorumque Collegium, sublata &c. Irritum quoque &c. Non obstan. præmissis,ac quibusuis apostolicis, necnon in prouincialibus,& synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, ac legibus etiam imperialibus,etiam in corpore iuris,vt præfertur,clausis, ac quibusuis etiam municipalibus,& particularibus etiam iuramento &c. roboratis statutis,& consuetudinibus,priuilegiis quoque indultis &c.sub quibuscũque tenoribus &c. etiam Motu simili &c. etiam consistorialiter &c. ac sub quibusuis verborum formis concessis &c. Quibus omnibus etiam si de illis &c. illorum tenores &c. illis alias &c. latissime,specialiter, & expresse derogamus, Cæterisque contrariis quibuscunque, cum clausulis opportunis, & consuetis. Fiat Motu Proprio M.

Et quod quorumcunque statutorum, constitutionum,& legum &c.tenores habeantur pro expressis,seu in toto,vel parte exprimi, ac de verbo ad verbum inseri possint. Et de sanctione, statuto,declaratione,decreto,inhibitione,mandato, & aliis præmissis, quæ hic pro repetitis habeantur,& ad partem,perpetuo in forma gratiosa,& cum opportuna, si videbitur, iudicum deputatione, qui assistant &c. inuocato &c. secularis. Et cum opportuno decreto,quod vt præsentes ad omnium,quorum interest,notitiam deducantur, nullusq; deinceps aduersus eas aliquam excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare queat, quod illæ imprimantur, & in valuis Basilicæ Principis Apostolorum,& S.Ioannis Lateran.ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon acie Campi Floræ affigantur, & inibi earum copiæ dimittantur. Quodque affixio huiusmodi omnes perinde afficiat, ac si fuissent personaliter exhibitæ, intimatæ,& ostensæ, Quodque earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscripris, & sigillo alicuius Prælati, aut personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur,quæ ipsis originalibus literis adhiberetur,si forent exhibitæ,vel ostensæ.Et quod præ-

sentis Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio & extra, regula quacunqi contraria non obstante, seu literæ super illis cum maiori præmissorum expressione per Breue expediri possint.

Fiat M.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum Kal. Nouembris, anno quinto. Anno à Natiuitate Domini 1570. Indictione tertiadecima, die verò tertia Mensis Nouemb. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno quinto, retroscriptus Motus proprius affixus, & publicatus fuit ad valuas Princ. Apost. de Vrbe, S. Ioannis Lateranen. & Cancellariæ Apostol. & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Io. Guerardi, & Io. Freile præfatis S.D.N. Papæ Curs.

Io. Bornotus Magist. Curs.

Literæ Sanctiss. D.N.D. Pij Papæ V. Super reformatione ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Seruorum.

PIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

POstquam nos Deo auctore ordinem fratrum Beatæ Mariæ Seruorum, antehac in duas familias diuisum, antiquato Congregationis nomine, quod altera sibi asciuerat, in vnum, idemque corpus, ac in vnam, eandemque familiam vni duntaxat capiti subiectum sub eadem Regulari disciplina reduximus, expedit certa quædam incommoda, quæ bonum omne in religione peruertunt, excidere, vt deinceps omnes communibus institutis, & legibus suæ professioni magis conuenientibus viuentes, salubrius dirigantur. Quocirca cum omnis religio priuatæ proprietatis vsu labefactetur, & corruat, Nos ad illam ex dicta familia exterminandam, acsimul emendandos eos, qui de officiis, & muneribus ambitiosè obtinendis iampridem inoleuerunt, & alios nocentes eius mores, nouosque inducendos ante omnia intendi. De nobis attributæ potestatis plenitudine reuocamus, & abolemus omnia, & quæcunque priuilegia, dispensationes, licentias, permissiones, & indulta habendi, & retinendi priuatum dominium, vsum, vsufructum, possessionem, & proprietatem quorumcunque bonorum immobilium, mobilium, & se mouentium, necnon domorum, cellarum, hortorum, pecuniarum, & aliarum rerum, Generali, Prouincialibus, Conuentualibus, Prioribus ac aliis fratribus, etiam causa senij, infirmitatis, vel cuiuscunque pij operis prætextu, vel intuitu per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem apostolicam, eiusue Legatos, vel etiam dicti ordinis superiores, etiã Motu proprio, & ex certa scientia concessa, confirmata, & innouata, quibuscunque concepta formulis, ac clausulis, & decretis suffulta, quorum omnium tenores habemus præsentibus pro expressis, volumusque illa omnia, & singula vires, & effectum de cætero non habere, quin etiam fratres prędictos (quicunque sint) priuato & bonorum, & rerum omnium prædictorum quomodocunque acquisitorum, & ad eos obuentorum dominio, vsu, fructu, proprietate, titulo, & possessione priuamus, dictaque possessione amouemus, & amotos nunciamus, resque & bona ipsa omnia in cõmunes suarum cuiusque domorum, & prædicti ordinis vsus conuertenda concedimus, mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, Generali, Prouincialibus, & Conuentualibus Prioribus supradictis, vt rerum, & bonorum omnium prædictorum possessionem nomine domorum, & locorum suorum capiant, vt illa, illorũque fructus in communes conuentuũ vsus conuertantur. Cęterum præcipimus, atque interdicimus ne deinceps vllus omnino fratrum prædictorum, siue priuatus, siue Prioris Conuentualis, siue Prouincialis, aut Generalis officio fungens, etiam prætextu huiusmodi priuilegiorum, dispensationum, permissionum, & indultorum, seu inueteratæ consuetudinis

dinis,aut quacunque alia causa proprium quicquam, aut priuatum, neque ædes siue in claustro, siue alibi separatas habeat, sed omnia vbique communia sint, & quisque vnica cella, eademque cum cæteris aliorũ fratrum coniuncta,nudis omnino parietibus,ac lectulo,& mensa humilibus,quemadmodum pauperes religiosos decet,contentus esse debeat. Proinde cameræ siue ædiculæ,quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem vsum & commoditatem cuiusque conuentus redigãtur, vel si cellæ cõmunis dormitorij pro fratrum numero non sufficiant, & illæ Cameræ vel ædiculæ ad formam communis dormitorij aptari possint, in dormitorium cõmune redigantur,sin minus destruantur,ac materia,& cementa ad fabricam conuentus , si opus fuerit, conuertantur, vel vendantur , & pretium ad communem vsum conuentus conferatur. Sed nec vlli omnino ambitus fiant , aut pecuniæ etiam pro confirmationibus, sigillo , vel scriptura, aut quacunque alia re, vel causa soluantur,aliæue pactiones,seu promissiones intercedant , seu munera , aut xenia quocunque modo mittantur , neue quisquam etiam in officio existens, pecunias,aut quicquam aliud de prouincia,seu domo sibi commissa,vel aliũde Priori, Generali,seu alij cuicunque conferat,vel remittat. Quicunque secus fecerint,in pœnam priuationis prioratuum , & officiorũ omnium incidant,& ad futura inhabiles habeantur,& pro culpis etiam tanquam fures puniantur , prout nos illos priuatos,& inhabiles declaramus eo ipso,procurationibus tamẽ Generali,ex vniuerso ordine,ac Prouincialibus,Prioribus,ex sua cuique prouincia,& Visitatoribus ex domibus,& locis visitandis debitis nequaquam per præsentes sublatis. Ad reformandos autem alios dicti ordinis mores vlterius progrediendo, ex iis, quæ pro salubri huius religionis statu , & felici directione alioqui instituta hucusq; reperiuntur, quæ nec præsentibus contraria sunt, nec illorũ effectũ impedire possunt,nihil omnino detrahere,sed illa immo

ta custodiri volentes,De simili potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, vt fratres omnes etiam Superiores,& quicunque priuilegiati,nisi tempore Quadragesimæ , & Aduentus Domini prædicationis munus obierint,omnibus diuinis officiis , diurnis , & nocturnis intersint,aliis vero temporibus cum ipsis prædicatoribus & lectoribus iis diebus quibus prædicant, & legunt, Superiores pro arbitrio dispensare possint. Ipsis etiam Superioribus, & aliis officialibus, eo tantum tempore,quo actu in negotiis conuentus, & ordinis occupati sunt , aliquid remittatur. Missæ, Matutinum,& aliæ horarum canonicarũ preces , processiones,item anniuersaria,& defunctorum memorię integre suo debito tempore attente cum cantu solẽni in diebus , quibus conuenit iuxta regularia dictorũ fratrum instituta celebrentur,nec satis habeat quęque domus missas siue fundatione, siue statuto , siue consuetudine debitas,vel præscripto Superioris Conuentus designatas duntaxat celebrasse, sed fratres omnes sacerdotes missam etiam non astricti frequentissime celebrent. Clerici , & conuersi semel in hebdomada peccata sua confiteantur, & singulis saltem mensibus sacram Eucharistiam sumant. Ieiunia iuxta suam regulam , & constitutiones omnino seruent. In quaque domo pauciores fratres non sint duodecim. Si quę autem domus hunc familiæ numerum alere non potest, fratres cum bonis ex ea domo in aliam transferãtur, prouisione adhibita,ne ecclesiæ destruantur,sed ad eius populi cõmoditatem conseruentur . Permittimus tamen , vt in domibus, quæ iter facientibus fratribus commodæ sunt, saltem quatuor fratres non minores quinquaginta annis,constanti,& probata vita maneãt, si plures ea domus alere non potest , nullæ porro domus supra vires onerentur. In singulis domibus omnibus Dominicis,& festis diebus prędicationes verbi Dei habeantur. In maioribus studiis Regentes duas lectiones Theologicas interpretentur , alteram practicam veluti de sacramentis , vel de vita sanc-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cte, recteque instituenda, alteram vero speculatiuam ex catholicis, & approbatis Doctoribus superioris arbitrio statuendis, in minoribus vero vna lectione ex Theologia practica contenti sint. Cæterum curent superiores, vt in singulis cõuẽtibus fratres maxime in cõsciẽtię casibus &, reliquis, quę ad audiẽdas cõfessiones pertinẽt, ob rei grauitatem, & necessitatẽ summo studio, ac diligentia exerceantur. Singulis itẽ diebus festis Romanus Cathechismus ad parochos in singulis conuentibus legatur. Si qui Regentes, & lectores, aut alij fratres, libros prohibitos habere sine speciali sedis apostolicæ licentia fuerint deprehensi, vltra pœnas iuris communis, & quæ à sancto officio Inquisitionis hæreticæ prauitatis talibus imponuntur, perpetuo munere legendi, prædicandi, & confessiones audiendi priuati existant, ad omnia item officia inhabiles actiua voce careant, & passiua. Nullus ad aliquem gradum promoueatur, nisi ætate, vitæ probitate, & literatura præstans, & in eis probatus per examen diligens à Priore Generali, seu ab aliis, qui per eũ huic muneri ordinabuntur faciendum deinde in Capitulo Generali publice iterandum. Aetas autem, & tempus studij, ac cursus exprimatur, & præterea probetur quod promouendus nulla vnquam infamia seu sinistra opinione fuerit maculatus. A promouẽdis ad gradus huiusmodi nihil omnino exigatur, nec etiã sponte oblatum accipiatur, verumtamẽ si promotione facta conuentus promotorum aliquid religioni donare voluerit, id quicquid sit, Procuratori generali ordinis tribuatur, vt ad leuationem onerum, & omnium sumptuum religionis conferatur, eodem procuratore acceptorum, & expensorum rationem Priori generali, & diffinitoribus reddituro. Cæterum omnes à decem annis promoti rursus per probos, & idoneos viros à Priore generali in quaque prouincia constituendos examinentur, & qui saltẽ mediocri scientia in Theologia præditi reperti nõ fuerint, vsu, & exercitio gradus suspendantur, nec debeant priuilegio gradus huiusmo

iusmodi gaudere. Caueãt præterea superiores licẽtiã vlli fratri concedere, vt ad aliquos ordines sacros siue maiores, siue minores promoueri possit, nisi ille in ætate legitima cõstitut⁹, & literatura ad eos requisita prędituus sit, habeatque omnia, quæ à sacris canonibus regularibusque institutis requiruntur, aliter promotus ab suorum ordinũ executione suspendatur, & licẽtiã concedens officio deponatur, & per sexennium inhabilis ad omnia officia habeatur. Sed & nostra Constitutio, qua cauetur, ne quis regularis ante emissam à se expressam professionem regularem, ad sacros ordines promoueri possit, inuiolabiliter obseruetur. Sacerdotes ad audiendas peccatorum confessiones ordinandi vita, moribus, & literatura probati, & quo ad mulieres ætatis prouectæ habeantur. In omni domo huiusmodi sacerdotes ex prædicto ordine constituãtur, quibus, & non aliis fratres omnes peccata sua debeant confiteri. Priores omnes nunquam vltra biennium durent, sed biennio finito ipsorum officium vacet, nec ad illudmet in eodem conuentu in sequens protinus biennium, rursus constitui possint. Nulli itẽ fratri in eodem conuentu plus biennio manere liceat, exceptis sexagenario maioribus, quibus aliquid ex causa superioris arbitrio poterit condonari. Adhæc nullus omnino Priorum administrationem bonorum & aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redituum suæ domus, etiam nomine conuentus, per se ipsum habere, siue exercere, vel sese in eis interponere possit, sed vniuersum id onus tribus religiosis à Priori generali ita demandetur, vt primus rerum, & bonorum inferendorumque in eam redituum curam habeat, alter tanquam depositarius pecunias, ac cætera ab illo importata fideliter asseruet, reliquus de pecuniis, & rebus à depositario captis Priori, & fratribus, ac domui vniuersæ de necessariis veluti dispensator prouideat, mandante tamen ipso Priore, qui vnicuique non secundum proprium affectum, sed charitatis regulam

pro

prouideri curabit, officiorum huiusmodi inuicem confusione penitus interdicta. Cæterum ij tres tam impensi quam accepti singulis mensibus suo Priori, adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus eiusdem domus probatioribus, rerumque vsu peritis, deinde ipsemet rursus præsentibus Priore, & peritis prædictis, Priori generali, vel Prouinciali, vel Visitatoribus, quotiescunque visitationis officium fecerint, denique ipse Prior generalis in omni proximo Capitulo generali saltem coram tribus iudicibus ab ipso Capitulo constitutis, illorum omnium, & etiam vniuersę administrationis suæ, tam publicè quam priuatè rationem reddere teneatur. Pecuniæ omnes, & quæcunque aliæ res cuicunque priuatim etiam intuitu personæ vndecunque donatæ siue relictæ fuerint, superiori, horarum vigintiquatuor interuallo exhibeantur, qui illas statim depositario committat, & inde tantum exhibitori ministrari iubeat, quantum rei conuenientis præsens necessitas videbitur postulare. Fratres omnes etiam superiores & quomodocunque priuilegiati (ægrotis tantum exceptis) in refectorio cibum capiant, & communi mensa vtentes, communibus epulis vescantur. In primis autem senum, & ægrorum, necnon prædicatorum, & lectorum cura habeatur, ita vt nihil eorum necessitati, & commoditati desit. Omnes prædicti quocunque gradu, & honore sint, camisiis laneis, & reliquo vestitu vniusmodi, eodemque honesto, & professioni conuenienti, omni prætercea supellectile, & instrumento pauperi, atque humili vtantur. Nullus priuatum hortum habeat, sed omnes omnibus domus sint communes, præterquam quo ad infirmariam, & nouitios, qui hortum siue viridarium seiunctum habere possint, in quo cæteri nullatenus ingrediantur. Nouitij etiam oblati ante decimumoctauum ætatis suæ annum completum non recipiantur, neque ante decimumnonum completum ad professionem admittantur. Qui actenus recepti etiã oblati, deci

decimum quintum annum, non compleuerint, dimisso habitu religionis domum ad parentes, & necessarios etiam inuiti remittantur, vel alias omnino emittãtur, nec postea in ædibus, vnde exierint, aut in aliis eiusdem ordinis domibus, vllo modo debeant conuersari. Laici, qui vigesimumquintum annum non attigerint, ad seruiendũ non accipiantur, & qui recepti etiã nunc ea ætate minores sunt reiiciantur. Nouitij non admittantur, aut educẽtur nisi in cõuentibus insignioribus, in quibus dormitorium, & capitulum habeant omnino separatũ, cuius ingressus aliis fratribus sit penitus interdictus. In eisdẽ domibus sit vnus magister ætatis prouectioris, moribus & doctrina prędítus, qui diligentem habeat prædictorum nouitiorum curam, & illis præsit, Ipsi autem in grãmatica, cantu ceremoniis, & iis quę ad Christianam disciplinam faciunt, instruantur, nec è loco nouitiatus nisi ad ecclesiam, refectorium, & ad publicas processiones, & interdiu ad aliquam honestam recreationem, cum fida custodia exire debeant. In quaque domo sit vnum vestiarium cõmune in quo omnia omnium fratrum vestimenta conferantur, quæ vniusmodi sint eademque nulla exquisita arte laborata, sed simplicia, & honesta, ita vt nec vnũ ab altero distinguatur. Cui vestiario custos præficiatur, qui mũditiæ, refectionis, & distributionis eorũdem vestimentorum curã gerat. In omni domo locus tutus cum armariis, seu capsis habeatur, in quibus scripturę, priuilegia, contractus, & omnia iura ad domum pertinentia, itemque res preciosæ ecclesiarum, etiam sacræ cum suo inuentario, seu repertorio auctentico asseruentur, præter eas, quæ quotidiano sunt ecclesiæ vsui necessariæ, quę in sacristia, & per sacristam custodiantur, ita tamen vt res sacræ à profanis distinguantur. Huius autẽ loci sint tres claues, quarum vnã prior, alteram depositarius, tertiam procurator domus habeat. Simili quoque modo inuentariũ bonorũ mobilium cuiusque ecclesiæ, & domus, necnon immobiliũ, & quorumcunque iurium ad couentum pertinẽtium,

in forma probanti conscribatur, deque eo exemplum autenthicum fiat duplicatum, vt alterum in propria domo remaneat, alterum vero in Archiuo insignioris, seu principalis domus eius prouinciæ reponatur. In omni domo infirmaria commodo loco constituatur pro fratribus infirmis, cui infirmarius ordinetur, per quem domus ipsa de illis omnibus, quę ad animæ & corporis infirmorum salutem commoda, & necessaria sunt, charitatiue prouideatur. Postremo Prior cuiusque domus præcipuam curam gerat, vt ecclesiæ in suis structuris conseruentur & reparentur, mundæ præterea, & expurgatę, vti decet, contineantur, atque illis de libris, vasis, ornamentis, & aliis ad altaris ministerium, & diuinum cultum pertinentibus prouideatur, quæ pariter munda, & nitida conseruentur. Res sacristiæ, cuiusuis generis sint, nullo modo alienétur, nec pignori opponantur, nec vllo modo alicui accommodentur, sed solum ecclesiæ propriæ seruiant. Decernentes irritum, & inane quicquid secus per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Priori generali, ac omnibus fratribus prædictis per apostolica scripta mandamus, vt quisque pro se præsentes literas humiliter recipiant, & quæcunque in eis statuta, decreta, & mandata sunt, alia de super à nobis non expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione, firmiter custodiant, & in omnibus studiose obedire procurent. Quin etiam eidem Priori generali committimus, vt ipsę easdem præsentes in proximo, & deinceps futuris generalibus, & Prouincialibus Capitulis, & frequenter in omnibus domibus publice legere, ac eas, & quicquid pro earum executione, & obseruatione, tam in ipsis Capitulis generalibus, vel etiam extra illa ab ipso adhibitis aliquot ex aliis Prioribus, vel Diffinitoribus prædictis, quos duxerit eligendos, statuerit, ordinabitur, & decernetur, in omnib⁹ prioratibus, ac ab omnib⁹, & singulis prioribus, fratribus, & personis prædictis inuiolate faciat p se, vel alium, seu alios obseruari. Cõtradictores quoslibet

quoslibet, & rebelles, ac etiam protestantes, & reclamantes, eisque auxiliũ, cõsiliũ vel fauoré publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quouis quęsito colore, vel ingenio præstantes, tam ecclesiasticos quàm laicos cuiuscunque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac etiam prioratuum, dignitatum, & administrationum priuatorias, cæteraque iuris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, Quin etiam contendentes prædictos in censuras, & pœnas suprascriptas, incidisse declarando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quæsito, & de annali, ac triennali possessore, aliisque constitutionibus, & ordinationibus apostolicis necnõ ordinis prædicti iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque exemptionibus, & indultis apostolicis illi eiusque superioribus, & personis eorumque singulis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem apostolicam etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, ac alias sub quibuscũque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, & in specie concessis, confirmatis, ac etiam aliis reformationibus, quotiescunque ac quocunque tempore factis & promulgatis, ac quibuslibet aliis indulgentiis, & literis apostolicis specialibus, & generalibus quorumcunque tenorum existãt, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum seu dictorum Ordinariorum iurisdictio seu executio impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quæ omnia contra earundem præsentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Denique etiam volumus, vt ipsarum præsentium exempla etiam impressa, & Capituli, vel Prioris generalis, seu alterius personæ in

dignitate ecclesiastica constitutæ aut eius Curiæ sigillo, & secretarij cuiusuis eorum, vel Notarij publici manu obsignata, eandem illam prorsus fidem vbique locorum in iudicio, & extra illud faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, voluntatis, priuationis, amotionis, nunciationis, concessionis, mandati, precepti, interdicti, declarationis, statuti, ordinationis, permissionis, decreti, & commissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1570. tertio Kal. Iunij. Pont. nostri anno quinto.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1570. Indictione tertia decima, die vero vigesima mẽsis septẽb. Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidẽtia Papæ V. anno quinto, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas principis apostolorum de Vrbe, Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Scipionem de Octauianis, & Io. Andream Rogerium præfati S.D.N. Papæ Cursores.

Anthonius Clerici Magist. Curs.

Moderatio Impositionis sexdecimarum per Sanctiss. D. N. Pium Papam V. vltimo factæ, & reductio illarum ad tresdecimas iuxta antiquam taxam, & à soluere consuetis tantum exigendas, pro ordinibus fratrum Mendicantium.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EX superno dispositionis arbitrio Romanum Pontificem, in supremo militãtis ecclesiæ culmine collocatus, ad

ad hoc potissimum solicitudinis suæ neruos intendit, vt religionum omnium, præsertim ordinum fratrum Mendicantium, qui sub regulari obseruantia in eorũ monasteriis seu domibus gratum altissimo famulatũ reddere intendunt, dispendiis occurrat, & profectibus salubriter intendat, exemptionesque, & alias gratias, illis suarum virtutum, & laborum intuitu, per Sedem apostolicam concessas, à noxiis præseruet, ac alias officij sui partes, solerter impendat, statuat & ordinet, prout temporum necessitate, personarumque & rerũ qualitate pensatis, conspicit in domino salubriter expedire. Nuper siquidem, vt imminentibus necessitatibus, ad reprimendas vires, & impetus sæuissimi Turcarum tyranni subuenire possemus, Sexdecimas integras omnium, & quorumcunque fructuũ, redituum, prouentuum, iurium, obuentionum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum omnium, & quarumcunque ecclesiarum patriarchalium, cathedralium, & metropolitanarum, necnon monasteriorum, & conuentuum, cęterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, sæcularium, ac Sancti Benedicti, sancti Augustini, Cistercien sis, Cluniacensis, Præmostratensis, & qui proprietates, reditusque certos, ex priuilegio, vel alias possident, mendicantium, ac quorumcunque aliorum ordinum, vtriusque sexus, necnon congregationum regularium, & militiarum, secundum verum annuum valorem fructuũ, redituum, prouentuum, & aliorum prędictorum, ac etiam sex alias decimas, omnium, & quarumcunque pensionum annuarum, super fructibus, reditibus, prouentibus, iuribus, & emolumentis supradictis assignatarum, percipiendas, exigendas, & leuandas, ab omnibus, & quibuscunque personis sæcularibus, & regularibus, ordinum & congregationum, prædictarum, in certis temporibus, & terminis, ac expressis solutionibus, soluendas, per quasdam nostras literas, sub dat. Pridie idus Maij. Pontificatus nostri anno quinto, indixim⁹, & imposuimus, Decernẽtes decimas huiusmo

di non secundum antiquam taxam, sed secundum communem æstimationem fructuum, redituum, & prouentuum, & aliorum prædictorum. Alias vero pensionum decimas, ad rationem decem pro centenario, arbitrandas, soluendas, & præstandas: & secundum ea prædictos omnes, insolidum, cogendos esse, nec vllas, omnino immunitates & exemptiones, ex causa resignationis, & quacunque alia graui, & onerosa occasione, quocunque modo cõcessas, & interim concedẽdas illis suffragari, siue dictã integram solutionẽ minuere, vel impedire, debere: prout in dictis literis plenius cõtinetur. Nos autem cõsiderantes indictionẽ, & impositionem sexdecimarum huiusmodi, aliaque in dictis literis nostris contẽta, omnes fratres religiosos, & moniales, ordinum mendicantiũ, illorumque domos, monasteria, conuentus, ecclesias, loca, & bona quæcunque amplecti, quorum tamen, alij nullos, aut admodũ modicos & paucos fructus retinẽt, siue habent, alij vero, ex retroactis calamitosis temporibus, ita ære alieno grauati, ac in tali necessitate constituti existunt, vt eisdẽ religiosis, siue fratribus & monialibus, solutio dictarum sex decimarum impossibilis foret: Cogitãtesque quòd fratres religiosi, & moniales prædictæ, cõtinuis orationibus quotidie pro fidei catholicę, & illius vniuersi populi Christiani conseruatione, tuitione, & defensione, apud Dominum nostrum Saluatorem Iesum Christum, insistunt, & orant, vt non minus orationibus, quam alij facto, & armis, contra dictum sæuissimũ Turcarum tyrannum, & illius vires, & impetus immanes, pugnare videntur, Ita vt, merito aliqualiter, in aliis oneribus, subleuandos esse videantur. Quapropter, ipsos fratres, religiosos, & moniales, eorumque singulos, specialibus fauoribus, & gratiis, prosequi volentes, illosque, à quibusuis excõmunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, cẽsuris & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasiõe, vel causa latis,) si quib' quomodolibet innodati existunt

stunt) ad effectum præsentium duntaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Necnon veriores literarum, aliarumque scripturarum desuper confectarum, tenores, præsentibus pro expressis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, vestigiis etiã prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum inhærendo, indictionem, & impositionem sex decimarum huiusmodi, per nos, vt præfertur, factam, ad illarum medietatem videlicet tres decimas tãtum, (quas non secundum communem extimationem fructuum, redituum, & prouentuum, vel ad rationem decem pro centenario, sed iuxta antiquam illorum taxam, arbitrãdas esse, volumus) quoad dictorum ordinum mendicãtium fratres, religiosos, & moniales, eorũque domos, conuentus, monasteria, ecclesias, loca, & bona quæcunque tantum, apostolica auctoritate tenore præsentium reducimus, & moderamur, ipsasque tres decimas, iuxta dictam antiquam taxam, non autem secundum communem æstimationem, præstari debere, nec fratres religiosos, & moniales ipsas vltra tres decimas huiusmodi soluere teneri, eisdem auctoritate, & tenore statuimus, & ordinamus: Et insuper volumus, quòd monasteria, domus, conuentus, aliaque loca & bona, eorundem ordinum mendicantium, necnon illorum fratres, religiosi, moniales & personæ quæcunque, qui alias decimas in præteritum impositas, soluere non consueuerunt, sub indictione, & impositione sex decimarum huiusmodi, nec præsentibus reductione, & moderatione, comprehendantur. Quinimo ipsos & illa omnia, ab onere solutionis, & impositionis sex decimarum huiusmodi auctoritate, & tenore prædictis, penitus eximimus, & liberamus, ac illos, & illa, immunes, & liberos, ac immunia, & libera, respectiue esse, nec ad solutionem, dictarum sex decimarũ teneri, neque fratres, religiosos, moniales, aliasque personas prædictas,

ad illas soluendum vllatenus compelli posse: Sicque per dilectum filium modernum, & pro tempore existentem Camerarium nostrum, necnon collectores quoscunque ad dictas decimas colligendas deputatos, & deputandos, & quosuis alios, quauis auctoritate fungentes (sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi, facultate, & auctoritate) iudicari & diffiniri debere, ac ex nunc quicquid secus super his, à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter, attentari, contigerit, irritum, & inane decernimus, Eisdemque Camerario, & collectoribus, ac aliis quibusuis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, pœna, per contrafacientes, eo ipso incurrenda, districtius inhibentes, ne, quandiu dicta impositio sex decimarum durauerit, vltra tres partes illarum, ab eisdem mendicantium ordinum fratribus, religiosis, monialibus, & personis, exigere, & ab ipsis fratribus, monialibus, & personis, aliarum decimarum (sic vt præfertur illas soluere non consuetis) quicquam petere, vel eos, aut aliquem eorum, huiusmodi prætextu, molestare, perturbare, vel inquietare præsumant, ac tam illis quam receptoribus decimarum huiusmodi, aliisque super his deputatis, districte præcipiendo mandantes, quatenus, si quid hactenus ab eisdem fratribus religiosis, & monialibus, siue eorundem aliquo, vltra dictas tres decimarum partes receperint, illud integrum eis quamprimum restituant, ac per eos, ad quos spectat, realiter restitui faciant, ac reductionem, moderationem, statutum, ordinationem, voluntatem, exemptionem, liberationem, decretum, inhibitionem, aliaque omnia præmissa, necnon præsentes literas nullo vnquam tempore, quouis quæsito colore, vel ingenio, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu, notari, vel impugnari, neque aliquatenus, etiam ad eorundem collectorum, & aliorum deputatorum instantiam reuocari, cassari, annullari, reduci, vel retractari posse, sed illas

illas semper validas, & efficaces fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & inuiolabiliter obseruari, dictisque fratribus religiosis, monialibus, & personis, ac eorum monasteriis, domibus, & locis suffragari debere, similiter decernimus & declaramus: Et nihilominus, venerabilibus fratribus Balneoregiēsi, & Amerino Episcopis, necnō Dilecto filio Curię causarū Cameræ Apost. generali Auditori, per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem præsentes & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro fratrum religiosorum, & monialium, aliorumque prædictorum, aut alicuius eorum parte super hoc fuerint requisiti, solemniter publicantes, sibique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra reductionem, moderationem, statutum, ordinationem, voluntatem, inhibitionem, mandatum, exemptionem, liberationem, & alia præmissa inuiolabiliter obseruari. Non permittentes eos, aut eorum quempiam desuper, contra eorundem præsentium tenorem, per quoscunque quomodolibet molestari, perturbari, vel impediri, Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras & pœnas ecclesiasticas, aliaque iuris, & facti remedia, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habēdis seruatis processibus, illos censuras, & pœnas huiusmodi incurrisse declarando, ac censuras huiusmodi, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sęcularis. Non obstantibus præmissis, ac fel. recor. Bonifacij PP. viij. prædecessoris nostri, de vna, & concilij generalis de duabus diætis, dummodo vltra tres diætas aliquis auctoritate præsentium non extrahatur, aliisque quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus aliis, quæ in dictis prioribus nostris literis voluimus non obstare, ac etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis,

statutis, & consuetudinibus, ac similium exemptionum reuocationibus, Priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Camerario, collectoribus, deputatis, & quibusuis aliis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis clausulis, irritatibusque, & aliis decretis, etiam motu simili, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus (illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes) illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque, Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quòd transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, & adhiberi debeat, quæ literis ipsis originalibus adhiberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, Die xxix. Augusti 1570. Pontificatus nostri anno quinto.

Io. Alf. Naldus.
V. Macharanus.

Sanctiß. D. N. D. Pij Papæ V. Reuocatio regressuũ integrè literæ non expeditorum.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis prouidentia circunspecta nonnunquam gesta per prædecessores suos rationabilibus, & honestis suadentibus causis, moderatur, & reuocat, prout id ecclesiarũ indẽnitati cõspicit in Domino, expedire. Hinc est, quod nos volentes omnem hæreditariam beneficiorum ecclesiasticorum successionem de ecclesia Dei tollere, ac libertati beneficiorum huiusmodi prouidere, & vt de persona magis vtili, & idonea, prout requiritur, facilius prouideri valeat, Omnes, & singulos regressus, accessus, & ingressus, etiam euentuales, aut pœnales ac coadiutorias, etiam de consensu, aut alias quomodolibet sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis efficacissimis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, clausulis irritantibus, & aliis decretis quomodolibet per quosuis Roma. Pontifices prædecessores nostros ad beneficia ecclesiastica, cum cura, & sine cura, secularia, & quorumuis ordinum regularia, etiam si secularia canonicatus, & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus etiã Metropolit. aut collegiatis ecclesiis, & dignitates ipsç in cathedralibus etiam metropolitan. post Pontificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales. Regularia verò beneficia huiusmodi monasteria etiam consistorialia, Prioratus, Præposituræ, Dignitates etiam conuentuales, personatus, administrationes, vel officia etiam claustralia, ac hospitalia, & præceptorias etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitan. etiã quarumuis aliarũ militiarũ quibusuis personis cuiuscunq; status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, etiã Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali dignitate, aut Cardinalatus honore pollentibus concessos, super quibus literæ apostolicæ integraliter hactenus expeditæ non fuerunt, etiam si in plumbaria nostra aut penes summatorem nostrum reperiantur, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine auctoritate apostolica tenore præsentium reuocamus, cassamus, & abolemus. Mandantes dilectis filiis nostris Vicecancellario, & dicto Summatori, cæterisque officialibus

libus tam Cancellariæ apostolicæ, quam Cameræ nostræ, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna, ne in futurum super dictis gratiis regressus, accessus, & ingressus necnon coadiutoriarum literas expediant, aut relaxent. Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid illorum prætextu contra præmissa scienter, vel ignoranter cõtigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac etiam nostra de non tollendo iure quæsito regula, cæterisque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes literæ ad omniũ, quorum interest, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus, & decernimus, vt ipsæmet literæ, vel earum transumpta in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Sancti Ioannis Lateranen. ac Cancellariæ apostolieæ valuis, ac in acie campi Floræ per aliquem ex curſoribus nostris publicentur earum exemplo in singulis valuis, & acie prędictis affixo, & dimisso. Verum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, Volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd earundem literarũ transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius prælati seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, cassationis, abolitionis, mandati, decreti, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romę apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1571. Pridie Id. Septembris, Pontifi. nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius.
A. Dat.

A. Dat. H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1571. Indictione decima quarta, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno sexto, Die vero Mercurij decimanona mẽsis Septembris, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis apostolorum de Vrbe, Sancti Ioannis Lateranensis, Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis illarum copiis in supradictis locis affixis, per nos Ioannem de Soya, & Petrum Sprengerium Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Antonius Clerici pro domino Magistro Cursorũ.

Sanctiss. D.N.D. Pij Papæ V. Constitutio quod Moniales nõ exeant à clausura sub pœna excommunicationis, & priuationis, quæ etiam extenditur ad dantes licentiam, comitantes, & receptantes.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DEcori, & honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus dominus nòster sponsus est, vt in puritate, & castitate superædificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea, quę illarum existimationi detrahere possent, decet nos consulto summouere. Sanè periculo, & scandalo plena res est, ac regulari obseruantiæ vehementer aduersatur, sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos, vel cognatos, necnon monasteria, & alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta, visitandi aut infirmitatis causa, alioue prætextu à monasteriis exiri, & per secularium personarum domus discurrere, & vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis, & pudicitiæ decus, ac discrimen committunt. Vnde nos malo huic pro nostro pastoralis

officij

Universidad de Deusto
Biblioteca

officij debito salubriter occurrere volentes, Inhærentes etiam decreto sacri Concilij Tridentini de clausula Monialium disponenti, ac aliis nostris literis super huiusmodi clausura editis adiicientes, volumus, sancimus, & ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumue monialium etiam Carthusiensis, Cisterciẽ. S. Benedicti, & Mendicantium, & quorumcunque aliorum ordinum etiam Militiarum, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum, ac pręeminẽtiarum, existentium, etiam à Regia, vel Illustri prosapia ortarum, de cętero etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum parentum, aliorumue consanguineorum visitandorum, aliaue occasione, & prętextu, nisi ex causa magni incẽdij, vel infirmitatis leprę, aut epidimię, quæ tamen infirmitas, pręter alios ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, etiam si prędicta Monasteria ab Episcoporum, & ordinariorũ iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expresse in scriptis approbata sit, à Monasteriis pręfatis exire, sed nec in prędictis casibus extra illa nisi ad necessarium tẽpus stare licere, aliter autem quam, vt pręfertur, egrediẽtes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas, aut sęculares, vel ecclesiasticas cõsanguineas, vel extraneas excommunicationis maioris latę sententię vinculo statim eo ipso absq; aliqua declaratione subiacere, à quo pręter quam à Rom. Pont. nisi in mortis articulo absolui nequeant. Et insuper tam egressas quam pręsidentes, & alios superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, & administrationibus per eas, & eos tunc obtentis priuamus, & illas & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles, nec non licentias, & facultates, seu indulta, & priuilegia exeundi à monasteriis, & extra illa standi à nobis, seu alio Roma. Pont. prędecessore nostro, ac sedis apostolicę Nuntiis, & legatis

Sotra a fol. 305. idẽ fol. 431.

gatis etiam de latere, ac maiore pœnitentiario, aut ordinũ prędictorum superioribus, aliisue personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutiuis, pręseruatiuis, mẽtis attestatiuis, etiam nonam gratiam, & dat. concedentibus, aliisque efficacioribus, & efficacissimis ac insolitis clausulis, irritãtibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, necnon S. R. E. Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac instantia, vel alias quomodolibet concessa (quæ prorsus abolemus) ac literas desuper confectas, & imposterum concedendas, & conficiendas nullas, & inualidas, nulliusque roboris, ac momenti fore, nec illas habentibus, & habituris suffragari posse, & ita per quoscunque iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ingnoranter contigerit attentari, decernimus. Mandãtes vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum ordinariis in virtute sanctæ obedientię, & sub obtestatione diuini iudicij, & interminatiõe maledictionis æternæ, quatenus per se, vel alium, seu alios præsentes literas in ciuitatibus, & diœc. propriis quolibet anno publicẽt, omniaque in illis contenta, necnon præfatum decretum ipsius Concilij, quod incipit, Bonifacij viij. diligenter, & inuiolabiliter sub censuris ecclesiasticis, aliisque præfatis pœnis, & in eodem decreto contentis, obseruent, & obseruari faciant, & procurent, Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes etiam aliis pœnis auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Nec non legitimis super his habendis seruatis processibus pœnas ipsas

ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, interdictum ecclesiasticum opponendo, Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, Non obstãtibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultũ, quod interdici, suspendi, vel excõmunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenã & expressã de verbo ad verbum de indulto hmõi mentionem, Aliis apostolicis constitutionibus, & iuribus de huiusmodi clausura disponentibus nihilominus in suo robore duraturis. Cæterum volumus, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides vbique terrarum tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, ordinationis, priuationis, abolitionis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, nono Kalen. Februar. Pontificatus nostri, anno quinto.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1570. indictione decima tertia, die vero vigesima septima mensis Febr. Põtific. sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius quinto, retroscriptæ literę apostolicę affixæ, & publicatę fuerunt Romę ad valuas Cãcellariæ apostolicæ, & in acie Cãpi Floræ, vt moris est, per nos Ioannẽ Guererum, & Christianum de Monte prælibati S.D.N. Papæ Cursores.

Antonius Clerici Magist. Curs.

Sanct

Sanct. D.N.D. Pij Papæ V. Constitutio quod regulares sæcularium confessiones non audiant, nisi ab Ordinariis approbati sint.

PIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

ROmani Pontificis prouidentia circunspecta non nunquam gesta per eum rationabilibus, & honestis suadentibus causis, moderatur, & commutat in melius, prout in domino conspicit salubriter expedire. Nuper siquidem quasdam declarationes, & moderationes circa nonnulla Concilij Tridentini decreta regulares personas Ordinum mendicantium, eorumque instituta concernentia edidimus, & promulgauimus, Et quia, vti accepimus, illarum vigore sacerdotes regulares prædictorum ordinum quandoque minus idonei, & inhabiles confessionibus sæcularium audiendis ab eorum superioribus præpositi absque aliqua Episcoporum, sed sola Magistri Ordinis Generalis, aut Prouincialium ministrorum approbatione, admittuntur, Nos super his pro debito pastoralis officij, prout tenemur, salubriter prouidere volentes, tenore præsentium hac nostra constitutione perpetua sancimus, decernimus, & declaramus decretum Concilij Tridentini de approbatione regularium audiendis confessionibus sæcularium præpositorum ab Episcopis facienda obseruari debere etiam in omnibus regularibus quorumuis ordinum etiam mendicantium, etiam sub regulari disciplina viuentibus, etiam si sint lectores, aut in Theologia etiam de superiorum suorum licentia, graduati, vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel Prouincialibus Ministris sæcularium confessionibus audiendis præpositi. Volumus tamẽ eos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & diœc. suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiæ suæ

quiete examinari de nouo poterunt. Inhibentes quibuscunque regularibus quorumuis ordinum, etiam mendicantium, vt præfertur, ne vigore deputationis, & approbationis, ab eisdem Magistris, & Ministris, Prouincialibus, etiam quod illarum occasione ab ordinariis huc vsque tolerati fuerint, absque speciali impositorum licentia, & approbatione ab ordinariis obtinenda sæcularium confessiones audire præsumant. Decernentes irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris literis prædictis, & aliis postea quibuscunque regularibus concessis, & forsan extensis, quas quo ad ea, quæ præsentibus aduersantur, & contrariantur penitus, & omnino reuocamus, cassamus & irritamus, necnon monasteriorum, & aliorum regularium locorum, ac ordinum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, quibusuis Monasteriis, & regularibus locis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, aut alios quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mētio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes literæ ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus, & decernimus, vt ipsæmet literæ, vel earum transumptum in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, sancti Ioannis Lateranensis, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus nostris publicentur earum exemplo in singulis valuis, & acie prædictis affixo, & dimisso. Verum, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd earundem literarum transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, decreti, declarationis, inhibitionis, reuocationis, cassationis, irritationis, statuti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrarire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1571. Octauo Id. Augusti Pont. nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1571. indictione decima quarta, die verò vigesima secunda Mensis Augusti, Pontificat. sanctiss. in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia PP. V. anno eius sexto retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis retroscriptis per nos Ioannem de Guerardis, & Alamanum de Alamanis Cursores.

Philibertus Chapius Magist. Curso.

Sanct. D. N. D. Pij Papæ V. Statutum de fructibus, quos amittunt qui horas Canonicas non recitant.

PIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

EX proximo Lateranen. Concilio pia, & salubris sanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis, suos non faciat, sed eos tantum iniuste perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda, Nos huic rei euidentius, atque expressius prouidere volentes, statuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorũ fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui vero matutinum tantum dimidiam: qui exteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: tametsi aliquis choro ad dictus non recitans omnibus horis Canonicis cũ aliis præsens adsit, fructusq; & distributiones forte aliter assignatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi iuri fecisse prætendat. Is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem. Item ille, qui primis sex mẽsibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicunque pensionem, fructus,

ctus, aut alias res ecclesiasticas vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1571. duodecimo Kal. Octobr. Pont. nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Constitutio S. D. N. Papæ V. Super fatalibus appellationum in causis Criminalibus.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio &c. Licet iuri maxime consentaneum, nobisque præcipue cordi sit, vt delinquentes condignis pœnis afficiantur, tamen re ipsa experiendoque cognouimus quamplures subterfugiis, & cauillationibus legum disciplinam euitare. Si quidem compertum est eos, qui tam in alma Vrbe nostra, quã in prouinciis ditionis ecclesiæ in pœnis pecuniariis condemnantur, clypeo appellationum suffultos, ab aliis Iudicibus inhibitiones obtinere. Cumque dicti Iudices appellationum, quam qui coram eis iura Fisci, & cameræ sunt promoturi, de rei, & causæ qualitate minus informati existant, ac ipsi appellantes non modo appellationem suam prosequi non curant, quin immo illius expeditionem totis viribus satagunt retardare, quo fit, vt modo officialium mutatione, quæ interim contingit, modo alio quouis prætextu condemnatio obliuioni tradatur, & sic delictum impunitatem, & exinde ditionis nostræ tranquilitas perturbationem, ac ipsa etiam Camera apostolica detrimentum non modicum consequatur. Quibus malis

prouidere volentes, cum remedium appellationis contra Iudicum iniuriam à legibus introductum minime tollere intendamus, saltem cum eo homines abuti, & illud in calumniam versum prospiciamus, illius tempus limitandum & restringendum duximus, vt eo magis hominum malitiis occurratur, & bene viuere volentiũ quieti & securitati consulatur. Hac igitur perpetuo valitura constitutione decernimus, vt lata in causis criminalibus sententia continente pœnam pecuniariam fisco nostro applicandam, appellantes ab ea (in casibus tamen quibus alias de Iure communi permissa est appellatio, & seruatis iis quæ ex forma constitutionum apostolicarum circa depositum facien. seu cautionem præstan. sunt seruanda) teneantur infra sex menses à die ipsius interpositæ appellationis computandos, ita coram Iudice appellationis causam suam prosequi, vt etiam expeditionem reportent, quibus elapsis, & expeditione coram Iudice à quo, non reproducta, teneatur præfatus Iudex à quo, ad quamcunque Fisci instantiam, etiam si acta fuerint trasportata, sententiam præfatam debitæ executioni, omni mora postposita, demandare, ita vt effectualis incameratio subsequatur. Verum ne malitia Iudicis ius litigatorũ efficiatur deterius, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, ac priuationis officiorum, etiam si illa ex causa onerosa obtineant, ac refectionis omnium damnorum & interesse, quibuscunqi Iudicibus totius status nostri ecclesiastici quacunque dignitate, & præeminentia fulgentibus, etiam si Legati, Vicelegati, ac Prouinciarum Gubernatores existãt, committimus, & mandamus, vt appellantibus sine mora acta, & processus quoscũque effectualiter tradi curent & faciant, & ipsi Iudices ad quos respectiue, bona fide, & omni versutia semota, ad causarum legitimam expeditionem procedãt: scituri nos acriter vindicaturos, si per eorum quempiam in præmissis fuerit appellantibus ipsis præiudicium generatum. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis,

licis, ac quibusuis legibus & statutis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

Placet Motu Proprio. M.

Anno à Natiuitate Domini 1571. Indictione xiiij. die vero decimasexta mensis Octobris. Pontifi. sanct. in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidẽtia P P. V. anno sexto, suprascriptæ literæ affixæ fuerunt ad valuas Cancellariæ apostolicę, & in acie Campi Floræ per me Ioannem de Soya Cursorem.

Antonius Clerici Magist. Curs.

Die duodecima Octobris 1571. Ex decreto Cameræ apostolicæ hæc Motus proprij cedula admissa, & registrata fuit lib. 1. Signaturarum S.D.N. Papæ, apud me infrascriptum eiusdem Cameræ Notarium fol. 94.

And. Mart.

Motus Proprius super ordine fratrum minorum S. Francisci de obseruantia.

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officij nobis diuinitus iniuncti assidua sollicitudo nos admonet, vt omni cura ac vigilantia ad ea semper intendamus, per quæ omnes personæ regulares sub suaui religionis iugo Altissimo famulantes, in regularium, ac salutarium institutorum obseruatione non modo conseruentur, sed ad illa obseruanda modis, & rationibus congruentibus admoneantur, & impellantur. Considerantes autem quam vberes fructus ordo Fratrum Minorum sancti Francisci de obseruantia, qui in humilitate & patientia potissimum fundatus existit, hactenus in agro Domini attulerit, & in dies magis, cooperante eo, à quo bona cuncta procedunt, afferre non cesset, nonnulla ordinanda, & à fratribus prædictis obseruanda censuimus, per quæ Deo omnipotenti authore, dictus ordo per nostræ prouidentiæ ministerium, fœlicia in Domino suscipere pos-

fit incrementa. Motu igitur proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura sanctione statuimus, & ordinamus, Quod illi fratres eiusdem ordinis post hac in Generalem Ministrum, & reliquos superiores solum eligantur, qui regulam ipsius beati patris seraphici bene obseruare, & qui in choro, victu & vestitu, quantum officij necessitas concesserit, cum aliis se conformare soleant, ac debeant, super quo Barchionenses constitutiones harum serie innouamus, omnesque tam superiorum quorumcunque quam diffinitorum Custodum, & discretorum electiones per vota secreta fiant, iuxta sacri Concilij Tridentini decreta, aliter electiones factæ pro tempore nullæ, & penitus irritæ sint, & inanes, electique pœnas in dictis decretis cõtentas incurrant eo ipso. Quodque Minister Generalis, Commissarius, seu Procurator Generales, & Prouinciales, in eo capitulo, quo absolui debent, diffinitores non sint, neque vocem habeant, sed facta successoris electione discedant, vt si quis eos accusare velit, libere agat. Quod Prouincialium Ministrorum electio libere per vota secreta, vt supra, fiat, Ita vt Commissarius Generalis, vel qui electioni præsederit, si formam prædictam transgredi, seu electores quo minus libere eligant, quouis modo impedire conuictus fuerit, officio priuatus existat. Qui vero in electionibus omnibus vel ante eas per sex menses pro se, vel pro alio suborna uerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existẽte, præterquam in mortis articulo absolui non possit, ac voce actiua & passiua perpetuo careat, subornatus, vel alius, etiam pro quo subornatio fiet, qui subornantem non detulerit, eandem pœnam incurrere censeatur. Qui autem ad officium obtinendum quorumuis fauorem extra religionem procurauerit, vltra prædictas pœnas per mensem carceri mancipetur. Quod officium

officiũ Generalis Ministri octo annos duret, Cõmissarij, & Procuratores, Generalis, Ac prouincialis quatuor, ipsique semel officio functi, ad idem eligi non possint, nisi post sexdecim annos, nec Minister Generalis in Commissarium, vel procuratorem generales, nec Commissarius Generalis in Ministrũ, seu Procuratorem generales, nec Procurator generalis in Ministrum, vel Commissarium generales nisi post dictos sexdecim annos, vt munus sibi iniunctum cum maiori fructu exercere valeant: Possit tamen Minister prouincialis in alia prouincia prouincialis esse. Et Capitulum, quod dicitur intermedium, post quatuor annos ab electione Generalis celebrari debeat. Quod Generalis Minister habeat duos discretos secum vnum ex qualibet familia, quorum consilio vti debeat in grauioribus, sintque immediate subditi Ministro Generali, ac in generali, & prouincialibus capitulis habeant vocem & præcedant omnes alios tam in loco quam in voce, nisi illos duntaxat, qui Ministri Generalis munus obierint. Vnaquæque autem familia suum eligat post electionem Ministri generalis, & diffinitorum. Si moriantur, aut occupentur à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente occupatione longa, arbitrio Ministri Generalis, vel ab ipso Ministro Generali legitime priuentur: alium seu alios eligat Minister Generalis præcedente voto Prouincialium eiusdem familiæ, eorumque officium cum ipso Ministro Generali expiret, tametsi in Capitulis generalibus officio discretorum huiusmodi functi vocem habere possint. Quod generalis minister duos secretarios habeat, alterum videlicet ex altera familia, quo cum negotia cuiuslibet familiæ expediat, eisque arbitrio suo vti possit. Quod sacræ Theologiæ lector qui quatuor cursus absoluerit, actiua, & passiua voce vtatur in prouinciali capitulo. Quòd Minister Generalis, Commissarius, Prouinciales, & alij visitatores, & domi, & foris ita parce, & modeste in expensis se gerant, vt sanctæ paupertatis memores tam conuentus releuare, quam

proximos ædificare procurent. Qui tamen hoc non seruabit, si Generalis fuerit, à diffinitoribus capituli generalis, reliqui à superioribus condigne puniantur. Postremo quod in nouitiis recipiendis fiat inquisitio de moribus, & vita eorum iuxta regulam eiusdem B. Francisci, quæ ait, Diligenter examinent eos de fide catholica,& de ecclesiasticis sacramentis, &c. Et fiat inquisitio de progenitorum suorum defectu: volentes quod iis, qui ex Maumethanorum, vel Iudæorum genere descendunt, cum post susceptum ab eis sacrum baptisma, Græci, & Iudæi distinctio esse non debeat, nullatenus defectus generis homini quo minus in ordinem prædictum recipiantur, & ad consequendas in dicto ordine dignitates, gradus, & officia religionis, vel cuipiam alteri nocere possit, vel debeat. Et quo ad descendentes ex hæreticis videlicet conuersis pariter minime circa præmissa quicquam obstet, Quoad vero illos, qui ex hæreticis damnatis, & non conuersis, vel quorum statuæ combustæ fuerunt, originem ducunt, per lineam paternam vsque ad secundam generationem, per lineam autem maternam vsque ad primam tantum in præmissis obesse decernimus, & idem seruetur in fratribus, qui ad sacros etiam presbyteratus ordines admittuntur. Nonobstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, & quibusuis dicti ordinis statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis ordini, & superioribus hmõi per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos,& Sedem Apostolicam etiã motu, scientia,ac potestatis plenitudine similibus,ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus,efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpius innouatis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo

verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter,& expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscaroris Die xxviij. Maij. M. D. LXXI. Pont. nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini 1571. indictione decima quarta, die vero vltima mẽsis Maij Pont. S. D. N. D. Pij diuina prouidẽtia Papæ V. anno vj. retroscriptæ literę, Apostolicæ lectæ,& publicatæ fuerũt in generali retroscriptorum fratrum minorum de obseruãtia videlicet Ministrorum Generalis, & prouincialiũ, ac vocalium cõgregatione habita in cõuentu S. Mariæ de Aracæli de Vrbe, per me Robertũ Fontanũ Archiuij Curs. scriptorẽ Clericũ Mutinẽ. presentibus Illust.& Reuerẽdiss. D. Alexandro Card. Cribello Vicę protectore, & R. P. D. Hieronymo Albornoz electo Tucuman. episcopo testibus, &c. In quorum fidem hic me subscripsi.

Robertus Fontanus archiuij Rom. Curs. scriptor.

Decreta S. D. N. D. Pij PP. V. Per. R R. DD. Visitatores carcerum Vrbis, obseruanda in relaxatione carceratorum pro causis ciuilibus.

R. R. DD. Visitatores Carcerũ possint relaxare debitores à Carceribus ex causis infrascriptis.

Et primo, cõcedendo dilationem, data cautione, de soluendo infra tempus assignatum: & hoc præsertim, quando visitatores considerant retentionem debitoris cedere non solum in ipsius præiudicium, verum etiam creditoris: cum debitor in carceribus existens efficiatur deterioris conditionis, & in dies minus soluendo: vbi extra carceres facilius infra tempus assignatum modum satisfaciendi reperturus sit: & hoc, dummodo creditores sint ditiores, & ære alieno non onusti.

Secũdo, Relaxare possint debitorẽ, q licet nõ habeat pecunias

pecunias in promptu, habet tamen tot bona, ex quorum venditione potest creditoribus satisfieri, & ex tunc ipse consentit eorundem bonorum subhastationi. Et Visitatores hoc faciant, data cautione de se repræsentando in eisdem statu, & terminis, in quibus carceratus reperitur: ne contingat creditorem decipi ex aliquo impedimento præstito vēditioni bonorum. Et si bona non sufficiant, deferant biretum viride.

Et si bona non sufficiāt, nec bonis cedere velint, nec biretum viride deferre, non nisi de omnium creditorum consensu quemquam relaxare possint.

Idemque seruetur, etiam si clarum sit debitores nullum prorsus habere modum satisfaciendi creditoribus suis, nisi ex sudore vultus sui.

Tertio, Relaxare possint, quando creditor executionem habet realem, & est in bonis captis per executionem sibi bene cautum.

Quarto, In casu infirmitatis creditores eorum sumptibus debitoribus alimenta, & medicamenta ministrent in carceribus: quibus creditoribus recusantibus, relaxentur habita fide à medicis depuratis, & recepta cautione, si illam habent: sin autem, recepta iuratoria cautione.

Quinto, Relaxentur debitores, quando cognita eorum paupertate, ac pertinacia creditoris, ei mandatum fuit, vt carcerato debitori submini strēt alimēta, & ipse hoc facere recusat.

Sexto, Relaxentur à carceribus mulieres pro debito ciuili rerentæ, quando sunt honestæ, etiam si captæ sint pro debito publico.

Septimo, Relaxare possint debitores, qui ex natura debiti non tenentur de iure vltra id, quod facere possunt: quia tunc nec carcerari poterant, & propterea contra bona est dirigenda executio.

Octauo, Relaxentur debitores capti, vti suspecti de fuga, data cautione de se repræsentando sub pœna debiti.

Nono, Relaxentur debitores facta cessione bonorum,

rum, prout de iure, & seruata forma Motus proprij.

Decimo relaxentur debitores nulliter, & indebite capti, de qua nullitate manifeste constat. In quibus omnibus relaxationibus sint præsentes Iudices, qui mandata relaxarunt: & vti edocti, & instructi, de meritis causæ rationem reddant.

Et in præmissis habeatur ratio paupertatis creditoris: & an debitor calumnioſe litem diu suitinuerit, fatigando creditorem expensis, & laboribus: & an aliam dilationem habuerit, & creditori non satisfecit, non constito de legitimo impedimento. Et in his omnibus D D. Visitatores arbitrio vrantur: qui pensatis qualitatibus tam creditoris, quā debitoris, ac facultatibus, & natura debiti, decernant ea, quæ iuri, & æquitati, & vtilitati etiam creditorum conueniant.

Ita est. M.

Motus Proprius eiusdem Sanct. in fauorem Carceratorum, & Pauperum.

PIVS PAPA V.

VOlumus, vt omnes eleemosynæ carceratorum tā quæ per quæstores colliguntur, quam quæ in capsis reponuntur, expendantur pro soluendis debitis pauperum carceratorum arbitrio R. D. Card. Moroni, quem confidimus præ oculis habiturum miserabiliores personas, & iustiores causas. Eundem rogamus vt in carceribus Turris Nonæ erigi faciat hospitale aliquod sumptibus Charitatis, in quo curentur pauperes infirmi, donec adhibeatur diligentia, quam celerem esse volumus, pro illis liberandis, iuxta motum proprium fe. re. Pauli P P. iij. quem seruari prorsus volumus. Insuper iubemus, ne infra septem aureos carcerari quis possit pro debito, præterquam cum debitum habet annexam criminalem causam.

Placet & ita mandamus. M.

San

Sanctiſſ. D. N. D. Pij Papæ V. Reuocatio facultatum teſtandi & diſponendi de rebus eccleſiaſticis, ac etiam de bonis feudalibus emphyteuticis in illegitimos.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QVæ ordini eccleſiaſtico noxia eſſe, & ſcandalum obiicere perhibentur, neceſſe eſt è medio ſubmouere, Quod nos pro noſtri muneris officio, inter alia incõmoda quæ in oculos noſtros incurrũt, de Chriſti peculio, ne ab indignis, & reiectis ignominioſe cõſumatur, neue illorum cauſa eccleſiis, & pauperibus præripiatur, curam præcipuam habere volentes, De nobis attributæ poteſtatis plenitudine, reuocamus & abolemus omnia & quæcunque priuilegia, licentias, diſpenſationes, & indulta faciendi teſtamenta, dõnationes, ſiue inter viuos, ſiue cauſa mortis legata, & quaſcunque alias diſpoſitiones, de Dominiis, Terris, Caſtris, Domibus, & quibuſlibet aliis bonis, & rebus immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus, necnon pecuniis, iuribus, & actionibus ex beneficiis, fructibus, penſionibus, & aliis rebus eccleſiaſticis qualibuſcunque confectis, acquiſitis, & alias quomodocunque prouenientibus, necnon de peculio, & aliis etiam ſola induſtria, labore, muneribus, aut quocunque alio modo partis, cuiuſcunque qualitatis, quantitatis, ſpeciei, naturæ, & valoris exiſtentibus, in quoſcunque illegitimos ſiue ſuos, ſiue extraneos, etiam legitimatos, eoſdemque ex toto vel in parte hæredes inſtituendi, & ſubſtituendi, ſeu quod ipſi in prædictis ab inteſtato ſuccedant, cæteraſque huiuſmodi facultates, & permiſſiones, ac etiam habilitationes, & capacitates ſuccedendi in bonis, & rebus feudalibus, & emphyteuticis, ab Eccleſiis, Monaſteriis, & piis locis profectis, quibuſcunque perſonis ſæcularibus, & quorumcunque ordinum, necnon militiarum, & hoſpitalium, regularibus, ac Romanæ Curiæ officialibus, & aliis curialibus, curiam

turiamque ipſam ſequentibus, & etiam Vrbis Romæ ciuibus, ac palatia, ædes, cenſus, aliaque bona, in ea eiuſque diſtrictu habentibus, noſtris quoque, & aliorum Romanorum Pontificum familiaribus, eccleſiarum prælatis, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & aliis cuiuſcunque dignitatis, ordinis, & conditionis exiſtentibus, illorumque & aliis eccleſiis, capitulis, conuentibus, ordinibus, militiis, hoſpitalibus, collegiis, officiis, & locis, ac prædictæ Vrbi, aliiſque ciuitatibus, prouinciis, & dominiis, eorumque dominis, populis, ciuibus, & incolis, tam per fel. rec. Sixtum iiij. Innocentium viij. Alexandrum vj. Iulium ij. Leonem x. Clementem vij. Paulum iij. Iulium iij. Paulum iiij. Pium iiij. & qui ante illos fuerunt alios quoſcunque Romanos Pontifices, ac nos, & Sedem apoſtolicam eiuſque legatos etiam de latere, nuntios, notarios, comites, collegia, officia, & loca, etiam per modum ſtatuti perpetui, generalis legis, iniri, & ſtipulati contractus ſeu quaſi, & alias ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis reſtitutiuis, præſeruatiuis, mentis atteſtatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque ſimili poteſtatis plenitudine, ac prædictorum Cardinalium conſilio, & matura deliberatione in conſiſtorio habita, necnon conſideratione, intuitu, contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regũ, & aliorum Principum etiam ob remunerationem laborum, & obſequiorum nobis, & dictæ Sedi impenſorum, refectionem damnorum, compenſationem iuriũ ceſſorum, vel ablatorum, nauatæ militiæ contra hæreticos, & infideles, ſeu pro prædictæ Vrbis ornatu, & frequentatione, ac quibuſcunque aliis vſibus, ac etiam neceſſariis, & piis cauſis conceſſa, & multiplicatis vicibus confirmata, innouata, extenſa, & moderata, & quantocunque tempore pacifice obſeruata, quo ad eam partem, quæ illegitimos prædictos

tangit

tangit duntaxat, etiam si illa contineant, quod omnes curiales curiam sequentes, & alii siue ecclesiastici, etiam Cardinales, siue mũdani, qui palatia, domos, & prędia vrbana, vel rustica ædificauerint, aut census, aliaue bona acquisiuerint, aut alias acquisita habuerint in dicta Vrbe, & circum eam ad milliaria decem, ex bonis seu fructibus ecclesiasticis, hi tales de illis, necnon iuribus, & iurisdictionibus omnibus, in fauorem illegitimorum, ac quomodolibet inhabilium, & incapacium siue inter viuos, siue causa mortis disponere, eosque hæredes, & successores vniuersales vel particulares instituere, & substituere, & si intestati decesserint, ipsi illegitimi, & incapaces in illis succedere possint, quodque per quascunque reuocationes, derogationes, aut alias contrarias dispositiones, illis quorum interest præiudicari nequeat, & si vllo vnquam tempore præiudicatum, aut derogatum quomodo apparuerit, ius quæsitum ablatum, & litoræ reuocationum, & derogationum huiusmodi, iuris quæsiti ablatiue censeantur. Sicque per quoscunque iudices iudicari debeat, & etiam diffiniri: Ac pariter tollimus, & abrogamus omnes, & quascunque facultates similia concedendi, Legatis, Nuntiis, Notariis, Comitibus, Collegiis, officiis, & aliis supradictis, quorum omnium tenores, ac si ad verbũ insererentur, habemus præsentibus pro expressis. Ita vt priuilegiorum, dispensationum, facultatum, habilitationum, capacitatum, indultorum, & aliorum supradictorum sic reuocatorũ, aut etiam literarum, legitimationis prætextu, nullus omnino de huiusmodi bonis, rebus, pecuniis, iuribus, iurisdictionibus, & actionibus, in commodum, & fauorem illegitimorum vtriusuis sexus, siue eorum filiorum, siue consanguineorum, affiniumue, siue extraneorum, etiam in statu sęculari procreatorum, ac legitimati quacunque auctoritate donatorum, & ad huiusmodi res & bona, eiusque successionem, testato, vel intestato idoneorum & capacium effectorum, siue testamento, siue donatione, siue legato, siue eleemosyna

siue alio quocũque titulo & pio opere (exceptis in cõmuni ac omni fraude, conuentione, seu compositione cessante, hospitalibus expositorum, & orphanorum) disponere, nec illegitimi ipsi in eis ab intestato siue protinus, siue per interpositas personas, ac quomodocunque succedere, aut illa alias ad eos etiam per quẽcunque circuitum multiplicatarum in alios capaces successionum vllo tempore deuenire possint. Adhæc nulla esse, & pro infectis haberi volumus omnia, & quæcunque facta hucusque testamenta, legata, donationes, & alia disposita huiusmodi, quæ viuentibus adhuc testatoribus, aut alias locum non habuerunt, ac pariter ab intestato successiones, non tamen litigiosas quæ plenarum non sunt effectum sortitæ. De hinc vero districtius prohibemus, ne talia siue in prædictos illegitimos vtriuslibet sexus siue illorum coniuges, siue ip[illegible]m parentes, filios, descendentes, ascendentes, vel alios cognatos, siue viuentibus, siue defunctis ipsis illegitimis, etiam paupertatis, dotis, aut alterius cuiuscunque pij operis intuitu fiant, neue ipsi vnquã in rebus, bonis, pecuniis, iuribus, iurisdictionibus, & actionibus prędictis, siue totis, siue in parte succedant, aut illa ad ipsos quauis dispensatione suffultos, etiam per prædictum circuitum deueniant, neue de eis vlla in alium seu alios concessio, donatio, translatio, aliaue dispositio fiat, vt alia bona similia, vel dissimilia, illegitimis, aut aliis supra dictis concedantur. Quod si prædictorum quisquam fuerit præsentium violator, testamentum, donatio, legatum, & dispositio omnino non teneat, nec etiam quo ad alios capaces, & res alias valeat, sicque disponens priuilegio, dispensatione, facultate, & indulto prædicto, eousque vsu, & commodo, etiam in cęteris omnibus ipso sit iure priuatus. Nemo quantumuis capax illius prętextu fructus, res, pecunias, aut prorsus alia bona sua faciat, nec illa detinens vlla præscriptione, aut vllo alio iuris præsidio adiuuetur, sed ad integram illorum restitutionem, quocunque temporis lapsu non obstante, debeat coer

ceri. Ita vt omnes in ecclesiis, monasteriis, & beneficiis successores, tam coniunctim, quam diuisim, quique videlicet pro rata parte sua illa omni tempore recuperare possint, & qui primus cæteris ab eo momtis, & negligentibus, iudicium intenderit, ei soli restora merito vendicetur. Nullius verò huiusmodi successoribus pro prædictis insistentibus, ac etiam de peculio alias quam ex rebus ecclesiasticis confecto locorum Ordinarij tam concessorum, & relictorum illegitimis, eorumue causa, quam quorumcunque aliorum bonorum immobilium, mobilium & se mouentium, necnon pecuniarum, fructuum, rerum, & iurium, alias sub dictis testamentis, donationibus, legatis, & dispositionibus comprehensorum, corporalem possessionem amotis inde, & expulsis quibuscunque detentoribus, siue incapacibus, siue capacibus, per se, vel alium, seu alios, libere apprehendant, & apprehensam huius Sedis nomine custodiant, donec ipsa Sedes de illis, vel tum tulerit piorum operum necessitas, duxerit prouidendum. Bona vero, res, & iura feudalia, vel emphyteutica (aliis legitimis ad ea forte vocatis non existentibus) eo ipso deuoluta, & iuri, ac proprietati suarum ecclesiarum, & locorum restituta, & cum reliquis eorum bonis consolidata esse declaramus. Decernentes irritum, & inane quicquid secus per quoscunque scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus ecclesiarum, capitulorum, conuentuum, ordinum, militiarum, hospitalium, vrbium, prouinciarum, collegiorum, etiam Cardinalitiis, & officiorum prædictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia communitis, & in consistorio prædicto, seu conclaui habitis, aliisque priuilegiis, indultis, & literis apostolicis generalibus, & specialibus, illis eorumque, & aliis quibuscunque personis, cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam supradictis fortioribus, ac etiam disponentibus, quod prædicta per quascunque literas nunquam

quam, aut sine consensu illorum, quorum interest, reuocata, aut sublata intelligantur, & alias cuiuscunque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda esset nostris literis mentio specialis quæ omnia quatenus prædictis aduersentur, illorumue executionem disturbare possint, viribus prorsus, & effectu carere decernimus, cæterisque contrariis quibuscunque. Quia verò difficile nimis esset præsentes quocunque illis opus erit, perferre, Volumus vt earum exempla, etiam impressa, Notarij publici manu, & personæ in dignitate ecclesiastica cõstitutæ, eiusue curiæ sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in iudicio, & extra illud, vbique gentium faciant, quam ipsæmet præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, ablationis, abrogationis, voluntatis, prohibitionis, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1570. sexto Kal. Febr. Pontificatus nostri anno sexto. Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno Incarnationis Dominicæ 1571. Indictione xiij. die vero ij. Mensis Martij. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D.N. D. Pij diuina prouidentia PP. V. anno sexto, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ apostol. & in acie Campi Floræ dimissæque fuerunt in eisdem locis per aliquod temporis spatium, per nos Petrum Sprengerium, & Petrum Aloysium Gaita. S.D.N. Curs.

Scipio de Octauianis Mag. Curs.

Sanct. D. N. Pij Papæ V. Constitutio super recitatione officij beatæ Mariæ Virginis, Cum decreto, & indulgentijs.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SVperni omnipotentis Dei prouidentiæ, ac benignitatis exemplo excitati, qui vt humanum genus ab errorum tenebris vendicaret, & in veritatis semitam perduceret, suæ gloriæ splendorem è cœlis in terram demittere, lucisque æternæ radiis bonos pariter, & malos perfundere dignatus est, meditatio cordis nostri ad id potissimum tendit, vt fides catholica non solum vbique augeatur, & floreat, sed etiam ne errorū tenebræ, atque superstitionum abusus piis Christi fidelium mentibus inducantur, &, si quæ irrepserunt, protinus euellantur. Cum itaque in executionem decretorum sacri Concilij Tridentini, gratia diuina assistente Catechismo ad populi eruditionem edito, Breuiario ad sacras preces, laudes, & gratias Deo optimo ab vtriusque sexus ecclesiasticis persoluendas reformato, atque Missali, vt sacerdotes intelligerent, quibus precibus vti, qui ritus, quæue cerimoniæ in missarum celebratione obseruandæ sint, ad pristinam sanctorum patrum normam restituto, eandem curam, & operam adhiberi mandauerimus in emendando, ac corrigēdo glorioſissimæ Dei genitricis beatę Mariæ Virginis officio, cuius recitatio sicut pusillis, & rudibus Christifidelibus peculiaris esse, dignoscitur, ita multis superfluis non sine legentium etiam scandalo, & quæ ad varias superstitiōes facile rudes ipsos inducere possunt, auaritia impressorum fuit refertum, qui vt Christifideles ad emendos eiusdem officij libros à se impressos facile allicerent, multa sub colore pietatis, & animarum spiritualis consolationis, ex eorum capite addiderunt, iamque ad antedicti Breuiarij vniformitatem Dei genitricis, vt credimus, intercessione, eruditorum, & piorum virorum, quos ad hoc delegimus, studio officium ipsum, resecatis, quæ aliena, & incerta erant, correctum fuerit, & à nobis probatum, Romæ imprimi, & impressum diuulgari iusserimus, vt in de spiritualis, quam optamus Christifidelium animabus proueniat consolatio: Motu proprio &c. & ex certa scientia nostris, ac de apostolicæ potestatis plenitudine officia quæcunque in primis italico, seu quouis alio vulgari idiomate, & sermone quōlibet cōposita, atque officium anno proxime præterito 1570. Venetiis apud Iunctas impressum his verbis, licet falso, inscriptum: Officium beatæ Mariæ virginis per Concilium Tridentinum Pio quinto Pontifice maximo reformatum denique omnia, & singula alia officia huiusmodi etiam latino sermone sub Hortuli animæ, seu Thesauri spiritualis, compēdij, aut quouis alio titulo & nomine quomodolibet peruulgata, omnemque illorum vsum approbatione apostolica, ac consuetudine, & institutione (inueteratis infra dicendis semper saluis) harum nostrarum serie perpetuo ab omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus sæcularibus, vel ecclesiasticis, etiam quorumuis ordinum regularium, & militiarum religiosis, qui de iure, consuetudine, vsu, statuto, institutione, ac constitutionibus etiam eorundem ordinum militiarum, & regulæ, seu alias quomodolibet, ad recitationem officii beatæ Mariæ tenentur, & obligati sunt, tollimus, & abolemus: ipsisque in virtute sanctæ obedientiæ interdicimus, ne aliud quā hoc de mandato nostro emendatum beatæ Mariæ Virginis officium, & in impressoria officina Populi Romani pro fideliter, & incorrupte imprimendis libris sacris in alma Vrbe nostra erecta impressum, quouis prætextu dicere, recitare, legere, seu tenere quoquomodo audeant, vel præsumant: omni vero alio vsu ipsis (vt vniformiter ab omnib⁹ sic astrictis, & obligatis recitetur, nec inter eos diuersitas illud recitandi vllo vnquā tēpore oriatur (interdicto pfatū hoc

nostrum officium, ac precandi, psallendique, formulam per vniuersum orbem in priuatis domibus, ac ecclesiis, monasteriis, conuentibus, capellis, oratoriis, ordinibus, militiis, & locis etiam exemptis tam virorum quam mulierum, in quibus officium ipsum beatæ Mariæ Virginis recitari (vt præmittitur) quomodolibet debet, præcipimus legi, dici, & obseruari, illis tamen officiis exceptis (dummodo vulgari sermone, vt præfertur, non sint composita) quæ ab ipsa prima eorum institutione à sede apostolica expresse approbata fuerunt, vel quorum officiorum certum vsum consuetudine, aut ipsa institutione (supra tamen ducentos annos) assidue in ecclesiis, monasteriis, domibus, & locis vtriusque sexus ecclesiasticorum obseruatum fuisse constiterit. Quibus sic astrictis, & obligatis, vt inueteratum illum ritum dicendi & psallendi suum officium (dummodo, vt præmittitur, vulgari sermone non sit compositum (non adimimus, sic eisdem si forte hoc nostrum, quod modo peruulgatum est, magis placet (dummodo Episcopus, vel prælatus, & vniuersum capitulum in eo consentiant) vt illud etiá in choro dicere, & psallere possint, permittimus. Ab eis vero, qui ad eiusdem officij beatæ Mariæ Virginis recitationem non aliqua obligatione tenentur, omnem eorundem officiorum vulgari sermone quomodolibet compositorum, atque similis idiomatis vulgaris orationum, etiam aliis officiis latini sermonis insertarum, vsum penitus etiam auferimus, illos nihilominus, ne vanis inuoluantur superstitionum erroribus, quibus alia fere omnia, huiusmodi officia etiam latino sermone referta esse deprehensum fuit, in Domino hortantes, vt ab aliorum beatæ Mariæ quam huius nostri officij lectione, ac vsu abstineant, firmiterque credant eisdem aliis officiis multas sub falsis, & confictis sanctorum nominibus confictas orationes fuisse insertas: de quibus, sicut de indulgentiis, peccatorumque remissionibus, quæ recitantibus pleraque ex orationibus aliis officiis huiusmodi insertis, prout rubricis

cis ibidem appositis designatur, conceduntur, nullam certam extare apud Ecclesiam rationem: propterea ritui, & ordinationi in huius officij recitatione sic à nobis in vniuersali ecclesia institutis se cõformantes, aliud eiusdem beatæ Mariæ quam hoc nostrum officium non perlegant, vel recitent. Ac vt ipsorum officiorum vulgaris idiomatis, & sermonis abusus re ipsa penitus aboleatur, eadem omnia per omnes, & singulos seculares vel ecclesiasticos etiam ad recitationem antedictam nequaquam astrictos, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis absque spe illorum vnquam recuperationis, alia vero latino sermone, & aliis libris inserta, ad effectum emendandi, & à maculis, seu erroribus expurgandi, sibi postmodum, cum sic per eosdem Inquisitores expurgata fuerint, restituenda consignari quam primum iubemus. Statuentes huic nostro officio nuper edito nihil vllo vnquã tempore per quemcunque quauis auctoritate fungentem quouis prætextu addi, detrahi, vel immutari debere: ac omnes, & singulos, qui ipsum beatæ Mariæ Officiũ (vt præfertur) dicere, psallere, & recitare tenentur, ex huius nostri Romani officij præscripto, & ratione ad id omnino obligatos esse, & neminem muneri suo nisi hac formula satisfacere posse. Ac vt fidelium omnium voluntas, & studium magis ad salutarem huius nostri Officij beatæ Mariæ Virginis, & orationum in eo reductarum lectionem & vsum inuitetur, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis, qui ad recitationem huiusmodi non tenentur, quoties istud sic de mandato nostro reformatum, quinquaginta dies: qui vero defunctorum officium eodem volumine insertum, alios quinquaginta: qui septem psalmos, aut graduales etiam eodem volumine inser-os, alios quadraginta: & qui aliquam ex orationi-ous ibidem pariter insertis deuote recitauerint, alios quindecim dies de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer in domino relaxamus: obligatis vero eas

duntaxat indulgentias concedimus, quæ literis noſtris ſuper reformatione noui Breuiarij editis deſignantur, & huiuſmodi beatæ Mariæ Virginis, aut defunctorum officium, vel ſeptem pſalmos, aut graduales recitantibus concedũtur. Mandantes omnibus, & ſingulis Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & cæteris eccleſiarum prælatis, vt reliqua omnia beatæ Mariæ Virginis etiam per nos priuatim conſtituta, ab omnibus ad recitationem huiuſmodi quomodolibet aſtrictis, ipſa vero vulgaris idiomatis, & ſermonis officia etiam ab iis, qui nullo pacto ad id aſtricti ſunt, penitus omitti, reiici, atque vulgari ſic, & pariter alia etiam latino ſermone compoſita, etiam aliis libris inſerta, Inquiſitoribus prædictis ad effectum antedictum tradi, & conſignari, iuris opportunis remediis curent. Officium vero iſtud noſtrum beatæ Mariæ Virginis in omnibus & ſingulis ſuarum ciuitatum, & diœc. eccleſiis, monaſteriis, conuentibus, ordinibus militiis, oratoriis, domibus, & locis etiam laicorum introducant: & tam ipſis, quam cæteris omnibus presbyteris, clericis, & aliis vtriuſque ſexus ſæcularibus, & regularibus perſonis eccleſiaſticis, necnon militibus etiam exemptis, quibus dicendi, recitandi, pſallendique officiũ huiuſmodi quomodolibet (vt præfertur) iniunctum eſt, vt ex huiuſmodi formula vbique illud recitare, & pſallere procurent, prædicta inſtitutione vel conſuetudine ducentos annos ſuperante (non tamen quo ad vulgaris ſermonis officia) ſemper ſaluis. Concionatoribus quoque verbi Dei, atque confeſſoribus, vt in eorum prædicationibus, atque confeſſionibus omnibus vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus prohibitionem, & abolitionem dictorum officiorum vulgari idiomate & ſermone compoſitorum, quodque Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis quam primum conſignari debeant, Inſuper alterius quam huius noſtri officij vſum & lectionem periculo ſuperſtitionum non carere: ac illud, & alia eo inſerta (vt præfertur) recitantibus ſupradictam de iniunctis ſibi pœnitentiis relaxationem noſtram ſignificare, & eos ad conforman. ſe in hoc prompta deuotione ritui, & ordinationi à nobis inſtitutis excitare, ad vſumque, & recitationem huiuſmodi noſtri officij pietatis zelo hortari ſtudeant. Cæterum hæreticæ prauitatis Inquiſitorum, quibus officia hæc, & libros tradi, & coſignari contiget, munus, & officium præcipuum erit omnia, ſuperſtitiones, & errores in fide catholica redolentia omnino delere. Quod noſtrum beatæ Mariæ Virginis officium, vt vbique terrarum incorruptum, ac mendis, & erroribus purgatum præſeruetur, omnibus in noſtro & S. R. E. dominio mediate vel immediate ſubiecto commorantibus, vel ad illud quouis prætextu aduenientibus impreſſoribus, & aliis quibuſcunque ſub amiſſionis librorum, ac quingentorum ducatorum auri de Camera ipſo facto quoties contrauenerint officio ſanctiſſimæ Inquiſitionis applican. reliquis vero in quacunque orbis parte conſiſten. ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & aliis arbitrij noſtri pœnis, inhibemus ne illud infra ſex annos proximos ſeparatim, vel aliis libris inſertum, ſub prædictis Hortuli animæ, Theſauri ſpiritualis compendij, vel aliis quibuſuis nominibus, & titulis imprimere, aut alibi quam in alma Vrbe noſtra, & antedicta Po. Ro. officina impreſſum tenere, recipere, donare, aut venundare publice, vel occulte audeant, vel præſumant. Dictis vero ſex annis elapſis, id etiam aliter non liceat, niſi cum noſtra, & Romani Pont. pro tempore, vel ſpecialis ad id commiſſarij apoſtolici in ſingulis Chriſtiani orbis regnis, & prouinciis deputãdi, expreſſa licentia. Quas quidem noſtras perpetua roboris firmitate ſubſiſtere, & nullo vnquam tempore reuocari, alterari, ſuſpendi, limitari, aut moderari poſſe, in valuiſque principis apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ de more publicari & affigi, per huiuſmodique publicationem & affixionem, omnes, & ſingulos in eis comprehenſos, videlicet qui in

Ro. Cu. adsunt, lapso mense, qui vero alia loca intra montes, post tres, qui vltra incolunt, post sex menses, aut cum primum sibi officium hoc nostrum venale propositum fuerit, ita volumus obligatos esse, & astrictos, ac si ipsismet illæ coram lectæ, & intimatæ essent, ipsarum quoque exempla manu notarij publici, & sigillo prælati ecclesiastici, aut illius curiæ obsignata, vel etiam dicti officij nostri beatæ Mariæ Virginis voluminibus absque prædicto vel alio quopiam adminiculo, Romæ tamen, & in officina antedicta impressa, eandem prorsus vbique fidem facere, quæ præsentibus adhiberetur, si essent ostensæ, vel exhibitæ. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices, & commissarios etiam S.R.E. Card. & causarum Palatij Apost. Auditores in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & interpretari debere, necnon irritum, & inane decernimus quicquid secus super iis à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. præmissis, ac in quibusuis synodalibus, prouincialibus, vel generalibus, ac vniuersalibus conciliis editis, aliisque etiam apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, necnon ecclesiarum, militiarum, & ordinum quorumcunque statutis vsibus naturis & consuetudinibus etiam iuramento roboratis, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, expressa, & individua mentio habenda esset, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, interdicti, præcepti, permissionis, ablationis, iussionis, statuti, mandati, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostol. eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud

apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1570. quinto Idus Martij. Pont. nostri anno sexto.

Ferd. Card. de Medicis summator.

Cæ. Glorierius. Octa. de Auila.

Anno à Natiuitate Domini 1571. indictione decima quarta, die vero quinta mensis Aprilis, Pontific. sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia PP. V. anno sexto, retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis spatium dimissæ in valuis seu portis Basilicæ Principis apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ apostolicæ, & in acie Cãpi Flore, per nos Ioannem Freyle, & Scipionem de Octauianis, prælibati S.D.N. Papę Curso.

Petrus Aloysius Gayta. Mag. Cur.

Motus proprius Sanct. D. N. D. Pij Papæ V. Confirmationis priuilegiorum Populo Romano, ac dd. Almæ Vrbis Conseruatoribus super liberatione mancipiorum seu sclauorum baptizatorum ad eos confugien. concessorum.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Dignum, & rationi congruum esse videtur, vt ea, quę ex veteri instituto Officiũ Senatus camerę Vrbis, & ipsius Conseruatores cõsueuerunt, vel alias illis concessa existunt munimine apostolicæ superioritatis in posterum roborentur, & in vsum, si adhuc non existant, reducantur. Nos siquidem, qui etiam in minoribus constituti semper, & continue Romanum Populum paterno dilectionis amore prosequuti sumus, & ipsius priuilegia, ea maxime, quæ Christiano populo necessaria, & vtilia esse videntur, confirmare desideramus, fel. recor. Pauli PP. iij. prædecessoris nostri, q per suas in forma breuis literas ipsos Conseruatores, & Populum in facultate, & priuilegio mancipia quæque sclauos vulgariter nuncupata, qui Baptizati, & Christiani prius facti fuerint, ad Senatus camerę ipsius vrbis officium, ac illius Conseruatores

pro

pro eorum libertate, confugientia, prout ex veteri cõsuetudine hactenus, vt ipie prædeceſſor narrauerat, Conſeruatores præfati tum ex ſpeciali priuilegio Põtificali, tum imperiali poteſtate ab aſpero ſeruitutis iugo liberandi facultatem habuerant, etiam ſi lapſu tẽporis deperdita fuiſſent, reintegrauit, veſtigiis inhærẽdo, Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eoſdem Conſeruatores pro tempore exiſtentes ſpeciali fauore proſequentes, ac literas apoſtolicas Pauli prædeceſſoris, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur pro expreſſis habentes, illaſque in totum iuxta illarum tenorem confirmantes, ipſos Conſeruatores, ac officium ſenatus cameræ Vrbis in iuriſdictionem, facultatem, & poteſtatem mancipia quæcunque ſub iugo ſeruitutis quomodolibet alligata ad huiuſmodi Senatus Cameræ Vrbis officiũ pro tempore exiſten. ac ipſius vrbis Conſeruatores cõfugientia, ac libertatem acclamantia, per eoſdem Cõſeruatores libertate donare, & Romani Ciues, liberique homines effici poſſint, prout ipſe Paulus prædeceſſor reintegrauerat, reintegramus, ac pro potiori cautela de nouo damus, concedimus, & gratioſe impartimur. Itaque mancipia, ſeu ſclauos eadem, quæ ab eiſdem in poſterum liberabuntur, pro liberis hominibus, & Romanis ciuibus in omnibus, & per omnia vbique haberi, teneri, & reputari debere, Dantes, & concedentes eiſdem mancipiis ſic vt præfertur ab eiſdem Conſeruatoribus liberatis, facultatem in iudiciis contra quaſcunque perſonas ſtandi, contrahendi, teſtandi, & alia faciendi, quæ cæteri ciues Romani liberi homines facere conſueuerunt, & faciunt & ea in omnibus, & per omnia habere, & libera eſſe decernimus, volumus, & mandamus, ac ex nunc prout ex tunc, & econtra omni iuri cuiuſlibet ſtatutorum, conſuetudinum, & aliorum contrariorum rigore penitus reiectis liberamus, & ſic in præmiſſis omnibus per quoſcunq; tã ordinarios, quã delegatos etiamquacũque iuriſdictione fungentes Iudices, & perſonas, ſublata

blata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, ſententiandi, & diffiniendi facultate, poteſtate, & auctoritate iudicari, ſententiari, & diffiniri debere, quidquid ſecus ſcienter, vel ignoranter contra præſentium tenorem fieri, & attentari contigerit, irritum, & inane decernentes, Non obſtantibus Motu proprio, & ſeu literis forſan deſuper per viam decreti vel alias per dictum Paulum prædeceſſorem ſub Dat. Romæ apud ſanctum Petrum Quinto Idus Nouembris, Anno Pontificatus ſui Quintodecimo ſupradictarum ſuarum literarum in forma breuis etiam forſan ad inſtantiam dicti Populi Romani decretis, derogatoriis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, necnon dictæ vrbis etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, reformationibus, & decretis, ac quibuſuis priuilegiis, indultis, & literis apoſtolicis in genere, vel in ſpecie per quoſcunque alios Ro. Pontifices prædeceſſores noſtros tam ſub plumbo, quam in forma breuis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis etiam irritantibus, & aliis in contrarium quomodolibet cõceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac omnibus illis, quæ dictus prædeceſſor voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quòd ſola ſignatura præſentium ſufficiat, & vbique in iudicio, & extra fidem faciat, regula contraria non obſtante, ſeu ſi videbitur, literæ deſuper per breue noſtrum, ſeu ſub plumbo, aut alias prout melius videbitur expediri poſſint. Et quo ad illos ſeruos dũtaxat, qui antea vt præfertur ſacro baptiſmatis lauacro mediante Chriſtiani facti fuerint & non de aliis.

Dat. Romæ apud S. Marcũ Quinto Idus Septemb. anno primo.

Mo

Motus proprius S.D.N. Pij Papæ. V. Contra Notarios, & custodes, ac quoscunque alios dicta testium, aut reorum responsiones absque iudicis coram quo causa agitur, & Procuratoris Fiscalis licentia, quomodocunque propalantes.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Licet contra Notarios, qui in causis, tam criminalibus, quam ciuilibus dicta testium, aut reorum respõsiones absque iudicis decreto partibus patefaciunt, multæ constitutiones editæ sint, eosque tanquam falsi reos, & infames, ac periuros puniri debere statutum sit nihilominus, quia magis timetur, quod sæpius cauetur, & vt in futurum timore pœnæ, si non Dei timore arceantur, omnes, & singulas censuras, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint latas, auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, nec de earum rigore, propter illarum forsan inobseruantiam, aut prædecessorum nostrorum, & etiam nostram, ac officialium, & ministrorum eorundem, & nostrorum tolerantiam quicquam relaxatum, aut remissum esse, ac eadem in suo pristino robore, & vigore permanere decernimus, & declaramus. Et, vt pœnarum certitudo omnib⁹ hic in alma Vrbe nostra innotescat, statuimus, decernimus, & declaramus omnes & singulos Notarios, tã principales, quã substitutos, executores quoq; ac carcerum custodes, cæterosque, quibus tam vigore sui officij, quam alias quomodocunque reos, dum in carceribus secretis detinentur, facultas alloquendi conceditur, qui reorum responsiones, ac testium in dictis causis depositiones propalare in totum, vel in parte, dicto, aut facto quibusuis personis cuiuscunque conditionis, prærogatiuæ, & dignitatis, tam mundanę, quam ecclesiasticæ existant, absque Iudicis coram quo causa vertitur, & Procuratoris fiscalis licẽtia aut fuerint, aut eisdem reis, & testibus, donec in secretis ret i

retinentur, etiam quarumuis personarum, vt supra quomodolibet qualificatarum, vel nomine eorundem reorum, & testium, vel aliis etiam extra carceres existentium nomine eorundem carceratorum nuntiũ, epistolam, literas, vel (vt vulgo dicitur) ambasciatas ferre absque eiusdem Iudicis, & Procuratoris Fiscalis licẽtias, vltra pœnas eis à iure, vel statuto inflictas, pœnam relegationis in perpetuum, vel ad tempus ad triremes, & si qualitas facti id exegerit, & iudici videbitur, etiam vltimi supplicij incurrere, & puniri debere præcipimus, & mandamus, sicque per quoscunque iudices quauis auctoritate fungentes puniri, & condemnari, & non aliter declaramus. Irritum quoque, & inane, &c. decernimus. Non obstan. præmissis, constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, stylo, & consuetudine, ceterisque contrariis quibuscunque, Volumus, quod præsentis statuti, decreti, & constitutionis cædula in acie Campi Floræ, & Cancellaria nostra apostolica de more publicetur, & ita omnes, quos tangit afficiat, quodque illius nostra signatura sufficiat, & vbique fidem faciat, regula contraria non obstante, &c.

Placet Motu proprio M.

Anno Domini 1568. Indictione vndecima, die vero vigesimatertia mensis Iulij, Pont. S.D.N.D. Pij diuina prouidentia PP. V. anno tertio, supradictæ literæ publicatæ, & affixæ fuerunt in locis supradictis, per me Ioan. Andream Rogerium prefati Sanctissimi domini Papæ Cursorem.

Camillus Cherubinus Magist. Curso.

Edictum Reuerendiss. Vicarij Papæ super denunciatione Clericorum, ac bireto Doctorum.

Iacobus miseratione diuina tt. S. Mariæ in Cosmedin S.R.E. presbyter Cardinalis Sabellus, Sanctiss. D.N. Papæ Vic. General.

Cum

CVm alias ex auctoritate Sanctiſſ. D.N. Papę viuæ vocis oraculo nobis conceſſa, quia difficile eſt propter multitudinem eorum, qui in Vrbem ex diuerſis partibus conuenire ſolent, clericos à laicis internoſcere, Præceperimus omnibus, & ſingulis clericis in ſacris ordinibus cõſtitutis, aliiſque beneficia eccleſiaſtica, etiam ſimplicia obtinen. qui in Ro. Cur. morantur, vt infra decem dies tunc proximos, & eis, qui poſtea ad eandem Vrbem venturi erant à die eorum aduentus, numeran. deberent in curia noſtra ſe ſiſtere, & nomen, cognomen, patriam ordines, & beneficia profiteri, literaſque vt vocant dimiſſorias oſtendere. Qui autem eo gradu, & conditione aliquem vel hoſpitij, vel famulatus, aliaue cauſa domi haberent, vel eſſent in futurum habituri, illo de eadem noſtra lege pręmonito, ad prænarratum tempus, & ad eadem noſtram curiam deferre tenerentur, prout in noſtris deſuper confectis literis ſub dat. die 30. menſis Octob. 1566. datis latius continetur. Et ne ij, qui ad almam Vrbem prædictam ſucceſſiue venient, & venerunt de eiſdem noſtris literis aliquam valeant ignorantiam allegare. Ideo iterum de nouo eadem auctoritate iubemus omnes & ſingulos clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, alioſque beneficia eccleſiaſtica, etiam ſimplicia obtinen. in Romana Curia commorantes, qui præmiſſa in noſtris literis contenta non obſeruarunt, ad decem dies ab harum literarum promulgatione, eos autem, qui poſthac eandem Vrbem ſunt ingreſſuri à die eorum aduentus numerandos ſe in Curia noſtra præfata, vt præfertur, ſiſtere, & nomen, cognomen, patriã, ordines, & beneficia profiteri, literaſque dimiſſoriales oſtendere. Qui autem aliquem ex prædictis clericis, hoſpitij, vel famulatus, aliaue cauſa domi habent, ſeu in futurum ſunt habituri, illo de noſtra hac lege prænonito, ad præſtitutum tempus ad eandem Curiam noſtram deferre. Alioquin qui præmiſſa non adimpleuerint, vigintiquinque aureorũ, & carceris, aliaue pœna arbitrio noſtro irroganda punientur. Et

Et quia vſu, & experientia compertum eſt, laicos, qui clericalibus veſtibus vti cõſueuerunt, & vtuntur, à clericis non poſſe internoſci, quia leui, & modica differentia in bireti geſtatione vtuntur.

Eiſdem auctoritate, commiſſione, & mandato, & viuæ vocis oraculo nouiſſime nobis facto, monemus eoſdem omnes laicos, eiſque propterea præcipimus, & mandamus, vt infra decem dierum ſpatium à publicatione præſentium computan. biretum rotundum cum ſuis plicis, quo omnes laici vtuntur, deferant. Et, qui præmiſſa non adimpleuerint, veſtium omnium, & indumentorum amiſſionem, necnon quinquaginta ſcutorum auri, & carceris, aliamue arbitrio noſtro imponẽ. pœnam incurrant. Volumus autẽ, & decernimus vt his noſtris literis in locis ſolitis publicatis, & affixis, ita eorum quoſcunque arctet executio, perinde ac ſi perſonaliter vnicuique intimatæ forent. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in ędibus noſtris die 30. Octob. 1567.

Alphonſus Binarinus Vicegerens.

Simon Gugnettus Not.

Sanct. D. N. D. Pij Papæ V. Conſtitutio de trium votorum profeſſione ab ijs emittenda, qui in congregationibus ſub obedientia voluntaria viuunt, quorum habitus à ſæcularibus presbyteris eſt diſtinctus.

PIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

LVbricum Vitæ genus eorum veriti, qui regularium formam præſe ferentes, nec propriis renunciant, nec vllam profitentur ex regulis approbatis, quando horum plerique proprio inſtinctui obſequentes, alij odio incenſi, alij, dum quod ambiunt, minus conſequũtur, alij vel dilapidatis, vel interuerſis rebus & ad ſeſe, vel ꝓpinquos trãſlatis, vt ratiocinia effugiãt quidam etiam in ſuos ipſorum mores inquiſitum iri preſẽtientes, quaſi impunitatem adepturi, è ſodalitio

suo vt lubet, exiliunt, ejectisque illius insignibus, vestem recipiunt sæcularem. Hinc graues, & periculosæ quotidie offensiones in populos cõcitãtur, dum quos disciplinæ regulari perpetuo mancipatos credunt, rursus eos, etiam vbi contenuerint, contempto post tot annos, & relicto, indignis sæpe modis, eius, cui sese dediderant, vitæ instituto, liberos vident, & solutos in sæculum euagari. Cum igitur conueniat, vt cuius armam induit, eam miles militiam persequatur, hanc de prædictis rationem capere instituimus, vt vel permanendi, vel abscedendi facultate semel singulis proposita, certus deinceps, & immobilis disciplinæ regularis cultus debeat in ipsis sodalitatibus perpetuo obseruari. Itaque de nobis attributæ potestatis plenitudine, statuim⁹, vt omnes, & singuli Priores, Præpositi, & alij Præsidentes, Generales, Prouinciales, & Cõuentuales, necnon Canonici, & fratres sancti Georgij in Alga Venetiarum, ac Eremitarum sancti Hieronymi alias beati Petri Pisarum, & omnium, ac quarumcunque aliarum congregationum, necnon ecclesiarum domorum, & conuentuum in communi, & sub obedientia voluntaria, & extra votum solemne religionis viuentes, quorum habitus à sæcularibus presbyteris est distinctus qui religionem amplecti, & professionem regularem solennem emittere voluerint, id in suis quisque Conuentibus, & domibus, intra viginti quatuor horarum spatium postquam delegatus noster præsentes literas ei significauerit, palam, & sponte deliberent, & declarent, inde conuocato quamprimum per singulas huiusmodi congregatiões generali, vel alio supremo, iuxta morem cuiusque congregationis, capitulo, ibique electa vna, sub qua degant ex regulis approbatis, in quam maior pars vocum ipsius capituli concenserit, trium votorum substantialium professionem regularem, intra mensem solemniter emittant, & in ea tam ipsi quam illam deinceps ingressuri, atque professuri, perpetuum ferant Altissimo famulatum, sicque professi vel in suis quisque priorati-

bus, præpositis, præsidentiis, administrationibus, & officiis confirmentur, vel ad alia trãsferantur, prout cuique congregationi, & superioribus suis videbitur vtilius expedire. Qui verò excurso iam anni spatio in ipsa congregatione morati refugerint intra tempus prædictum profiteri, detracto religionis habitu, ac reditis etiam in vinculis, si opus sit, receptorum, & administratorum omnium rationibus eiiciantur, nec deinceps patiantur id vllis eiusdem congregationis domibus seu conuentibus amplius conuersari. Quocirca mandamus vniuersis, & singulis Prioribus, Præpositis, Generalibus, Prouincialibus, & conuentualibus, ac aliis cuiuscunque dignitatis, & nominis, Ministris, necnon conuentibus, canonicis, fratribus, & personis congregationum huiusmodi, vt statutum nostrum prædictum, non expectata alia iussione, aut mentis nostris declaratione, humiliter recipiant, & studiosæ obseruare procurent. Quod si forte aliqui in eo, quo nũc sunt statu (quem omnino tollimus, & abolemus) contra nostrum hoc statutum persistere contenderint, singulos omni dignitate, officio, administratione, & beneficio priuamus, & ad futura perpetuo indignos decernimus, excommunicationis quoque sententia innodamus eo ipso. Non obstantibus fundationibus, & institutionibus, ac statutis, & consuetudinibus congregationũ, domorum, & conuentuum prædictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, exemptionibus, & indultis apostolicis, illis eorumque superioribus, & personis, ac eorum singulis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ad nos, & Sedẽ apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, ac alias sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis & decretis in genere, & in specie concessis, & confirmatis, ac etiam aliis reformationibus, quotiescũque, ac quocunque tempore factis, & promulgatis, & quibuslibet aliis indulgentiis, & literis apostolicis, specialibus, &

generalibus,quorumcunque tenorũ existant, per quæ præsentib⁹ nõ expressa, vel totaliter non inserta effectus earũ impediri valeat quomodoliber, vel differri,& de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentiõ specialis, quæ omnia tanquam abrogata,contra earundem præsentium tenorẽ nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Cæterũ mandamus præsentes ad valuas Basilicæ principis apostolorum de Vrbe,& cancellarię apostolicæ,ac in acie Campi Floræ publicari, & earum exempla de more applicari. Ac etiàm volumus, quod ipsarum præsentium exempla,etiam impressa,& Prælati ecclesiastici, vel eius curiæ sigillo, & notarij publici manu obsignata, eandem illam fidem vbique locorũ,in iudicio, & extra illud faciant,quam ipsæ præsentes facerent,si ibi ostenderentur,aut exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę sublationis, abolitionis,priuationis,statuti, mãdati, innodationis, & voluntatis infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,indignationem omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri,& Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1568. quintodecimo Kal. Decembris,Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1568. Indictione xj. die vero iiij. Mẽsis Decemb. Pont. Sanctiss. in Christo Patris & D. N. Pij diuina prouidentia PP. V. anno tertio, retroscriptæ literę apostolicæ, affixæ, & publicatę fuerunt ad valuas Basilicæ Principis apostolorum de Vrbe, Cancellariæ apostol. & in acie Campi Floræ, dimissis in omnibus supradictis locis earundem retroscriptarum literarum copiis affixis, vt moris est, per nos Ioannem Freile, & Iulium Parinum prælibati S. D. N. Papæ Cursores.

Sanctiss.

Sanctiss D. N. D. Pij Papæ. V. Extensio Decreti Concilij Tridentini Sess. xxi. cap. ij. quod incipit, Cum non deceat, loquentis de Clericis sæcularibus ad Clericos regulares non professos: quod non promoueantur ad sacros ordines, nisi seruata forma dicti Decreti.

PIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

ROmanus Pontifex sacrorum Conciliorum auctor,& interpres, illa quæ in huiusmodi Cõciliis à prudẽtibus Patribus in Spiritu sancto,legitime congregatis salubriter sancita sunt,pro sui pastoralis officij debito,dum æquitas,honestas, & decus suadet, sicuti declarare,& moderari,ita etiam ad alios casus extendere consueuit. Sane cum non deceat diuino ministerio ascriptos cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, sacro Tridentino Concilio inter alia decretũ fuit, ne quis deinceps clericus sæcularis,quauis aliàs moribus,scientia, & ætate esset idoneus, ad sacros ordines promouereretur, nisi prius legitime constaret eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere, vel alias ordinari non posset, nisi iuxta Decreti ab ipso Cõcilio desuper editi formam, & tenorem. Cum autem nulla in huiusmodi Decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit,ac propterea nonnulli (vti moleste accepimus) certorum ordinum religiosi,seu canonici, vel clerici intra claustra monasteriorum, seu domorum more regularium in communi viuentes,qui nunquam, seu non nisi ad certum tempus professionem emittunt, & ex claustro exire,vel dimitti,& ad sæculum redire libere, & licite possunt,religionis prætextu absque titulo sufficientis beneficij, nec iuxta dicti Decreti tenorem, ad sacros ordines se promoueri prendunt,& à nonnullis Episcopis passim ꝓmoueãtur,atq; inde plerũq; illud incõue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niens eueniat, vt sic promoti, & è claustro exeuntes, & per seculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere, non sine ipsorum dedecore, ac ordinis villipendio, & quam plurimorum Christifidelium scandalo cogantur. Nos igitur, qui singulorum Dei Ministrorum honorem, & decus (quantum in nobis est) sinceris exoptamus affectibus, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine hac perpetuo valitura sanctione decretum prædictum de clericis sęcularibus loquens, ad omnes, & singulos etiam cuiuscunque ordinis clericos religiosos, siue sęculares more religiosorum viuentes in communi non professos harum serie extendimus, & ampliamus, Ac religiosis, & aliis prædictis non professis, vt ad sacros ordines promoueri, necnon omnibus & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Ep scopis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus, vt ordines ipsos huiusmodi religiosis personis impendere, nisi obseruata forma dicti decreti non valeant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna interdicimus, & prohibemus, ac contrafacientes per annum à præstatione talium ordinum ipso iure suspendimus. Statuentes, & decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarũ prædictarum ad ordines huiusmodi cõtra ipsius decreti Concilij Tridentini formam, etiam cuiusuis licentiæ illis ab apostolica sede, vel illarum superioribus cuiuscunque dignitatis, status, gradus, & præeminentiæ existant, etiã si Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore præfulgeant concessæ, prætextu factas, executione prædictorum ordinum omnino carere, nullasque prorsus, & irritas existere, sicque promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse. Quinimo ministrantes, priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratiis clericis concessis omnino priuari, & irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas pœnas eo ipso incurrere, à quibus nisi à Romano

no Pontifice, vel in mortis articulo minime absolui possint. Non obstan. quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quorumuis Monasteriorum, & ordinum etiam iuramento, & confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & cõsuetudinib⁹, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, illis, illorumque superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, restitutiuis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si alias pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, formas, datas, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur pręsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Et, vt præsentes literæ ad omnium notitiam perueniant, neue quis illarum ignorantia excusari possit, volumus, & apostolica auctoritate decernimus præsentes literas ad valuas principis apostolorum de Vrbe, & cancellariæ apostolicæ, ac in acie Campi Floræ publicari, & earum exempla affigi, & imprimi, illarumque exemplis etiam impressis manu alicuius Notarij publici, & sigillo pręlati ecclesiastici, vel eius curiæ obsignatis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ extensionis, ampliationis, interdicti, prohibitionis, suppositionis, statuti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem

hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostol. eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, pridie Idus Octobr. Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, Indictione vndecima, die vero duodecima mensis Nouembris, Pontificatus S. D. N. D. Pij diuina prouidentia PP. V. anno tertio, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis apostolorum de Vrbe, Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis in superius expressis locis præsentibus literis per aliquantulum temporis spacium affixis, & deinde vt moris est, amotis, per nos Thomam Gallarum, & Iulium Parinum præfatos S. D. N. D. Pij Papæ V. ac sanctæ apostolicæ Sedis Cursores.

Christianus de Monte Mag. Cur.

Sanctiss. D. N. D. Pij Papæ V. Præceptum de notificando, & non relaxando Captiuo.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio. Postquam nuper inter nos, & Sedem apostolicam, ac charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, necnon dilectum filium nobilem virum Aloysium Mocenicum Venetorum Ducem, & eius Reip. dominium, inito fœdere, & classe communibus viribus comparata, dilecto filio nobili viro Io. ab Austria eius generali Præfecto & ductore, commissum fuit prælium omni posteritati commemorandum, initio illud quidem quatenus poteramus nobis ab humanis

manis viribus polliceri periculosissimum, ipso autem exitu felicissimum, hostibus maximam partem cæsis, fugatis, reliquis captiuis factis, causam nimirum suam domino Deo nostro iuuante, proque suo Israele pugnante, perlatum fuit ad nos, plerosque Christianorum partim captiuos illos sibi ipsis retinuisse, partim vendidisse, alios donasse, nonnullos etiam pacta pecunia, in spem redemptionis adduxisse. Quod sane graue iter, vt debuimus, accepimus: ab ipsa enim superiorum temporum experientia edocti sumus, quanto semper hæc cum Christianorum damno facta fuerint: plerosque enim ipsorum captiuorum esse nauigandi peritissimos, ad classem adornandam, instruendam, ducendam propter multam maris, tempestatum, oraumque peritiam, atque ad bellandum vtilissimos, & si vnquam alias, certe hoc tempore cæteris sui similibus cęsis, esse hostibus pernecessarios, ex quorum missione vt magna hostibus ipsis accessio fieret, ita nobis magna decessio, cum etiam ab omni ratione, & iure belli alienissimum sit, vt, ipso bello durante, mittantur illi, qui possunt aliquādo ipsis mittentibus bellum instaurare, & contra eos venire. Quod quidem malum tametsi dilectū filiū nobilē virum Ioannem ab Austria pro eius singulari prudentia præuidisse, eique prouidisse non dubitamus, tamen vt ad eius cautionem Apostolicæ etiam auctoritatis robur accedat, præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis, quocunque sint gradu, conditione, statu, nomine, honore, apud quos captiui aliqui ex classe Turcarum vel nunc sunt, vel in posterum erunt, siue ipsi eos receperint, siue ab aliis emptione, donatione, permutatione, vel alia quacunque ratione acceperint, ne illos hoc fœdere, & bello durante, quocunque nomine, ratione, colore mittere, alienare, liberare, fugere, atque abire permittere audeant, sed eos debeant omni cura, & diligentia custodire, & eorum numerum, nomina, patriam, parentes, ætatem, dignitatem, siue conditionem, & alias si quæ extant magis certæ, & particulares demonstratio-

nes, nobis, aut nostris nunciis, si ibi præsentes fuerint, si vero absentes, ipsarum ciuitatum, & locorum, in quibus dictos captiuos habentes reperiuntur, Rectoribus, Gubernatoribus, Iudicibus, Locatenentibus, aut alio nomine nuncupatis, in ipsa vero classe existentes nostris, aut nostrorum fœderatorum ductoribus, præfectis, iudicibus quamprimum à publicatione præsentium indicare. Illi autem, quibus captiui prædicti fuerint indicati, debeant similiter eorum numerum, & cæteras omnes circunstantias supradictas, prout eas acceperint, nobis quantocitius significare. Si qui vero ex prædictis contrauenerint, eos excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua nisi à nobis, ac successoribus nostris, canonice intrantibus absolui nequeant, necnon amissionis omnium, & singulorum feudorum, dominiorum, & aliorum quorumcunque bonorum tam mobilium, quam immobilium, quoad eos, qui ecclesiasticæ iurisdictionis fuerint, nobis, & fisco nostro: qui vero aliarum ditionum suæ cuiusque ditionis fisco applicandorum, & læsæ etiam maiestatis criminis pœnas eo ipso incurrisse declaramus: sperantes etiam quòd dicti nostri fœderati huiusmodi nostrum præceptum in suis quisque locis inuiolabiliter obseruari curabunt. Et propterea omnibus, & singulis locorum ordinariis, illorumque vicariis in spiritualibus generalibus, ac Gubernatoribus, Iudicibus, Locatenentibus, Baricellis, & aliis executoribus quarumcunque ciuitatum, oppidorum, terrarum, & locorum contra præcepti, & mandati nostri huiusmodi transgressores ad executionem pœnarum prædictarum irremissibiliter etiam executiue, & sine figura iudicij, ac absque alio à nobis vel consœderatis nostris expectato mandato procedendi, plenam, & liberam licentiam, auctoritatem, & facultatem concedimus, & impartimur. Volumus autem vt præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio, & extra, quacunq; regula, seu cõstitutione apostolica contraria non obstante, quodque illius exempla etiã impressa

impressa edantur, eaq; notarij publici manu, & cuiuscunq; curiæ ecclesiasticæ, aut Prælati sigillo obsignata eandem prorsus fidem vbique faciant, quam ipse præsens Motus proprius faceret, si esset exhibitus, vel ostensus. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, statutis, & consuetudinibus etiam confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ac etiam legibus etiam castrensibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis quibusuis communitatibus, vniuersitatibus, aliisque particularibus personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiã Motu proprio, &c. & alias quomodolibet concessis, quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Placet Motu proprio. M.

Dat. Romę apud sanctum Petrum, duodecimo Kal. Ianuarij. Anno sexto.

Anno à Natiuitate Domini 1571. Indictio. decimaquarta, die vero xxij. Decembris, Pont. S. in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno sexto supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis principis Apostolorum de Vrbe, necnon in valuis Cancellariæ apostolicæ, & acie Campi Floræ vt moris est, per nos Camillum Cherubinũ, & Ioannem Sprengerium prælibati S.D.N. Papæ Curs.

Sanctiss. D. N. D. Pij Papæ V. Declaratio, quomodo rei in contumaciam condemnati, & infra annum capti, admittẽdi vel non admittendi sint ad faciendum eorum defensiones.

PIVS PAPA V.

MOtu Proprio, &c. Dudum postquam fe. re. Pius Papa quartus prędecessor noster, cupiens subterfugiis

fugiis delinquentium obuiare, per quasdam suas in forma Motus proprij æditas literas: sub dat. Romæ apud sanctum Petrum xij. Kal. Iunij anno sexto inter alia statuisset, quod rei in contumaciam condemnati ad suas defensiones faciendas admitti non possint, nisi infra sex menses quo ad faciendas videlicet à die cõdemnationis, quo vero ad iam factas condemnationes à die publicationis earundem literarum computãdos, per alias nostras etiam in forma Motus proprij emanatas literas, Die vigesima Mẽsis Iunij, Pontificatus nostri Anno Primo publicatas, terminum sex mensium huiusmodi ad annum prorogauimus, ac contumacibus huiusmodi defensiones non nisi post anni elapsi terminum denegari debere decreuimus. Cumque, sicut accepimus, à nonnullis ordinationem, & dispositionem huiusmodi, nostramque, & dicti prædecessoris in illis edendis intentionem variis calumniis eludere, & super earum sinistris interpretationibus agẽtes pro fisco, & Camera Apostolica fatigare, & causas in longum protrahere, & illas intricare, sententiarumque executionem euitare satagentibus, sæpe in dubium verti contingat, licet ex verborum proprietate res clara sit, An scilicet tam sponte comparentes, de quibus loquitur Motus proprius præfati Prædecessoris, quam etiam capti intra dictum tempus, indistincte admitti debeant, ad faciendum suas defensiones, maxime stantibus in eodem nostro Motu proprio appositis supra relatis verbis videlicet, Ac contumacibus huiusmodi defensiones non nisi post anni elapsi terminum denegari debere, quæ indiffinite prolata sunt, & videntur posse comprehendere; tam sponte comparentes quam captos: Nihilominus cõsiderantes, quòd verba ipsa nihil aliud disponunt quam prorogationẽ termini iis, quibus ex forma Motus proprij prædicti prædecessoris denegari non poterat. Nos igitur ad tollendum omne dubium, & absurdum euitandum, quod capti, & sponte comparentes paris essent conditionis, necnon calumniis, & aliis in conuenientibus huius

huiusmodi, quantum cum Deo possumus, obuiare, omnemque disputandi materiam tollere, & in his opportune prouidere volentes, necnon singularum literarum prædictarum, ac inditiorum, inquisitorum processuum, condemnationum, & sententiarum desuper formatarum & latarum, ac formandarum, & promulgan. huiusmodi, aliorumque forsan. latius exprimen. tenores, continentias, formas, & compendia, ac reorũ, delictorum, criminum, & excessuum, ac pœnarum huiusmodi, & Iudicum nomina, cognomina, gradus, & qualitates, ac quantitates & loca, pro plene & sufficiẽter expressis habentes, & decernentes, necnon singulas prænarratas literas confirmantes, & innouantes, Motu simili, &c. Quod banniti, & in contumaciam condemnati in pœnam capitis, & vltimi supplicij si capti ad manus Curiæ deuenerint, per Iudices ad nouas siue alias defensiones faciendas, etiam intra dictum tempus non admittantur, nisi habita à nobis, vel signatura nostra desuper gratia speciali, nec literæ ipsæ, quæ in eorum odium editæ sunt, eis in aliquo suffragentur, aut illis se iuuare, siue defendere possint. Quinimo, quod Iudices præfati sententias ipsas condemnatorias tam in Vrbe quam extra eam latas, & ferendas, si tamen legitimis præcedentibus indiciis ad inquirendum promulgatæ fuerint, executioni realiter, & corporaliter suis loco, & tempore congruis respectiue, totaliter, & integre contra sic captos demandent, & demandari faciant, hac nostra perpetuo valitura declaratione declaramus, & decernimus, & quatenus opus sit, de nouo statuimus, & ordinamus, & ita mentis, & intentionis nostræ fuisse, & esse attestamur. Præterea Almæ Vrbis nostræ Generali Gubernatori, cæterisque Iudicibus ordinariis, vel delegatis in Rom. Cur. vel extra eã residentibus quibuscunque in virtute sanctæ obediẽtiæ, & sub indignationis nostræ pœna committimus, & mandamus districte præcipiendo per præsentes, quatenus huiusmodi nostram declarationem, seu nouam constitutionem, & ordinationem, necnon ipsas præsen

sentes, & in eis contenta omnia, & singula in causis criminalibus, seu mixtis, ac aliis Fiscum, & Cameram Apostolicam, illiusque interesse quomodolibet concernen. nunc & pro tempore pendentibus quibuscunque, etiam si forsan aliqui capti nunc in carceribus detineantur, perpetuo inuiolabiliter obseruari mandent & faciant, & illi obseruent, & ita & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices, & Commissarios, &c. etiam S.R.E. Card. ac Palatij Apostol. causarum Auditores, sublata, &c. iudicari, interpretari, & diffiniri debere, irritum quoque, &c. decernimus. Non obstan. præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, statutisque, ac consuetudinibus Prouinciarum, ciuitatum, oppidorũ, & locorum quorumcunque etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis: priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, vniuersitatibus, communitatibus, & hominibus prouinciarum, ciuitatum, & locorum prædictorum, acetiam singulis prænominatis, & aliis quibuscunque iudicibus, &c. per nos, & prędecessores nostros concessis, & etiam iteratis vicibus innouatis. Quibus omnibus, &c. illorum tenores, &c. hac vice latissime derogamus, ac stylo palatij, cæterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentis Motus proprij, etiam absque data, & registratura sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio, & extra, regula contraria non obstante, eiusque transumptis etiam impresis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, seu literæ desuper per breue nostrum expediri possint, & si videbitur, cum omnium, & singulorum prænarratorum, & expressorum, aliorumque necessariorũ specificatione, & insertione, & cum aliis clausulis opportunis, & consuetis.

Pla

Placet Motu proprio. M.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Id. Septemb. anno sexto.

Anno à natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1571. indictiõe decimaquarta, die vero decima septima mẽsis Septembris, Pont. autem Sanct. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno sexto, retroscriptus Motus proprius affixus, & publicatus fuit in acie Campi Floræ, & ad valuas Cancellariæ Apostolicæ dimissis copiis affixis, per me Ioan. Andream Pannizzam Præfati Sanctissimi D. N. Papæ Curs.

Ioan. Guerardi Magist. Curs.

Decretalis S.D.N. Pij V. Super exercendis Cambiis.

PIVS *Episcopus seruus seruorum* Dei, *ad perpetuam rei memoriam.*

IN eam pro nostro pastorali officio curam diligenter incumbimus, vt D.N. ouibus opportuna pro animarum salute remedia adhibere minime differamus. Cum itaque ad aures nostras peruenerit, legitimum cambiorum vsum, quem necessitas, publicaq; vtilitas induxit, sæpenumero ob illiciti quæstus cupiditatem sic deprauari, vt sub illius prætextu vsuraria prauitas à nonnullis exerceatur: Nos petitionibus, quæ super his nuper nobis factæ sunt, hac perpetuo valitura decretali respondendum esse duximus, vt neque dolosis sua fraus suffragetur, neque ignaros perdat inscitia: sic enim Pastoris officium exequimur, dum gregem nobis commissum ab æternæ damnationis periculo eripere modis omnibus studemus. Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quæ loca ij, qui pecuniã recipiũt, literas quidẽ suas cãbij tradũt, sed nõ mittũtur, vel ita mittuntur, vt trãsacto tempore, vnde

pro

processerant, inanes referãtur, aut etiam nullis huiusmodi literis traditis pecunia ibi denique cum interesse roposcitur, vbi contractus fuerat celebratus, nam inter dantes, & recipientes vsque à principio ita conuenerat, vel certe talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis huiusmodi literis receptis, solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniæ siue depositi, siue alio nomine ficti cambij traduntur, vt postea eodem in loco, vel alibi cũ lucro restituantur. Sed & in ipsis cambiis, quæ realia appellantur, interdum (vt ad nos præfertur) Campsores præstitutum solutionis terminum lucro ex tacita, vel expressa conuentione recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant, districtius prohibemus. Porro ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi, fraudesque fœneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat siue à principio, siue aliàs certum, & determinatum interesse, etiam in casum non solutionis, pacisci, neque realia cambia aliter quam pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi vero non celebrantur, pro primis terminis iuxta receptum locorum vsum exercere, abusu illo prorsus reiecto, cambia pro secundis, & deinceps nundinis siue terminis exercendi. Curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne, dum longiores præfiguntur, quam loca destinatæ solutionis desiderant, fœnerandi detur occasio.

Quicunque contra hanc nostram constitutionem commiserit, pœnis à sacris canonibus contra vsurarios inflictis, se nouerit subiacere. Eos verò, qui conspirationes fecerint, vel congestam vndique pecuniam ita ad se redegerint, vt quasi monopolium pecuniæ facere videantur: pœnis, quæ à iure contra exercentes monopolia constitutæ sunt teneri sancimus. Volumus autem, quòd præsentes literæ in Camera apostolica, & ad

& ad valuas Basilicæ Principis apostolorum de Vrbe, & Cãcellariæ etiam apostolicæ publicentur & in ipsa Camera describantur. Et quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quòd earum transumptis etiam impressis manu alicuius eiusdem Cameræ, vel alterius Notarij subscriptis, & sigillo dictæ Cameræ, vel Prælati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę damnationis, declarationis, prohibitionis, statuti, sanctionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1570. quinto Kal. Februarij. Pontificatus nostri anno sexto.

Ferd. Card. de Medicis Summator.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno à natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1571. indictione decima quarta, die vero decima septima Februari Pont. Sanct. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno sexto, præsentes retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cameræ Apostolicæ, Principis apostolorum basilicæ de Vrbe, ac Cancellariæ apostolicæ vt moris est, per nos Bartholomæum Sottocasa, & M. Antonium Brutum præfati Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Scipio de Oct. Magist. Curs.

Registrata apud Cæsarem secretarium.

Facultates per S. D. N. Pium diuina prouidentia Papam V. Concessu Illust. & Reuerendiss. dominis Prospero de S. Cruce, & Ioanni, Aldobrãdino S. R. E. presbyteris Cardinalibus super absolutione eorum qui pro venia suorum delictorum in auxilium Christianæ Reipublicæ contra Turcas militare, aut stipendia militantibus subministrare cupiunt.

MOtu proprio &c. Quoniam pro paternæ nostræ erga subditos nostros charitatis affectu nihil sane iam inde à Pontificatus nostri initio potius, aut antiquius habuimus, quàm eosdem subditos nostros à nouis, & extra ordinariis oneribus liberos semper, & immunes conseruare. Ideirco cum in laudabili hoc animi proposito firmiter nobis insistẽdum esse statuerimus, mirum certe nemini videri debet, si dum impẽdentibus, & vrgentibus Christiani populi periculis & necessitatibus, & iis, per quæ conuentionibus sacri fœderis, per nos cum charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarũ Rege Catholico, & dilectis filiis nobilib⁹ viris Duces & senatu Venetorũ initi satisfacere tenemur, occurrere studemus (quandoquidẽ erarium nostrum anteactarum impẽsarum mole penitus sit exhaustum) belli, quod contra perfidissimos Turcas gerimus, subsidia ab illis personis, qui corporalib⁹ pœnis, ob patrata per eos delicta, essent submittendi, licite tamen, & honeste recipienda esse censemus, in hoc præsertim felicissimæ victoriæ contra eosdem perfidissimos Turcas admirabili Dei beneficio nobis concessæ tempore, quo ij qui nostra clementia egent, illam à nobis quasi quodam publicæ lætitiæ iure expetere videntur. Quod etiam facilius efficimus, & Deum enixe rogamus, vt, qui de præsenti delictis irretiti, ac forsan de absolutionis beneficio diffidentes in eisdem perseuerant, hoc nostræ indulgentiæ munere allecti, veteri fermento abolito, nouum induant hominem. Motu igitur simili, & de apostolicæ potestatis plenitudine dilectis filiis nostris Prospero de S. Cruce, & Ioanni Aldobrãdino nuncupatis S.R.E. Cardinalibus, de quorum integritate, circunspectione, probitate, & intentionis sinceritate, aliisque virtutum donis plurimum in Domino confidimus, quosque in præmissis nonnisi delictorum circunstantiis recte examinatis, & læsarum partium habita ratione, & in omnibus iuxta mentis nostræ intentionem processuros esse certo scimus, facultatem per præsentes concedimus, & impartimur, vt cum interuentu dilectorum filiorum magistri Montis de Valentibus, almæ Vrbis Gubernatoris, Notarij, & Prælati nostri domestici, ac Bartholomęi Bussoti Thesaurarii nostri generalis, necnon Procuratoris Fiscalis de quorum etiam experientia, & in commissis fide, & diligentia plurimum in Domino confidimus, habitóque ad delictorum grauitatem debito respectu, cum omnibus, & singulis vtriusque sexus personis, tam laicis, quam ecclesiasticis, sęcularibus, vel regularibus, nobis ratione loci vel personæ in temporalibus, vel spiritualibus mediate, vel immediate subiectis vbique locorum existentibus, in expeditione cõtra dictos Turcas pro instruenda classe nostra, aduersus sanctæ fidei hostes, in auxilium religionis, & Reipublicæ Christianæ pro suorum delictorum venia militare, vel remigare, aut alios pro eis ad militandum, seu remigandum mittere, seu pro modo culpæ, & facultatum de bonis sibi à Deo collatis stipendia subministrare volentibus, dicta stipendia, & belli subsidia taxare, ac omnes, & singulas supradictas personas vbicunque existentes, tam præsentes, quam absentes, infra annum à præsentium data computandum, à quibuscunque criminibus, excessibus, & delictis etiam reiteratis, tam publicis, quam occultis, nomine etiam si videbitur absoluendi tacito, ante nonas mensis Decembris proxime elapsi commissis, etiam si talia forent, quæ sub generali delictorum nomine non venirent, sed speciali expressione indigerent, & ad Fiscum nostrum delata fuerint, & in illis processus formatus ac desuper pronunciatum fuerit, & huiusmodi delinquentes in carceribus ad præsens detineantur (dummodo hæresis, & læsæ maiestatis crimina non fuerint) in foro fori absoluere, & totaliter liberare, ac eos & eorum singulos ad patriam, honores, bona, & eum in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum restituere, reponere, & plenarie reintegrare, omnemque infamiæ maculam, & inhabilitatis notam abolere, omnemque pœ-

nam etiam corporalem, ac bonorum confiscatione eis ratione delictorum suorum occasione prouenientem, seu debitam condonare, & remittere, necnon processus quoscunque contra eos in contumaciam, aut alias quomodolibet formatos, non tamen executioni hactenus demandatos, cassare, annullare, & abolere, ac ab omnib⁹, quos illa concernunt, aboleri, cassari, & annullari facere. Necnon, si ita delictorum qualitas suaserit, & eisdem Cardinalibus videbitur, ipsi soli delinquentes prædictos sic absolutos etiam in vtroque foro absoluere. Ac cum iis, qui clerici, aut alias ad ordines etiam sacros promoti fuerint, aut beneficia ecclesiastica quomodocunque obtinuerint, super irregularitate per eos exinde quomodolibet contracta, quodque illa, & aliis præmissis non obstantibus, suis clericali charactere, & illius priuilegiis vti necnon in suis ordinibus remanere, ac in illis etiam in altaris ministerio ministrare, ac quæcunque per eos obtenta, & in posterum obtinenda beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura quomodocunque, & qualitercunque qualificata, etiã si ecclesiæ, etiam cathedrales, & Metropolitan. Monasteria, Prioratus, Præposituræ, etiam conuentuales, ac dignitates etiã maiores, & principales fuerint, recipere, & retinere, ac quoscunque fructus &c. loco pensionum annuarum, necnon pensiones annuas super similibus fructibus &c. impositis, vt prius percipere, exigere, & leuare libere, & licite possint, & valeant, dispensare: Necnon omnibus, & singulis iudicibus tam ordinariis, quàm extraordinariis & quarumcunque Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, locorum, & oppidorum Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, Capitaneis, Prætoribus, & aliis personis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, & quacunque auctoritate fungentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excõis &c. pœnis districtius inhibere, ne sic absolutos huiusmodi quouis quæsito colore molestare, inquietare,

tare, vel perturbare audeant, vel præsumant, illisque sub eisdem pœnis mandare, quatenus processus, & alias scripturas prædictas superinde confectas cassent, & annullent, perpetuumque super præmissis silentium imponere, & quæcumque alia in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, vel opportuna facere, exequi, & exercere libere, & licite possint, & valeant: Decernentes omnes, & singulas absolutiones & alia per eos vigore præsentium facienda nullo vnquam temporo de surreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, impugnari, inualidari, ad terminos iuris reduci, in ius, vel controuersiã vocari nullatenus posse, minusque sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullatenus posse, sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Iudices &c. etiam causarum Palatij apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis &c. iudicari debere, irritum quoque &c. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis apostolicis, necnon in prouincialibus, synodalibus conciliis editis specialibus, vel generalibus, constitutionibus, ac quibusuis etiam ecclesiarum, & monasteriorum etiam forsan in quibus beneficia ipsa extiterint iuramento &c. roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque &c. sub quibuscunque tenoribus &c. etiam motu simili &c. etiam consistorialiter &c. concessis &c. Quibus omnibus etiam si de illis &c. illorum tenores &c. hac vice latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem præsentium solam signaturã sufficere, & vbique fidem facere in iudicio, & extra, regula quacumque contraria non obstante. Ac quoniam difficile foret præsentes has nostras ad singula quæque loca deferri, præsentium transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus

fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Cæterum delinquẽtes huiusmodi, quos præsentium vigore absolui contigerit, hortamur, & monemus in domino, vt sciant hac gratia nostra ita in eorum consc ientiarum vtilitatem vti, vt deinceps viam veritatis agnoscant, sique aliquando eorum peccatis ir m Dei prouocarunt, in futurum misericordiam illius sibi, & aliis propitiam facere studeant.

Placet Motu proprio M.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, tertio Kal. Februarij, anno septimo.

Bulla Facultatum concessarum Illustriss. & Reuerend. Cardinalibus deputatis super affrancatione bonorum Ecclesiasticorum.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei.

VEnerabilibus fratribus Ioanni Hostien. Morono, & Ioanni Albanen. Episcopis de Montepolitiano, & dilectis filiis Aloysio S. Marci S. R. E. Camerario Cornelio, Michaeli S. Mariæ supra Mineruam Alexandrino, Ioanni Paulo S. Pancratij ab Ecclesia, Marcoantonio sancti Calixti Maffeo: Petro Donato sancti Vitalis Cæsio, Hieronymo sanctæ Susannæ Rusticuccio, & Ioanni Hieronymo sancti Ioannis ante portam Latinam titulorum Albano, nuncupatis presbyteris Cardinalibus, seu maiori parti vestrum in curia nunc, & pro tempore existentium salutem, & apostolicam benedictionem. Et si benedictus Deus, & Dominus Pater misericordiarum, & totius consolationis, qui seruos suos sperantes in se non derelinquit, nos misericorditer est consolatus, tradendo partem inimicorum suorum in manus seruorum suorum: dum tamen de gregis Dominici salute ita exactam curam gerimus, vt illius non solum præsentibus, verum etiam futuris periculis occurrendum esse iudicemus, animaduertimus plane nobis omnino necesse esse hanc victoriam

riam ea, qua possumus ratione prosequi, cum si perfido Christiani nominis hosti, quiescendi, & vires instaurandi, nouamque classem instruendi, terrestremque exercitum comparandi spatium dederimus, fructus, qui ex nuper parta victoria vberrimi sperantur, inanes, & vacui prorsus redderentur, quod ne fiat, omni prorsus ope enitendum est, vt nouis copiis terra, marique instructis, qui nuper nobis ipsis timebamus, & ipsius hostis terrestres, quos maximos, vt accepimus, parat, impetus reprimere, & eiusdem loca inuadere, & durum seruitutis iugum quam pluribus Christifidelibus impositum excutere, & Christi nomen propagare studeamus. Verum, cum in hoc opere adimplendo multa, ac ea, quam ærarium nostrum retroactis subsidiis labefactatum non habet pecuniarum summa sit expedienda, mirum nemini videri debet, si pecunias vndequaque, licite tamen, exquirimus, quibus præmissa exequi valeamus. Habita igitur super iis cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in consistorio nostro secreto discussione, & deliberatione matura, de ipsorum fratrum consilio, & vnanimi assensu ex certa nostra scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aliorum Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, qui similibus, vel aliis tunc vrgentibus necessitatibus nonnulla bona ecclesiastica vendiderunt, vestigiis inhærendo: Circumspectioni vestræ quorum integritas, in rebus gerendis dexteritas, nec non fides, & prudentia, ac cum rerum experientia coniuncta solertia, nobis iamdudum perspectæ, & cognitæ sunt, quosque propterea ad infrascripta omnia nostros, & apostolicæ sedis Commissarios, & executores facimus, & deputamus: quod infra annum à die publicationis præsentium computandum, per vos, vel alium, seu alios à vobis per vestras patentes literas deputandos, quascunque canones, liuellos, respõsiones, recognitiones, & census perpetuos, vel temporales precariæ perpetuæ seu emphyteosis vel vsus, & quocunque alio etiam feudi

(iurisdictione tamen temporali carẽtis) nomine nuncupatos sub quibusuis caducitatis, & aliis pactis, & conuentionibus, ac obligationibus, necnon modis etiam recognitionem directi dominij, & proprietatis seu etiam causa honoris alioue iure, occasione vel aliter quomodolibet constitutos, super quibusuis Casalibus, possessionibus, terris, vineis, domibus, prædiis, pratis, nemoribus, siluis, vallibus, paludibus, tenimentis, & aliis bonis immobilibus, cuiuscunque quantitatis, valoris ac extimationis etiam speciali nota dignis, existentibus, & quorum omnium & singulorum bonorum corpora pro expressis hic haberi volumus, perinde ac si singula ipsa corpora, cũ suis cohærentiis, & qualitatibus, descripta essent: quarumcunque Ecclesiarum etiam Cathedralium, & metropolitanarum, ac Patriarchalium, necnon basilicarum, & monasteriorum congregationum, ordinum, Hospitalium, etiam actu hospitalitatem seruantium militiarum, & aliorum religiosorum & piorum locorum etiam quantumcunque priuilegiatorum, & exemptorum, ac habentium quod in speciali, vel generali expressione nisi certis modo, & forma seruatis non veniant, neque comprehendantur, in vrbe primum, necnon extra illius muros ac quibuscunque Ciuitatibus, terris, & locis per totam Italiam constitutis consistentium, exceptis tamen dumtaxat Canonibus, liuellis, responsionibus, recognitionibus, & censibus super Castris, fortelitiis, villis, & oppidis constitutis, & assignatis, ad quæcunque loca supradicta spectan. per quoscunque tam collegia, capitula, conuentus, communitates, vniuersitates quarumcunque Ciuitatum, oppidorum, terrarum, castrorum, villarum, & locorum, quam particulares personas etiam episcopali vel alia maiori Ecclesiastica, vel mũdana dignitate, & excellẽtia præditos soluen. seu debitos vel debendos, pro pretio, seu pretiis, quod, seu quæ vobis, vel maiori parti vestrum, videbitur, seu videbuntur etiam per interpellatas vices, nobis & Cameræ apostolicæ in actu

actu extinctionis, seu liberationis infrascriptarum, seu infra tempus per vos statuen. persoluendo, seu persoluendis: etiam sine aliqua causæ cognitione, & nullis tractatibus, nullisue solennitatibus desuper habitis, & seruatis: & sine requisitione, & consensu eorum, qui de iure, vel aliter requiri deberent: ac illis etiam inuitis, & reclamantibus extinguere, necnon & cum quibuscunque dictorum Canonum, liuellorum, responsionum, & quouis alio nomine nuncupatorum censuum debitoribus transigere, & Casalia, possessiones, vineas, Domos, Prædia, Prata, ac terras, nemora, siluas, valles, paludes, tenimenta, & alia bona prædicta, etiam si minus legitime, aut alias nulliter à principio alienata fuerint, illaue, seu illorum aliqua aduenientes fine certarum linearum, & generationum quibus, seu temporis ad quod concessa sint, vel concedi consueuerunt ex forma & pactis in inuestituris desuper factis expresse appositis, seu ob canones, census, vsus, responsiones debitos, ac loco & tempore consuetis non solutos, aut inuestituras legitimo tempore non acceptas, alienationesue de rebus ipsis tam iure proprio, quã etiam ratione vtilis dominij: Ecclesia tamen irrequisita, aut etiam contradicente factas, aliaue quauis occasione & causa etiam speciali mentione digna ad Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Plebanias, Archipresbyteratus, Præceptorias, Domos, Collegia, Capitula, Conuentus, Congregationes, Hospitalia, Militias, illorumue mensas quascunque, necnon cætera alia cum cura, vel sine cura sæcularia, & quorumuis ordinum regularia beneficia ecclesiastica qualitercunque qualificata, & alia loca religiosa, & pia huiusmodi spectent: aut eo ipso, & pleno iure reuerti, & deuolui deberent: tanquam forsan propterea, seu alias quomodolibet inter quoscunque in quauis instantia litigiosa existerent, & pro tempore fuerint: aut inuestituræ, & concessiones de casalibus, possessionibus, vineis, domibus, prædiis, pratis, nemoribus, siluis, vallibus, paludibus, tenimentis, & aliis bonis huius-

modi etiam ab antiquissimo tempore factæ, pactaque conuentiones, & promissiones inter dantes, & recipientes in id etiam iteratis, & multiplicatis vicibus apposita inita, & iurata aliquomodo tacite, vel expresse repugnarent, seu obstarent, illorumque feudatarios, vsuarios, emphyteotas, precarios, censuarios, liuellarios, locatarios, cõductores, ac vtiles dominos (à feudi vt præfertur à iurisdictione vacui) vsuum, censuum, canonum, liuellorum, precariæ, responsionum, & recognitionum huiusmodi, ac etiam laudemiorum seu capsoldorum in pecunia numerata, vel alia specie debitorum præstatione, onereque nexu, & obligatione reuersione, & deuolutione prædictis, ac renouatione inuestiturarum, consensu directorum dominorum in alienationibus, & translationibus de illis in quoscunque etiam penitus extraneos pro tempore factis adhibendo, necnon omni superioritate, & iure ecclesiastico, atque vexatione litium quarumcunque, quæ forsan superinde etiam inter ipsos directos dominos ex vna, & possessores bonorum huiusmodi parte altera nunc, & in futurum, motæ extiterint, & indecisæ quomodolibet in quacunque instantia pendeant, quarum statum, & merita, nominaque, & cognomina Iudicum, & Commissariorum, & delegatorum, coram quibus, & collitigantium inter quos forsan sic indecisæ pendent, simulque eorum titulos, & iura, etiam nulla, & infecta pro expressis hic haberi volumus, perpetuo in toto, vel parte affrancare, & liberare: illisq; possessiones, & alia bona huiusmodi etiam si in commissum quia directum dominium, & proprietatem eorũ, quorum iuris sunt, aut esse prætenduntur in iudicio, vel extra, expresse etiã, & pluries negauerint, recognitionemue de directis diminio, & proprietate huiusmodi etiã requisiti facere neglexerint, seu recusauerint: vel ob canonis non solutionem, aut extinctam lineam, aut alienationes vt supra factas, siue quouis alio prætextu cecidissent, ad ecclesiasque, Monasteria, Priouratus, Præposituras, Præpositatus, Plebanias, Archi

Archipresbyteratus, Præceptorias, Domos, Collegia, Capitula, Conuentus, Congregationes, Hospitalia, Militias, Mensas, cæteraque beneficia, & loca prædicta quomodolibet deuoluta, & pleno iure iam reuersa essent ab omni, & quacunque etiam caducitatis, deuolutionis, reuersionis, renouationis, consensusque adhibitionis huiusmodi molestia libera, & franca, dimittere, & perpetuo cõcedere: necnon quæcunque instrumenta, & scripturas, pactis, promissionibus, cautelis, & aliis in similibus apponi solitis, & necessariis vallata, & firmata conficere, & celebrare: ac quemcunque, seu quoscunque Commissarios tam speciales quam generales, qui præmissa, aut eorum aliqua vice nostra suppleant, cum simili, vel limitata, ac vobis beneuisa potestate deputare, & sub delegare, cæteraque in id quomodolibet necessaria, & opportuna facere, & exequi libere, & licite possitis, & valeatis, plenam, & liberam licentiam, & facultatem, ac auctoritatẽ tenore præsentium concedimus. Necnon secuta liberatione hac, lites, & causas huiusmodi, & tam pendentes quam inchoandas ex nunc, prout ex tunc, & econtra harum serie auocamus, & penitus extinguimus, atque perpetuũ silentium super illis, aliisque præmissis, Præsulibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Plebanis, Archipresbyteris, Præceptoribus, Commendatariis, Collegiis, Capitulis, Conuentibus, Congregationibus, Rectoribus, Administratoribusque, supradictis & aliis quibuscunque cuiusuis status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existẽtibus, quorum id quomodolibet directe, vel indirecte interest, vel in futurũ interesse poterit, imponimus. Insuper ne vllo vnquam tempore dubitari contingat, si liberatione, & affrancatione huiusmodi secutis, priuilegia, immunitates, libertates, & exemptiones, quæ tam Ecclesia ipsa quam possessiones, & alia bona supradicta, illasque sic pro tempore titulo feudi, vsus, emphyteosis, liuelli, precariæ, seu alias quomodolibet obtinentes habuerunt, & habent, perierint, & expirauerint, quod eatenus, quatenus

tenus vobis visum fuerit, exemptiones, immunitates, priuilegia, libertates, de quibus supra, & præsertim quòd in publicatione, & cõfiscatione bonorum particulari, vel vniuersali etiam ob quodcunque delictum, & crimen pro tempore commissa, casalia, possessiones, terræ, vineæ, domus, prædia, prata, nemora, siluæ, valles, paludes, tenimenta, & alia quæcũque bona feudalia, emphyteotica, liuellaria precariata, censualia, seu alias quomodolibet ecclesiis, Monasteriis, Prioratib⁹, præpositis, præpositatibus, plebaniis, archipresbyteratibus, præceptoriis, domibus, collegiis, capitulis, cõuentibus, congregationibus, hospitalibus, militiis, illorum mensis, cæterisque beneficiis, & locis piis huiusmodi obnoxia nequaquam veniant, aut comprehendantur, aut vllo modo publicari, seu Curiæ cuiusuis domini ecclesiastici, vel temporalis confiscari possint, vel debeant, quæ tam ecclesiæ quam eisdem possessionib⁹, terris, vineis, domibus, prędiis, pratis, nemoribus, siluis, vallibus, paludibus, tenimentis, & aliis huiusmodi bonis, illisque sic ea in feudum, liuellum, emphyteosim, precariã, vsum, censum, aut alias quomodolibet pro tempore obtinentibus retroactis temporibus, de iure, priuilegio, consuetudine, seu alias cõcessa fuerunt, & competere dignoscuntur: ac durante superioritate, nexu, obligatione, & onere prestationis, canonis, liuelli, census, precarię, responsionis, reuersionis, deuolutionis, directique dominij, & proprietatis supradictorum vtebantur, potiebantur, & gaudebant, vtiue, potiri, & gaudere poterant, & debebant, nequaquam ob liberationem, & affrancationem huiusmodi aliaue harum nostrarum vigore quomodolibet pro tempore secuta expirent, aut cessent, sed in suo pristino robore, & vigore permaneant, eisque obtinentibus pro tẽpore terras, vineas, domos, prędia, prata, nemora, siluas, valles, paludes, tenimenta, & alia bona huiusmodi etiã vt prefertur affrancata, & liberata vt prius non solum pariformiter, sed æque principaliter & absque vlla prorsus differentia, ac vere, & non per fictionem perpetuo gaudeant,

gaudeant, potiantur, & fruantur in omnibus, & per omnia sibique suffragentur, & suffragari debeant, perinde ac si superioritas, onera, nexus, & obligationes canonum, feudi, vsuum, emphyteosis, liuellorũ, precariæ, censuum, responsionum, reuersionum, deuolutionum, inuestiturarum directi dominij, ac proprietatis huiusmodi durarent, & nullatenus extincta essent, si & prout vobis concedere videbitur, concedimus, statuimus, & indulgemus. Ita tamen vt priuilegia, & exemptiones huiusmodi per vos concedi, & reseruari nequeant reis criminum læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, assassiniis, & offensionis Cardinalium, vel Episcoporum, his enim casibus si alias de iure locus futurus sit confiscationi, priuilegia huiusmodi concedi, aut suffragari nullo modo posse volumus. Decernentes affrancationes, liberationes, inuestituras, & concessiones, ac alia præmissa per vos, seu maiorem partem vestrum, aut à vobis respectiue deputandum, vel deputãdos ab eis, & singulo eorum, vt præfertur, facienda, & exequenda perpetuæ firmitatis robur obtinere debere, ac feudatarios, vsuarios, emphyteotas, liuellarios, precarios, censuarios, & vtiles dominos, ac alios prædictos, eorumque hæredes, & successores quoscunque ac alios quorum interest, vel interesse poterit modo aliquo contra præsentium tenorẽ desuper molestari, inquietari, vel impediri non posse: sed illos, ac possessiones, vineas, domos, prædia, prata, nemora, siluas, valles, paludes, tenimenta, bona, ac iura huiusmodi franca, libera, & allodialia perpetuo fore, & esse, & vt talia, ac prout alia bona mere laicalia, & profana in quoscunque etiam penitus extraneos, & incapaces tam ex dispositione inter viuos, quam causa mortis, & ab intestato transferre, ac transferri, & alienari libere, & licite posse, & debere. Et insuper non modo Ecclesias, monasteria, prioratus, præposituras, præpositatus, plebanias, præceptorias, archipresbyteratus, domos, collegia, capitula, conuentus, congregationes, hospitalia, militias, mensas, cæteraque beneficia, & loca prædicta, eorumque

que præsul[illegible]s, abbates, priores, prępositos, plebanos, archipresbyteros, præceptores, Commendatarios, rectores, & administratores quocunque nomine nuncupatos, sed neque nos, aut successores nostros Romanos Pontifices, aut Cameram apostolicā vllo vnquam tēpore præmissis se opponere, aut ab illis reclamare, vel beneficium restitutionis in integrum sub lęsionis etiā enormis, enormissimæ, aut etiam totalis, aut alio quocunque prętextu petere, vel impetrare, aut ab alio impetratis, seu etiam motu simili concessis vti: minusq; pręsentes literas sub quibusuis similium, vel dissimilium, alienationum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus cōprehendi nullatenus posse, sed semper ab illis exceptas & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum repositas, & plenarie etiam sub quacunque data per ipsos eligenda concessas: vimque validi, & efficacis, ac onerosi contractus inter nos, & Sedem apostolicam, & dictos liberatos etiam cum iuramento initi, & stipulati sortiri, & ita ab omnibus censeri, atque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ esse: sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes, & locorum ordinarios etiam causarum Palatij apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales vbique decidi, cognosci, & iudicari debere. Irritum quoque si secus super iis à quoquam quauis auctoritate sciēter, vel ignoranter contigerit attentari. Cæterum, vt indemnitati ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, præposituratum, præpositatuum, plebaniarum, archipresbyteratuum, præceptoriarum, domorum, collegiorum, capitulorum, conuentuum, congregationum hospitalium, militiarum, illorumque mensarum, cæterorumq; beneficiorum & locorum huiusmodi aliqua saltem ex parte consulatur, volumus quòd eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus, præposituris, præpositatibus, plebaniis, archipresbyteratibus, præceptoriis, domibus, col

collegiis, capitulis, conuentibus, congregationibus, hospitalibus, militiis, illarumque mensis, cæterisque beneficiis & locis prędictis, quorum canones, auxilio, responsiones, recognitiones, census, precariæ, [illegible], teoses, seu alia quæcunque iura per vos, seu [illegible] partem vestrum liberari, affrancari, alienari, & transig. contigerit, aliqua recompensa non quidem fundo, super quo canones impositi sunt correspectiua, sed respectu annui reditus, per ipsas Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Præposituras, præpositatus, plebanias, archipresbyteratus, præceptorias, domos, collegia, capitula, conuentus, congregationes, hospitalia, militias, illorūque mensas, cæteraque beneficia, & loca huiusmodi percipi soliti æquiualens, aut minor, si vobis aliquando visum fuerit, super aliis bonis stabilibus, seu tot locis montium non vacabilium, etiam pietatis nuncupatorū, & per singulas vniuersitates ciuitatum, oppidorum, terrarum, & locorum huiusmodi pro tempore erectorum, & institutorum, vel facto partis pecuniarum ex dicta affrancatione, liberatione, & transactione redigendarum vobis beneuisa, actuali deposito, ad effectum illam ad Ecclesiarum, & locorum prædictorum commodum inuestiendi assignetur, ipsaque assignata recompēsa perpetuo pro euictione iurium affrancatorum huiusmodi remaneat, & exinde amoueri nullatenus possit. Atque vt eo magis securitati eorū, qui vobiscū, aut deputandis à vobis sunt contracturi, prouideatur, statuimus quoad ipsos affrancantes, & liberantes, facultatem hanc affrancandi, liberandi, transigendi, & alienandi vobis concessam, nullatenus conditionalem, aut ad certam formam, & modum restrictā, sed quo ad validitatem contractuū celebrandorum, ipsorumq; affrancantium, & acquirentiū securitatem purā & liberam censeri, nullamque recompensæ assignandæ rationem haberi, affrancationesque, & liberationes faciendas sic valere, ac tenere, ac si prædicta omnia sine aliqua recompensæ mentione concessa essent: Ac insuper affrancationes, liberationes & transactio

Universidad de Deusto
Biblioteca

actiones præfatas perpetuo effectum sortiri : ipsos
que affrancantes, liberantes, & transigentes secu-
ctores, & a etiam si contingeret recompensationes pe
pavos, sedem ecclesiis, monasteriis, Prioratibus, Præpo
Pastusic, præpositatibus, plebaniis, archipresbyterati-
bus, præceptoriis, domibus, collegiis, capitulis, conuē-
tibus, congregationibus, hospitalibus, militiis, illorū
que mensis cęterisque beneficiis, & locis huiusmodi,
vel nullo modo dari, vel dandas, & assignandas ab eis-
dem de facto, vel de iure in totum, vel pro parte euin
ci, eosdemque affrancantes, liberantes, & transigentes
nullo vnquam tempore in perpetuum teneri ad pro-
bandum actualem pecuniarum numerationem, aut
pecunias per eos erogatas in Sedis apostolicæ vtilita-
tem versas, minusue recompensam esse assignatam,
cum pro eorum perpetua securitate sufficere velimus
exhibitionem vestrarum literarum patentium, quibus
affrancatio huiusmodi concedatur, etiam si contingeret
vllo vnquam tempore contrarium probari, & nihi-
lominus vniuersis, & singulis personis in dignitate ec-
clesiastica constitutis in dictis locis consistentibus
motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut
vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes lite-
ras, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus
fuerit, & quoties pro parte alicuius fuerint requisiti,
faciant auctoritate nostra extinctiones, affrācationes,
liberationes, & alia pręsentium vigore faciēda ab om-
nibus, quos illa concernunt, inuiolabiliter obseruari,
illisque, ac bonis affrācatis, & liberatis huiusmodi do-
minos, & possessores, ac oēs, & singulos, quos quomo-
dolibet cōcernunt, eorūq; hęredes, & successores quos-
cunque pacifice frui, & gaudere, nec permittant quen-
quam contra pręsentium, aut ipsorum instrumento-
rum, seu literarum patentium tenores modo aliquo
molestari, impediri, aut inquietari, cōtradictores quos-
libet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ec-
clesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia,
appellatione postposita, compescendo, legitimisque
super

super his habendis seruatis processibus, sententias,
censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggra-
uando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio
brachij sæcularis. Non obstantibus fe. rec. Bonifacij,
viij. de vna, & Concili generalis de duabus diætis, &
Symmachi quæ incipit, Non liceat Papæ, necnon Be-
nedicti xij. Pauli ij. & Pauli. iii. Romano. Pontificum
prędecessorū nostrorū, necnon de non tollēdo cuiquā
ius quęsitū, ac aliis apostolicis, necnon in quibusuis ge
neralibus, prouincialibus, & synodalibus conciliis
editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, &
ordinationibus, ac quarumuis Ecclesiarum, monaste-
riorum, ordinumque, militiarum, hospitalium, & lo-
corum præfatorum, ac aliorum quorumcunque etiam
iuramēto, confirmatiōe apostolica, vel quauis firmita-
te alia roboratis, statutis, vsibus, naturis, & consuetudi
nibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostoli-
cis, per præfatos, & quoscunque alios Romanos Ponti
fices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem apostoli
cam etiam viam generalis legis, & statuti perpetui,
necnon motu proprio ex certa scientia, ac de aposto-
licæ potestatis plenitudine etiam consistorialiter ac
cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis,
aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis
clausulis etiam in vim cōtractus, & pluries concessis,
cōfirmatis & innouatis, quibus omnibus, etiā si de il-
lis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, ex-
pressa, & indiuidua, non autem per clausulas genera-
les idem importantes mentio habenda, seu quæuis a-
lia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores
huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis a-
liàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat spe-
cialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis
quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel diui-
sim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, sus-
pendi, vel excommunicari non possint per literas apo
stolicas non facientes plenam, & expressam, ac de ver
bo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Et

ne vllo vnquam tempore de viribus in huiſmodi negotio per vos gerendorum dubitari contingat, ex eo quod ab initio non omnes in vnum conueneritis, aut ex vobis præſentibus aliqui receſſerint, & ex abſentibus negotio iam inchoato alij redierint, decernimus inſpiciendum numerum maioris partis veſtrum præſentium in Curia tempore concluſionis, ita vt quod aliqui ex vobis cœperint, alij libere illud proſequi valeant, & finire, & totiens quotiens redierint, reaſſumere, & quod circa præfatum numerum maioris partis præſentium in curia ſtetur plene aſſertioni Secretarij, vel Notarij veſtri ſic in literis patentibus, vel inſtrumentis aſſerentis. Vt autem eo facilius præſentes noſtræ literę ad omnium notitiam deducantur, illas in Baſilicæ Principis apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ apoſtolicæ valuis, ac in acie Campi Florę per vnum ex curſoribus noſtris, vt moris eſt, publicari, & affigi volumus, & mandamus. Quodque harum exemplis etiam impreſſis, ac inſertis manu Secretarij veſtræ congregationis ſubſcriptis, & ſigillo paruo alicuius ex vobis munitis eadē prorſus fides in iudicio, & extra vbique locorum adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā noſtrorū facti, deputationis, conceſſionum, auocationis, extinctionis, impoſitiōis, ſtatutorum, indulti, voluntatum, decretorum, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attendere præſumpſerit, indignationem omnipotentis, Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorū eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1571. tertio Nonas Decembris, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Ego

Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



†Ego Io. Card. Moronus Eps Oſtiē.
†Ego Otho Car. Auguſt. Eps Præne.
†Ego A. Card. Farneſius Eps Tuſc. Vic.
†Ego Iu. Car. Vrbi. Epiſc. Sabinen.
†Ego Io. Card. Politia. Eps. Alban.
†Ego Scipio Cardinalis Piſarum.
†Ego Io. Ant. Car S. Georgij.
†Ego Stani. Card. Varmien.
†Ego F. Car. Pachecco.
†Ego M. Ant. Car. Amulius.
†Ego I. Franc. Card. de Gambara.
†Ego. M. S. Card. ab Altaemps.
†Ego A. Cad. Geſualdus.
†Ego N. Card. de Sermoneta.
†Ego M. Ant. Card. Columna.
†Ego Ptol. Cardinalis Comenſis.
†Ego. P. Car. de Sancta Cruce.
†Ego Flauius Card. Vrſinus.
†Ego Alex. Card. Cribellus.
†Ego Guliel. Card. Sirletus.

†F. Card. Alciatus.
†Ego Pa. Card. ab Ecclesia.
†Ego M. Ant. Card. Maffeus.
†Ego Iul. Ant. Card. S. Seuerinæ.
†Ego P. Do. Card. Cæsius.
†Ego F. A. Card. Theanensis.
†Ego F. Fœlix Card. de Monte alto.
†Ego P. Cardinalis Piacentin.
†Ego Io. Card. Aldobrandinus.
†Ego F. Vincentius Card. Iustinia.
†Ego Hier. Card. Rusticutius.
†Ego Io. Hiero. Card. Albanus.
†Ego Fer. Card. de Medicis.
†Ego Ant. Card. Carafa.
†Iul. Card. de Aquauiua.
Cæ. Glorierius. A. de Alexiis.

Anno à Natiuitate Domini 1571. indict. xiiij. die verò Martis, xviij. mensis Decem. Pont. sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Pij diuina prouidentia PP. V. anno eius sexto, suprascriptæ literæ apost. affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Princi. apost. de Vrbe, cancellariæ apost. & in acie Campi Floræ, per nos Scipio. de Octauianis, & Ioan. de Soya apostolicos Curso.

Io. And. Pannizza Mag. Curso.

Motus Proprius Sanctiss. D. N. quo prohibentur expediri commissiones aut inhibitiones in causis Spoliorum nisi citato Cameræ Apostolicæ Commissario generali.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio &c. Attenden. quam frequenter contingat, quod quibona ad Cameram Apostolicam spectan. & signanter spolia per Clericos decedentes relicta detinent, variis prætextibus, & calumniis dilationes, & subterfugia quærentes, illorum cognitionem facere, & debitam satisfactionem impendere recusant, & vt se in huiusmodi iniusta detentione confoueant, modo friuolas appellationes confingunt, modo inhibitiones summa malitia extorquent, quibus

quibus causas ad Iudices non informatos & vbi non est quicausarũ hmõi expeditiõi vacet, trahũt, in graue animarum suarũ preiudicium, & cameræ prefatę lęsionem. Et propterea incõmodis huiusmodi obuiare volentes, dilectis filiis Vitellotio S.R.E. Card. Camerario, ac omnibus Romanæ Curiæ Iudicibus tã ordinariis quam delegatis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna præcipimus, & mandamus, ne in causis spoliorum, vel illicitarũ negotiationum per clericos factarum inhibitiones aliquas tam auctoritate sua ordinaria quam etiã vigore rescripti extra Romanam Curiam ad quasuis mundi partes, & contra quosuis collectores, decernant, & relaxent, nisi prius in ipsa Ro. Cu. ad illas decerni videndũ dilectus filius Cameræ Apostolicæ Cõmissarius generalis fuerit citatus, & de citatione huiusmodi in actis appareat, & de ea in inhibitione ipsa mentio fiat. Porrò signaturæ nostræ tam gratiæ quam iustitiæ referenda rij ac Cancellariæ Apostolicæ corrector, & auditor contradictarũ similiter commissiones in causis huiusmodi nullo modo nisi præuia citatione eiusdem Cõmissarij expediãt. Et si quandoque contingat ita sub verborum inuolucro, vel alia narratiua commissiones cõcipi, vt discerni non possit, an de causis spoliorum, vel illicitarũ negotiationum agatur, tunc tam nuntij Apostolici in prouinciis, residentes, & de causis huiusmodi cognoscentes, quã à dilecto filio Thesaurario nostro generali spoliorum collectore, & eisdem nuntiis deputati subcollectores, quibus inhibitiones huiusmodi præsentari contingat, illis minime parere teneantur, sed absque aliquo scrupulo, aut pœnarum incursu, illis reiectis, ad vlteriora procedere possint, & debeant, partibus alias iustitiam ministrando, & nihilominus irritum, & inane decernimus, quicquid contra præsentium tenorem fuerit decretum, vel attentatum. Volumus autem, quòd præsẽtis motus proprii copia valuis Cãcellariæ, & Cameræ Apostolicæ per vnum ex cursoribꝰ nostris,

vt moris est, publicata, ita omnes Romanæ Curiæ officiales, & Iudices afficiat, ac si personaliter singulis intimata foret, & quod illius sola signatura etiam absque data, & registratura sufficiat, & vbique fidē faciat contrariis non obstantibus quibuscunque.

Placet Motu proprio M.

Die quinta Ianuarij millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Cancellariæ apostolicæ per me Nicolaum de Mattheis Curs.

Franciscus Sottocasa Magist. Curs.

Die nona Ianuarij millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, præsentes retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Cameræ Apostolicæ, vt moris est, per me Bartholomæum Sottocasa Curso.

Franciscus Sottocasa Magister Curso.

Edictum Reuerendiss. Reformatorum Tribunalium Vrbis super obseruatione reformationis Tribunalis A. C. à S. D. N. Pio V. editæ.

Carolus tituli S. Agnetis S. R. E. Card. de Crassis nuncupat. & cæteri Reformatores tribunalium almæ Vrbis à Sanctissimo Domino Nostro Papa specialiter deputati.

PRæsenti nostro publico edicto omnibus, & singulis eiusdem Rom. Cur. Notariis, & scribis, actuariis, & aliis, ad quos spectat, inhibemus, ne sub in infrascripta reformatione tribunalis Reuerendissimi D. Auditoris Cameræ, & aliis arbitrio nostro imponendis, & applicandis pœnis, post præsentium affixionem, & publicationem, vt infra facien. audeant seu quouismodo, & sub quouis prætextu, & quæsito colore præsumant aliquas obligationes in forma Cameræ mittere iuxta tenorem reformationis dicti tribunalis nuper per

per S. D. nostrum editæ rogare, scribere, seu adnotare, Quibuscunque vero Iudicibus Romanæ Curiæ ne se sub eisdem pœnis in executione obligationum sic vt præfertur faciendarum, & aliarum factarum intromittere audeant: vltra quam antea facere poterant, & obseruent capitulum vndecimum in dicta reformatione descriptū tenoris infrascripti, videlicet. Verum sicuti antea earum, quæ in forma Cameræ erant obligationum, ita & harum, quæ futuræ sunt, pro illis Iudicium, siue cognitio, & executio in Vrbe ad Auditorem Cameræ solum spectet in vniuersum iuxta suas facultates, Romanos tamen debitores laicos, liceat creditoribus etiam in Curia Capitolij conuenire iuxta priuilegia Po. Rom. concessa. Quo verò ad clericos ratione originis, vel beneficij Romanos, locus sit præuentioni inter ipsum Auditorem, & nostrorum in Vrbe Vicarium, Ipsisque Iudicibus, & notariis antedictis ne sequestra, ac mandata de manutenendo in eadem reformatione eidē tribunali Auditoris Cameræ prohibita, concedere vel expedire sub eisdem pœnis audeant, seu præsumant. Volumus autem quòd præsentes in valuis Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ per vnum ex S. D. N. Papæ Cursoribus affixæ, validæ, & legitimæ executionis vim habeant, ac etiam arctent, perinde ac si singulis personaliter intimatæ fuissent. In quorum &c. Dat. Romæ in ædibus nostris solitæ congregationis, die xviij. Decembris 1570.

Simon Tegeronus Notarius de Mandato subscrips.

Die 20. Decembris millesimo quingentesimo septuagesimo, præsentes literæ affixæ publicatæque fuere in locis supradictis, vt moris est, per me Bartholomæum Sottocasa Curs.

Camillus Cherubinus Mag. Curs.

Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. per quam declaratur Decretum sacri Concilij Tridentini, super impedimento publicæ honestatis editum.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum spectat Pontificem sua solicitudine diligenter prouidere, vt sacrorum Conciliorum decreta ita suæ declarationis adminiculo dilucidentur, quòd nulla desuper dubitandi occasio cuiquam relinquatur. Sane ad aures nostras peruenit multos esse, qui dubitent, an decretum œcumenici Concilij Tridentini Sessione vigesimaquarta de reformatione Matrimonij capitulo tertio, quo cauetur impedimentum publicæ honestatis, vbi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli: vbi vero valida fuerint, non excedere Primum gradum, cum in vlterioribus gradibus non possit huiusmodi prohibitio seruari, de Sponsalibus per verba (vt aiunt) de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam Matrimonia per verba de præsenti contracta non tamen consummata, quæ interdum Sponsalia appellantur, comprehendat, ita vt etiam eo casu impedimentum inde prouenies sublatum fuerit. Nos itaque, vt omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes, quòd Sponsaliorum appellatione, qua dictum Concilium vtitur, non nisi impropriè Matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur, Quodque agitur de correctione Iuris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum duntaxat procedendum est, præsertim cum longe maiorem rationem prohibitionis in Matrimonio per verba de præsenti contracto, quam in Sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur, Idcirco Motu proprio auctoritate apostolica tenore præsentium declaramus, & diffinimus decretum Concilij huiusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in Matrimonio sic (vt præfertur) contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictũ decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere,

bere, mandamus, atque statuimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod præsentes literæ in Cancellaria nostra, & acie Campi Floræ de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et, quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd earum Transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsent bus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, diffinitionis, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1568. Kal. Iulij, Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, Indictione vndecima, Die vero vigesima prima mensis Iulij, Pontificatus sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri Domini Pij diuina prouidentia Papæ V. anno tertio, Retroscriptæ literæ apostolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, dimissis ibidem præsentibus Literis per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde amotis per nos Iulium Parinum Clericum Terdonen. & Io. Bornotum Prælibati S.D.N. Papæ Curs.

Camillus Cherubinus Mag. Curs.

Monitorium Illustriss. & Reuerendiss. Vrbis Vicarij, quòd omnes Notarij omnia legata &c. ad Ecclesias, & pia loca spectantia in actis alicuius ex curiæ suæ Notariis designare, & reuelare debeant.

Iacobus miseratione diuina tt. S. Mariæ in cosmedin. S.R.E. Presbyter Cardinalis Sabellus Sanctiss. D. N. Papæ Vic. generalis.

VNiuersos, & singulos Rom. Cur. Notarios, Tabelliones, & personas artem notariatus siue tabellionatus exercentes tam laicos, quam clericos etiam in sacris ordinibus constitutos, & rectores quarumlibet ecclesiarum, ac eorum hæredes, seu alios quos uis notariorum defunctorum scripturas quouis titulo detinentes, Ex officio curiæ nostræ peremptoriæ monemus, illisque districte præcipimus, & mandamus, quatenus infra mensem à die publicationis præsentium sub priuationis scripturarum, protocollorum, seu notularum penes contrauenientes existentium, ac perpetuæ inhabilitatis ad artem huiusmodi exercendum, necnon 500. ducatorum per quemlibet contrauenientem auri de Camera pro tertia parte delatori, residuo autem Cameræ Apostolicæ applicandorum, necnon mandati executiui respectiue, & in subsidium excommunicationis pœnis, debeant, & quilibet eorum debeat omnia, & singula relicta, legata, testamenta, codicillos, & vltimas voluntates, ac donationes, & contractus quomodolibet, & quocunque nomine nuncupata, per quascunque personas cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis in fauorem quarumcunque Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Confraternitatum, domorum, & piorum locorum, seu alias ad quascunque pias causas relicta, facta, & legata. Et præsertim à viginti annis citra per ipsos, & eorum quemlibet respectiue rogata, & in eorum, seu aliorum defunctorum protocollis annotata, in actis alicuius ex dictæ curiæ nostræ notariis sufficienter designasse, & reuelasse. Volentes, & eadem auctoritate, qua fungimur, decernentes, quod hoc præsens monitorium in acie Campi floræ, & locis solitis per vrbem dimissis copiis affixis publicatum perinde singulos arctet, ac si personaliter intimatum foret. In quorum, &c. Datum Romæ in ædibus nostris, die secunda Septembris. M.D.LXVIII.

A. Binarinus Vicegerens. Triphon Victorellus Nota.

Constitutio S.D.N. Pij Papæ V. Contra ambientes officia iurisdictionis administrationem habentia, eáque pretio seu promissionibus acquirentes.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Etsi Romani Pontificis continua, indefessaque meditatio circa subditorum suorum commodum, & vtilitatem continue implicatur, ac quę iis, quos vt filios tenere diligit, obesse posse credit, de medio tollit, negotiorum tamẽ multitudine pressa singula in dies singulos considerans illorum executionem etiam dietim disponit, vt & negotia ipsa salubrius dirigantur, ac ipsi subditi paulatim sui in eos amoris cognoscant indicia. Sane licet alias ne ordo iustitiæ præueretur, & ex certis aliis inibi expressis causis per ciuiles constitutiones salubriter fuerit statutum, vt iudices, & alij iustitiæ administratores sine quoquo suffragio fieri debeant, grauissimis etiam iniunctis pœnis qui præmissam constitutionem transgredi ausi quoquomodo fuissent: accepimus tamen nuper, non sine animi nostri displicentia, nonnullos pro consequendis officiis, & dignitatibus iurisdictionis exercitium habentibus, pecunias, & alias res soluere, & promittere aliquibus curialibus, quorum intercessionibus, & fauoribus talia officia, & dignitates obtinent. Licetq; nos pro nostri pastoralis officij debito præmissa conniuentibus oculis pertransire nequeũtes, omnem

omnem adhibuerimus diligentiam, vt tam ambitiosi huiusmodi, quam pecuniarum huiusmodi receptores, & stipulatores, tam publice quam secrete reperirentur, nihilominus exinde nihil certi expiscari hactenus potuimus. Cupientes igitur præmissis modum aliquem imponere, ac eos, quos ciuilium pœnarum timor à similibus non coercet, per canonicas sanctiones auctoritate apostolica omnino deterreri, & auaritiæ huiusmodi genus iuri, & iustitiæ huiusmodi tam obnoxium de medio tollere, constitutionis ciuilis, ac pœnarum per illas statutarum tenorem, & formam præsentibus pro expressis habentes, motu simili, &c. & ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulas leges, constitutiones, statuta, & decreta contra delinquentes huiusmodi tam à iure ciuili, quam à sacris canonibus facta, ac in illis contenta punitiones, & pœnas quascunque in tales inflictas harum seriæ innouamus, easque idem robur, eandemque vim obtinere volumus, atque statuimus, quod, & quã habuissent, & haberent, si hactenus ad vnguem obseruatæ fuissent, vel à nobis per præsentes emanarent. Insuper quoque vt earum vsus pœnarum multiplicatione stabilior efficiatur, hac nostra perpetuo valitura cõstitutione, quamque vim legis etiã inuiolabilis habere sancimus, legibus, constitutionibus, statutis, & decretis prædictis præiudicium non inferendo, quinimo illis addendo, decernimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nemini cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerit, liceat mediante pecunia, vel solutione, & traditione, ac promissione aliarum rerum etiam per interpositas personas, aut alias quouis modo faciendas, aliquas dignitates, & officia, exercitium, & administrationem iurisdictionis habẽtia procurare, assequi, vel obtinere, ac si quis his præsentibus cõtrauenisse quo quomodo dici aut censeri potuerit, ipsum cõtrauenientẽ eo ipso confiscationis omnium bonorum, degradationis, & amissionis tam priuilegij Doctoratus quam quorumcunque per eum obtentorum officiorum tam sęcularium, quam ecclesiasticorum, ac demum vltimi supplicij pœnas irremissibiliter incurrere volumus. Cæterum vt fraudibus, quæ circa præmissa exoriri possent, facilius occurratur, pari modo statuimus, quod vbicũque, & quandocunque compertum fuerit per interpositam personam aliquas pecunias seu alias res traditas, seu promissas fuisse alicui curiali familiari, vel cuicunque alteri personæ pro officiis, & dignitatibus iurisdictionis administrationem habentibus, is qui officium huiusmodi obtinuerit, se à præmissis attenta interpositiõe personæ huiusmodi nullatenus excusare queat, quinimo nulla admissa ignorãtiæ excusatiõe ipso iure præsumatur solutionem, & promissionẽ huiusmodi de eorũ, qui officia, & dignitates similia obtinuerunt consensu, & mandato penitus esse facta, iisdemque propterea pœnis subiacere omnino intelligatur. Postremo ne ij, qui in præteritum talia officia, seu dignitates solutionibus, seu promissionibus mediãtibus, impetrauerint, credant se per præsentes absolutos esse, eisdem Motu scientia, & potestatis plenitudine perpetuo declaramus, eos pœnas in tales à iure communi inflictas incurrisse, & cõtra eos ad pœnarum huiusmodi prosecutionem procedi posse. Eos vero, qui similibus mediis aliqua officia, & dignitates similiter iurisdictionis administrationem habẽtia obtinent, si in futurũ quippiam vnquam vigore præcedentium promissionum in assecutione officij huiusmodi factarum soluerint, ipso iure & facto pœnas in hac nostra constitutione contẽtas incurrere, præsentesque nostras tam eos, qui in futurũ officia similia, & dignitates solutionibus, & promissionibus præcedentibus obtinebunt, quam eos, qui iam obtinuerunt, si in futurum aliquid manutentionis in eis, aut alia causa soluerint, ligare volumus. Decernentes contra præmissa quoduis pactum, etiam iuramento vallatum, ac instrumenta, & alias forsan desuper, editas scripturas minime in causa esse posse quominus soluere habentes si pro præmissis soluerint, pœnas

nas præsentibus contentas incurrant. Nos enim pacta, conuentiones, promissiones, & scripturas, ac alia quæcunque quomodolibet, vt præfertur, inita exinde cassamus, irritamus, & annullamus, eosque à iuramẽtis & aliis nexibus prædictis absoluimus, necnon præsentes, & desuper forsan conficiendas literas perpetuis futuris temporibus dare, ac omnes, & singulos à data præsentium irremissibiliter ligare volumus, illasque nullo vnquã tẽpore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ vel quopiã alio defectu notari, aut sub quibusuis reuocationibus & derogationibus cõpræhẽdi nullatenus posse, sicq; per quoscũque iudices, &c. & causarũ palatij apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. sublata, &c. iudicari debere, irritum quoque, &c. decernimus. Non obstan. præmissis ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quibusuis etiam almæ Vrbis, & aliarum ciuitatum, oppidorum, terrarum, & locorum etiam iuramento, &c. roboratis, ac prouincialibus, municipalibus, & particularibus statutis, ac legibus etiam imperialibus, & in corpore iuris scriptis, priuilegiis quoque, &c. sub quibuscunque tenoribus, &c. etiam Motu simili, &c. etiam consistorialiter &c. quibus omnibus illorum tenores, &c. hac vice latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentiũ tenor omnibus innotescat, nullusque earum ignorantiam allegare queat, eas in valuis Basilicæ Principis apostolorum, ac sancti Ioannis Lateranen. & in acie Campi Florę de Vrbe publicari mandamus, ipsasque sic publicatas, omnes, & singulos, quos illæ cõcernunt, ita afficere volum⁹, ac si essent omnibus personaliter intimatæ. Decernentes quoque præsentium earundem solam signaturam sufficere, & vbique fidem facere in iudicio, & extra, regula quacunque contraria non obstante, ac illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo almæ Vrbis Gubernatoris, aut alicuius alterius iudicis munitis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis originalibus literis adhibe

hiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Pacet Motu proprio. M.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum Non. Decemb. Anno sexto.

Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi 1571. Indictione xiiij. Pontifi. vero Sanctiss. in Christo patris & D.N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno sexto. Die vero viij. mensis Decembris supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Principis apostolorum de Vrbe, sancti Ioannis Lateranen. & in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octauianis, & Alamanum de Alamanis præfibati S. D. N. Papæ Curs.

Ioan. And. Pannizza Magist. Curs.

Sanctiss. D.N.D. Pij P.P.V. Constitutio extendens pœnas statutas contra ambientes officia iurisdictionis administrationem habentia, etiam ad recipientes pecunias, & Mediatores.

PIVS PAPA V.

CVm nuper, ne ordo iustitiæ peruerteretur, & ex certis aliis causis animum nostrum mouen. fuerint confirmatæ omnes, & singulæ leges, constitutiones, statuta, & decreta contra ambientes officia iurisdictionis administrationem habentia, ea quæ pretio, seu promissionibus acquiren. tam à iure ciuili, quàm à sacris canonibus facta, ac in illis contenta, punitiones, & pœnas quascũque in tales inflictas innouauerimus, easque idem robur, eandemque vim obtinere voluerimus, atque statuerimus, quod, & quam habuissent, & haberent, si hactenus ad vngué obseruatæ fuissent, vel à nobis emanassent: Insuperq; vt earũ vsus pœnarũ multiplicatione stabilior efficeretur, per nostrã cõstitutionẽ perpetuo valiturã, quã vim legis etiam inuiolabilis habere voluimus, decreuerimus inter cætera, q;

per

perpetuis futuris temporibus nemini cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerit, liceat mediante pecunia, vel solutione, & traditione, ac promissione aliarum rerum etiam per interpositas personas, aut alias quouismodo faciendis, aliquas dignitates, & officia, exercitium, & administrationem iurisdictionis habentia procurare, assequi, vel obtinere sub grauissimis pœnis in dicta nostra constitutione, quam hic de verbo ad verbum pro expressa haberi volumus, & mandamus, expressis: Attendentesque quod forte probabiliter dubitari contingat, an dicta nostra constitutio comprehendat recipientes huiusmodi pecunias, ac res, ac promissiones sibi factas stipulantes, vt officia prædicta exercitium, ac iurisdictionis administrationem habentia conferri faciant, ac mediatores, & interpositas personas: Propterea nos motu simili, & ex certa scientia, & de potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione declaramus, & quatenus opus sit, addendo prædictæ nostræ constitutioni decernimus, quòd dicta nostra constitutio, ac omnes, & singulæ pœnæ in ea expressæ perinde ligent, & afficiant omnes, & quoscunque cuiuis dignitatis, gradus, conditionis, ac præeminentiæ existant, qui pro huiusmodi officiis iurisdictionis administrationem habentibus conferendis, ac mediatores, & interpositas personas quascunque pecunias, vel alias res vt supra receperint, ac si prædicti in dicta nostra constitutione comprehensi essent, & de illis in ea expressa mentio facta esset. Necnon præsentes, & desuper conficiendas forsan literas perpetuis futuris temporibus durare, ac omnes, & singulos à data præsentium irremissibiliter ligare volumus, illasque nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut sub quibusuis reuocationibus, & derogationibus cõprehendi nullatenus posse: Sicque per quoscunque Iudices, &c. & causarum palatij apostolici Auditores ac S.R.E. Cardinales, sublata, &c. iudicari debere, irritum

ritum quoque &c. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis ac quibusuis etiam Almæ Vrbis, & aliarum ciuitatum, oppidorum, terrarum, & locorum etiam iuramento &c. roboratis, ac prouincialibus, municipalibus, ac particularibus statutis, ac legibus, etiam imperialibus, & in corpore iuris scriptis, priuilegiis quoque &c. etiam motu simili &c. etiam consistorialiter &c. quibus omnibus illorum tenores &c. hac vice latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Vt autē præsentium tenor omnibus innotescat, nulluſque earum ignorantiam allegare queat, eas in valuis Basilicæ principis Apostolorum, ac sancti Ioannis Lateranen, & in acie Campi Floræ de Vrbe publicari mandamus, ipsasque sic publicatas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, ita afficere volumus, ac si essent omnibus personaliter intimatæ. Decernentes quoque præsentium earundem solam signaturam sufficere, & vbique fidem facere, in iudicio & extra regula quacunque contraria non obstante, Ac illarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Almæ Vrbis Gubernatoris, aut alterius alij Iudicis sigillatis eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Placet Motu proprio. M.

Datum Romæ apud sanctum Petrum pridie Id. Febr. Anno septimo.

Anno à Natiuitate Domini 1572. indictione decima quinta, die vero decimatertia mensis Februarij Pontificatus sanctissimi D. N. Pij PP. V. anno septimo, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt Romæ in locis retroscriptis per mē P. Paulum de Mattheis præfati Sanctiss. D.N. Papæ Cursores.

Philibertus Mag. Curso.

Sanctiß. D. N. D. Pij Papæ V. Præceptum quòd Christiani apud Turcas seruiti reperti libere cum bonis suis abire permittantur.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Licet omnibus notissimum sit, bellum hoc, quod cum impio Turcarum tyranno geritur, non ea tantum de causa geri, vt imminens ab illius viribus nobis periculum dimoueamus, sed vt etiam plurima Christianorum millia, quæ sub dira illius tyrannide seruilem, ac miserabilem vitam ducunt, in libertatem, ac ad Christi nomen libere profitendum, ac excollendum vindicemus, non defuerunt tamé qui Christianæ fraternitatis obliti, loca Turcarum hostium nostrorum inuadentes, Christianos ibidem repertos in seruitutem redegerunt, bonis, ac fortunis spoliarunt, triremibus alligarunt, ac taleam imposuerunt, quo fit, vt Christi sanguine redempti, qui cumulatis votis Christianorum aduentum, & victoriam exoptauerunt, ea à victoribus fratribus suis patiantur, quibus paulo peiora à Turcis expectare potuissent. Nos igitur eius locum, licet immerito, tenentes in terris, qui de cœlo ad liberandum nos venit, vt de manu inimicorum nostrorum liberati deinceps sine timore seruiamus illi, verentes, ne, si iniunctæ nobis ab eo erga filios nostros charitatis, & dilectionis immemores simus, ipsius omnipotentis Dei contra nos, classemque nostrã iram prouocemus, malis huiusmodi obuiare cupientes, tenore præsentium decernimus, & mandamus, vt nullus deinceps siue sacri fœderis miles, siue alius Christianos capiat, aut præter eorum voluntaté, etiam data mercede, remigare cogat, taleam imponat, aut eius bona diripiat, quinimo fraterne, & amicabiliter vt Christianam pietatem decet, tractet, ac libere cũ liberis suis, cõiugibus, bonis abire permittat. Illos autem omnes, & singulos, qui huic constitutioni contraire, præsumpserint, declaramus ipso facto in pœnam excommunicationis latæ sententiæ incidisse, à qua non possint nisi à nobis, aut à successoribus nostris, præterquam in mortis articulo absolui, & vlterius volumus eos à superioribus suis ad quos spectabit, seuere, & grauiter iuxta contrauentionis qualitatem puniri. Mandantes omnibus, & singulis tã ipsius classis, quam locorũ ipsorũ superioribꝰ, qui bus spectat, & in futurum spectabit, vt pro quanto studeant diuinam gratiam, nostramque beneuolentiã promereri, hoc nostrum, imo verò potius dominicũ præceptum, & mandatum in locis suæ iurisdictionis, siue iis, ad quæ Christiani Principum fœderatorum præfectos tam generales, quam particulares apellere contigerit, ea lingua, cuius eius loci habitatores intel ligentes fuerint, & in ipsa etiam classe, publice editæ, affigi, & sub pœnis sibi beneuisis faciant ab omnibus inuiolabiter obseruari, vt à Deo Opt. Max. præmia æterna, & à nobis de re diligenter gesta laudem reportare mereantur. Volumus autem vt præsẽtis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio, & extra, quacunque regula, seu constitutione apostolica contraria non obstante: quodque illius exemplaetiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscunque curiæ ecclesiasticę, aut prælati sigillo obsignata eandem prorsus fidem vbique faciant, quam ipsæ præsens Motus proprius faceret, si esset exhibitus, vel ostensus. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Placet Motu Proprio. M.

Sanctiß. D. N. D. Pij P P. V. Concessio gratiarum, tam spiritualium, quam temporalium aliis per Rom. Pont. proficiscentibus ad subsidium Terræ Sanctæ concessarum pro ijs, qui vel personis, vel facultatibus adiuuerint hoc præsens bellum contra Turcas.

PIVS PAPA V.

VNiuersis, & singulis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, salutem, & apostolicam bene-

dictionem. Cum nos pro pastoralis officij diuinitus nobis iniuncti cura, ac solicitudine diuino auxilio adiuti pro vniuersæ Christianę Reipublicę bono, ac tutela, cum charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico, ac dilectis filiis nobili viro Duce, & Senatu Venetorum aduersus perfidissimum, importunissimumque Turcarum tyrannum, effrenata rabie cuncta Christianæ ditionis regna, prouincias, & alia loca incendiis, ferro, cædibus expugnantem, atque vastantem, non minus salutare quam necessarium fœdus iniuerimus, iamque admirabili Dei clementia, & beneficio nauale, glorioſissimamque victoriam felicissime consecuti fuerimus, modoque à nobis Principibus fœderatis copiæ tam maritimæ, quam terrestres, vt cœptam contra teterrimum hostē expeditionem, monstrante Deo, persequamur, summis viribus, summo studio, summa diligentia comparentur, atque instruantur. Attamen considerantes immanem Turcarum potentiam, infinitamque multitudinē, qua potissimū res Christianorum omni tempore miserabiliter perculisse, atque affixisse non ignoramus, magnopere idoneum, & opportunum esse censemus, si Christiani maiori quo fieri poterit militum numero, bellicoque apparatu contra hostilem ferociam insurgere conabuntur, sic enim facilius sperandum est felicia nostra cœpta adiuuante Domino, fore in dies feliciora, atque optatum exitum graui cum hostium formidine, ac pernicie habitura. Itaque, decreuimus omnes, & singulos fideles ad piissimum, iustissimumque bellum, vbi de Iesu Christi Domini, & Saluatoris nostri causa, & gloria, Christianique nominis salute (sicut omnes aperte vident) in primis agitur, monere, requirere, & enixe hortari, prout monemus, requirimus, & hortamur per præsentes, vt vnusquisque sanctissimum hoc bellum vel personis, vel facultatibus adiuuare velit. Negabit enim seruus Domino opes temporales largiter exhibere, cum Dominus seruum viuere faciat, & habere, ipsique demum diui-

uitias largiatur æternas, & si Deus subiit mortē pro homine, dubitabit homo mortem subire pro Deo? Quod vt eo libentius, & alacrius cūcti facere studeāt, quo ex hoc spiritualibus muneribus, & temporalibus quoque gratiis à nobis se refectos, pariter & munitos esse cognouerint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate cōfisi, ex illa, quam nobis Deus, licet indignis, ligandi, & soluendi contulit, potestate, omnibus, qui ad subueniendum huic sacro bello in personis propriis, & expēsis se se cōtulerint: Necnō eis, qui non in personis propriis illuc esserint, sed suis tantum expensis iuxta facultatē, & qualitatem suam viros idoneos destinauerint, donec milites nostri ibi fuerint, cōmoraturos, Et illis similiter, qui licet alienis expensis propriis tamē personis belli laborem, & pericula sustinuerint, Ac demum eis, qui de bonis sibi à Deo collatis congruā ad id portionem benigne erogauerint, plenissimā, & amplissimam omnium peccatorum suorum, de quibus corde cōtriti, & ore confessi fuerint, & eandēmet, quā Romani Pontifices prædecessores nostri Cruce signatis proficiscentibus ad subsidium Terræ Sanctæ concedere soliti fuerunt, veniam, remissionem, & absolutionem tenore præsentium indulgemus, & elargimur. Bona insuper proficiscentium ad bellū huiusmodi, ex quo profecti fuerint, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, necnon vt talia sub Archiepiscopo rum, & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei tutela consistant, & nullam de ijs, quæ dum fuerint in dicto bello quiete possident, sustineant quęstionem: sed integra maneant, & quieta: quinimo in quibusuis eorum causis, & litibus à iudicibus, coram quibus vertuntur, omnino supersederi debere, donec de eorum obitu, vel reditu certissime cognoscatur, statuimus, & mandamus. Ad vsuras quoque, si iuramento teneantur alicui, non cogantur, verum absoluti maneant, & quieti. Quod si quisquam contra attentare præsūpserit, per censurā ecclesiasticā appellatione

postpositа, compescatur. Si quis autem creditorem contra tenorem præsentium ipsos ad solutionem coegerit vsurarum,eum ad illarum restitutionem, appellatione etiam remota, simili censura compelli volumus. Iudæos vero ad remittendas ipsis vt præfertur vsuras etiam per Principes, & sæcularem cõpelli præcipimus potestatem, & donec eis remiserint, tam in mercimoniis,quam aliis rebus, & commerciis sub excommunicationis sententia per ordinarios promulganda vniuersis Christifidelibus iubemus communionem omnimodam ipsis hebræis denegari. Mandantes quibuscunque locorum ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ, vt statim præsentes literas, vel earum transumpta per suas quisque diœceses publicari, & etiam per prædicatores ad populi notitiam absque vllo quęstu deuenire quam primum curent,& faciant. Non obstan. præmissis,ac constitution. & ordination. apostolicis,cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur,quæ adhiberetur originalibus literis, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris xij. Martij 1572. Pont.nostri anno septimo.

Cæ.Gloriarius.

Sanctiss. D. N. D. Pij Papæ V. Constitutio contra scribentes, exemplantes, & dictantes monita vulgo detta gli auisi,& ritorni.

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis prouidentia circumspecta, ad ea solicitudinis suæ partes potissimum conuertit, per quæ inter singulos gregis eiusdem fideles,præsertim vero nobis, & Romanæ Ecclesiæ subditos pax, & concordia consouentur,seditiones euitantur, scandalis obuiatur,& animarum salus procuratur. Cum itaque

que iracundia sit perturbatio immanis,affectione dura,violenta potentia, cædium causa,calamitatis socia, iacturam concilians, & dedecus, pecuniarum pernicies,atque perditionis origo,eaque potissimum ex iniuriis verbo,vel scriptis,vel facto illatis nascatur: Nos qui non sine maxima mentis nostræ perturbatione sæpenumero accepimus, quod licet tam per sacras leges quam Canonicas sanctiones, subcertis etiam grauissimis pœnis prohibitum fuerit,ne quis famosum libellum componere audeat,& repertum siue domi, siue in publico,vel in quocunque loco,aut corrumpere, vel igne consumere teneatur prius quam aliter inueniat, & nulli fateatur inuentum, & qui secus fecerit quasi author huiusmodi delicti eisdem pœnis subiaceat: Nihilominus considerantes, quòd in dies,crescente malitia,quamplures iniquitatis filij, perditionis alumni, & pœnas prædictas paruipẽden. easque variis fraudibus euitare satagentes,ausu temerario non erubescunt variis modis nonnullos Principes, Prælatos, Nobiles,publicas, & priuatas personas variis iniuriis, & conuitiis afficere,eorumque famæ,& honori detrahere, sub quodam ficto colore quarundam literarum incerto authore scriptarum, nedum ab Vrbe nostra,sed etiam ex diuersis prouinciis, in quibus nedum ea,quæ in vnaquaque regione successerint narrantur, sed ea etiam quæ in futurum quodam eorum temerario iudicio fore opinantur, adeo vt plerunque odia, inimicitiæ, seditiones, rixæ, & homicidia permulta oriantur, in diuinæ maiestatis offensam, animarum periculum,& pernicioſum quoque exemplũ, & scandalum plurimorum. Volentes præmissis quãtum possumus obuiare, Considerantes attentius, quòd plures pœnarum grauitas quam Dei timor arcere solet à voluntate delinquendi, & propterea tanto periculo occurrere volentes, ac tam nefarios præsumptores, & facinorosos homines atrocibus pœnis compescere, vt metus pœnæ metu huiusmodi præsumptionis existat: huius perpetuæ,& irrefragabilis constitutionis edicto

pœnas omnes tam temporales, quam ecclesiasticas in talia præsumentes per sacras leges, & canonicas sanctiones latas, & promulgatas auctoritate apostolica approbantes, & innouantes, ac ad omnes, & singulos prædictos, qui forsan sub illis comprehensi non essent, extendentes, & ampliantes, statuimus, & ordinamus, quòd deinceps perpetuis futuris temporibus. Nemo cuiusuis qualitatis, dignitatis etiam ecclesiasticæ, status, gradus, ordinis, & præeminentiæ fuerit, audeat, nec præsumat libellos famosos, nec literas monitorum vulgo appellatas lettere di auisi, continentes conuicia, iniurias, vel famæ, & honoris alicuius læsionem, nec aliquam scripturam, in qua de futuris successibus disseratur, vel ea, quæ coram nobis, vel aliis ad vniuersalis ecclesiæ status regimen deputatis secreto tractantur, reuelentur, cõponere, dictare, scribere, exemplari, retinere, nec ad aliquem transmittere, etiam si aliunde ab aliis prouinciis, ciuitatibus, terris, & locis, ad eorum manus peruenerint, sed statim quod aliqui similes libelli, literæ, siue scripturæ, alicui delatæ fuerint, statim quod illos, seu illas habuerit, antequam vim earum manifestauerit, corrumpere, seu igni tradere, vel dilecto filio nostro Cardinali Rusticutio consignare teneatur, sub pœnis prædictis, quas hic pro expressis haberi volumus, ac aliis etiam grauioribus, etiam vltimi supplicij, & confiscationis bonorum, secundum qualitatem facti, & personarum arbitrio nostro irremissibiliter infligendis, quibus pœnis etiam eos ligari volumus, qui in huiusmodi libellis, literis, seu scripturis, de aliquo oblocuti fuerint, alicuiusque famæ, & honori, vera etiam exprimendo, detraxerint, ac ea, quæ coram nobis, vel aliis vt supra secreto tractantur, reuelauerint, ex hoc equidem animus deprehenditur prauus iniuriandi, & nocendi, atque ideo eos eadem pœna teneri conuenit, Necnon præsentes, & desuper conficiendas forsan literas perpetuis futuris temporibus durare, ac omnes, & singulos, à data præsentium irremissibiliter ligari volumus, illasque

lasque nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut sub quibusuis reuocationibus, & derogationibus comprehendi nullatenus posse, sicque per quoscunque iudices, &c. etiam causarum Palatij apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata &c. iudicari debere: irritum quoque, &c. decernimus. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quibusuis etiam almæ vrbis, & aliarum ciuitatum, oppidorum, terrarum & locorum etiam iuramento &c. roboratis, ac prouincialibus, municipalibus, ac particularibus, statutis, ac legibus, etiam imperialibus, & in corpore iuris scriptis, priuilegiis quoque &c. etiam Motu simili, &c. etiam consistorialiter &c. quibus omnibus illorum tenores &c. hac vice latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentium tenor omnibus innotescat, nullusque earum ignorantiam allegare queat, eas in valuis Principis Apostolorum, ac sancti Ioannis Lateranẽsis, & in acie Campi Floræ de Vrbe publicari mandamus, ipsasque sic publicatas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, ita afficere volumus, ac si essent omnibus personaliter intimatæ. Decernentes quoque præsentium earundem solam signaturam sufficere, & vbique fidem facere in iudicio, & extra, regula quacunque contraria non obstante. Ac illarũ transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo almæ Vrbis Gubernatoris, aut alterius alij iudicis sigillatis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Placet Motu proprio M.

Datum Romæ apud S. Petrum xvj. Kal. Aprilis, Anno septimo.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secũdo indictione xv. die vero xix. mensis Martij, Pontificatus sanctiss. in Christo Pa-

tris Pij diuina prouidentia PP. V. anno septimo, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Principis Apostolorum, ac sancti Ioannis Lateranensis, & in acie Campi Floræ de Vrbe, per me Antonium Clerici S. D. N. Papæ Cursorem.

Michael Angelus Piraurus Mag. Cur.

Breue Sanct. D. N. Pij Papæ V. Facultatis concessæ Congregationibus Regularium, vt pro solutione subsidij ab eis per S. B. nuper petiti, suorum Monasteriorum bona census imponere, & illos, ac etiam de bonis ipsis vendere possint, & ad contribuendum cum aliis laicis, vel clericis pro solutione similis subsidij illis impositi, non teneantur.

PIVS PAPA V.

AD futuram rei memoriam. Cum nuper, postquam nos auditis tumultibus in Regno Franciæ per nonnullos iniquitatis pariter, & impietatis filios dicti Regni Proceres, & alios hæreticos excitatis, & potissimum conspiratione etiam in charissimi in Christo filij nostri Caroli Francorum Regis Christianissimi, eiusque familiæ exitium facta, simul, & numerosa classe, quam immanissimus Turcarũ Tyrannus contra Christiani nominis Principes, eorumque regna, & dominia in uer proximum moliri dicitur, vt eidem Regi in tanto discrimine, quod illi imminere liquido constat, subsidium aliquod mittere, & aduersus dictam classem loca maritima status nostri Ecclesiastici opportunis præsidiis firmare possemus, pecunias ineos sumptus necessarias diligẽter cõquiri mandaueramus, dilecti filij Præsidẽtes, Visitatores, Abbates, & Prælati Congregationum Cassinensis, Carthusiensis, Lateranensis, Mõtis Oliueti, Camaldulen. Sancti Saluatoris, Vallis vmbrosæ, Sancti Georgij in Alga, Cœlestinorũ, Cistercien. in Lõgobardia S. Hieronymi Cruciferorũ, &

& Siluestrinorum intra Italiam consistentium, vt vbere suæ, dictarum que congregationum erga Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem, ac nos deuotionis affectum vsque magis nobis clarum facerent, in parte sumptuum huiusmodi nobis, seu Cameræ nostræ Apostolicæ, aut cui, vel quibus nos seu ipsa Camera mãdaueri mus, summam triginta millium scutorum auri in auro donationis, & largitionis nomine se soluturos vltro obtulerint: Nos eam animorum præfatarum cõgregationum in nos promptitudinem grata accipientes mente, volentesque eis, qui sicut accepimus, sic nobis oblatam pecuniam nunc in promptu, aut modum illam cogendi infrascripto minus damnosum, aut minus difficilem non habent quo illam citius iuxta rei exigentiam cogere possint, opportune prouidere, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine eisdem Præsidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, & Prælatis Congregationum præfatarum, & cuiuslibet earum tenore præsentium, vt in & super quibusuis bonis immobilibus monasteriorum, Prioratuum, & locorum congregationum eorundem pro solutione dictorum triginta millium scutorum quo suis annuos census, quorum tamen pretia dictam triginta millium scutorum summam insimul non excedant, prout melius inuenire poterunt, in perpetuum imponere, & sic impositos quibusuis personis etiam sæcularibus communitatibusque, & collegiis, vel aliis communibus locis vendere, & venditionis titulo constituere, & assignare ipsisque personis dictos census ementibus, vt census ipsos in sortem minime computandos ab eisdem congregationibus in singulos annos percipere, & exigere, in suosq;, vel alios sibi beneuisos vsus, & vtilitatem conuertere, ac ex omnibus congregationibus præfatis Cassinen. Carthusiẽ. Lateranen. & Montis oliueti, earumque & cuiuslibet earũ Præsidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, & Prælatis, quippe quibus ex præfatis triginta millibus scutis summas cæteris maiores soluendi onus incumbit, vt

pro

pro portionum ipſas quatuor congregationes, & vnam quanque ex eis de dicta triginta millium ſcutorum ſumma tangentium ſolutione, ſeu pro cēſuum, vt præfertur, venditorum redemptione quæuis ſtabilia monaſteriorum, Prioratuum, & aliorum earundem congregationum locorum bona (quorum tamen ſingula pretia ſingulas portiones vnamquamque ex eiſdem congregationibus, vt præfertur, tangentes non excedant) ſimiliter quibuſuis etiam ſęcularibus perſonis, & locis pariter in perpetuum vendere, & alienare, indeque reſpectiue prouenientia pretia, & pecuniarū ſummas exigere, & recipere, ac de exactis, & receptis in forma de iure valida quietare, emptoribus autē ipſis, vt dicta ſtabilia bona emere, & acquirere libere, licite, & impunè, & abſque aliquo conſcientiæ onere, ſeu ſcrupulo reſpectiuè poſſint, & valeant, gratioſe cōcedimus, & indulgemus. Præterea iniquum rati eaſdem congregationes pro vna, eademque re dupliciter grauari, & propterea volentes earum indemnitati opportune prouidere, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus congregationes ipſas, & quamlibet earum, ſingulaque ipſarum monaſteria, & loca ab alterius tanti, quantum ſubſidij nomine quotannis eidē Cameræ ſoluere conſueuerunt, per nos nuper eis per noſtras in forma breuis literas die tertia menſis Nouemb. proxime elapſi expeditas impoſiti, & quorumuis aliorum ſubſidiorum, ſeu onerum ex hac præfatorum ſumptuum cauſa per nos forſan impoſitorum, ſeu imponendorū præſtatione, ſeu ſolutione: ita quòd de illa, aut ex eis aliqua ſoluendum, ſeu in illa cum laicis etiam Communitatibus, ſeu vniuerſitatibus, aut clericis regularibus, ſeu ſęcularibus concurrendum, ſeu contribuendum inuiti cogi, aut eo prætextu moleſtari nullatenus poſſint, prorſus eximimus, & liberamus, ac liberos, & exemptos facimus, eſſe volumus, & declaramus, preſenteſque noſtras de obreptionis, vel ſubreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quouis defectu notari, argui, vel impugnari, aut reuocari, reſtringi, reduci, vel limitari nullatenus poſſe, & ſi ſecus fiat, quoties id fiet, toties illas in priſtinum ſtatum reſtitutas, & plenarie reintegratas, validaſque, & efficaces etiam perinde ac ſi conſiſtorialiter, & de venerabilium fratrum noſtrorum dictæ Roma. Eccle. Cardinalium conſilio, & aſſenſu emanaſſent, fore, & eſſe, ac cenſeri, vimque validi contractus inter nos, & congregationes præfatas, & quamlibet ex eis initi habere debere, ac ad præmiſſa omnia, & ſingula plene proban. eaſdemque præſentes omnino ſufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, ſicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, etiam eiuſdem Roma. Eccle. Card. & Palatij noſtri cauſarum Auditores, necnon Clericos præfatæ Cameræ præſidentes in quauis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, mandantes propterea dilectis filiis Camerario, ac Theſaurario generali noſtris, necnon dictis Clericis, Præſidentibus, præſentibus, & futuris, cæteriſque, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, vt eaſdē præſentes in præfata Camera admittant, & in illius libris deſcribi, & regiſtrari faciant, ac inuiolabiliter obſeruent, & obſeruari mandent, deſuperque patentes literas, mandata & alias ſcripturas opportunas expediant, & expediri curent. Non obſtan. fe. re. Symmachi, & Pauli ij. ac Pauli iiij. & aliorum prædeceſſorum noſtrorum de rebus eccleſiæ non alienandis, & quibuſuis aliis apoſtolicis, ac in generalibus, necnon prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon congregationum prædictarum, & illarum ordinum etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, & indultis, ac literis apoſtolicis ſub quibuſcunque tenori

noribus,& formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis eiſdem congretationibus, vel alicui ex eis, earumque Monaſteriis,Prioratibus,membris,locis,& perſonis quomodolibet conceſſis,quodque clauſulis cautelis,& decretis huiuſmodi nullatenus, aut non niſi ſub certis inibi expreſſis modo, & forma derogari poſſet, nec non prædeſignatis in forma Breuis literis à nobis ſuper præfata eiſdem Congregationibus facta impoſitione emanatis: Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes,illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus. Dictas verò prædeſignatas in forma breuis literas quo ad prædictas congregationes expreſſe reuocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro infectis, caſſis,& nullis haberi volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium trãſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio,& extra adhibeatur, quæ eiſdem originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum ſub annullo Piſcatoris die prima Decemb. 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Cæ. Glorierius.

Bulla S. D. N. Pij Papæ V. Confirmationis & ampliationis Priuilegiorum, & gratiarum Societatis Roſarij Beatæ Mariæ Virginis.

PIVS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Conſueuerunt Romani Pontifices, & alij ſancti Patres prædeceſſores noſtri cum bellis corporalibus, vel ſpiritualibus premerentur aut alijs tentationibus vexarentur, quò facilius ab illis euaderent, & tranquilitatem adepti, Deo quietius,& feruentius inſeruirent,& vacarent,diuinam opem implorare,& ſanctorum ſuffragia per ſupplicationes,ſeu per litanias depoſcere, ac oculos cum Dauide in montes leuare, certa ſpe confidentes inde illis auxilia affutura. Quorum exemplo adductus, & Spiritu ſancto, vt pie creditur, afflatus beatus Dominicus ordinis fratrum Prædicatorum auctor, (Cuius inſtitutum,& regulam cum in minoribus eſſemus, expreſſe profeſſi ſumus) ſimili, qua nunc tẽporis occaſione, quo Albigenſium hæreſis per partes Galliarũ, & Italiæ miſere graſſabatur,& tã multos excæcauerat ſęculares, vt in domini ſacerdotes, & clericos ſæuiſſime furerent: leuans in cœlum oculos,& Monte illũ glorioſæ virginis MARIAE Almæ Dei genitricis,quæ germine ſuo tortuoſi ſerpentis caput obtriuit, & cunctas hæreſes ſola interemit,ac benedicto fructu eius ventris mundum primi parentis lapſu damnatũ ſaluauit, & de quo ſine humanis manibus abſciſſus eſt lapis ille,qui ligno percuſſus gratiarum aquas affluenter produxit,reſpiciens,modum facilem, & omnibus peruiũ, ac admodum pium orandi, & precandi Deum, ROSARIVM ſeu Pſalterium eiuſdẽ beatæ Mariæ virginis nũcupatum,quo eadem beatiſſima virgo ſalutatione Angelica centies,& quinquageſies,ad numerum Dauidici Pſalterij repetita, & oratione Dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus totã eiuſdem Domini noſtri IESV CHRISTI vitam demonſtrantibus interpoſita veneratur, excogitauit excogitatum per ſanctæ Romanæ Eccleſiæ partes propagauit, orandique modo prædicto per aſſeclas beati Dominici fratres videlicet ordinis prædicti diuulgato, & à nonnullis accepto, cœperunt Chriſti fideles iis meditationibus accenſi, iis precibus inflammati in alios viros repente mutari, hæreſum tenebræ remitti, & lux catholicæ fidei aperiri,

& ad

& ad hanc orandi in formã pro locorũ diuersitate sodalitates p fratres eiusdẽ ordinis ad hoc à suis superioribꝰ legitime deputatos, instituti, & Confratres in eis describi. Nos quoq; illorũ prædecessorũ vestigia sequentes, militãtem hanc Ecclesiã diuinitus nobis cõmissã his temporibus tot hæresibus agitatã, tot bellis, prauisque hominum moribus attrociter vexatam, & afflictam cernentes, lacrymabundos sed spei plenos oculos in montẽ illũ vnde omne auxiliũ prouenit, leuamꝰ, & singulos Christifideles ad simile faciendũ benigne in dño hortamur, & monemus, Vtque facilius modus ille ab omnibus cum ea, qua decet, deuotione, & mentis, religioniſque Christianæ ſinceritate amplectatur, auctoritatis noſtræ partes, quantum nobis ex alto conceditur, fauorabiliter impartiẽtes, Modum orandi, & precandi prædictum, omniaque, & ſingula indulta, indulgentias, peccatorum remiſſiones, relaxationes, immunitates, priuilegia, & alias gratias per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & dictæ ſedis etiam de latere legatos, ac alios apoſtolica ad id auctoritate ſuffultos, iuxta precandi modum prædictum orantibus, & confraternitatibus, ſeu ſodalitatibus, ſub dicto ROSARIO inſtitutis, & illarum eccleſiis, ſeu altaribus, aut capellaniis, vel confratribus, ac ſodalibus, tam motu proprio, & ex certa ſcientia, ſiue in genere vel in ſpecie, quam alias quomodolibet, etiam pluries conceſſa, confirmata, & innouata: quorum omnium, & ſingulorum tenores, & compendia, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & inſertis, eadem auctoritate harum ſerie perpetuo confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus. Necnon fortiori pro cautela, præmiſſa, omnia eiſdem modo, & forma, quibus conceſſa reperiuntur, & etiam perpetuo innouamus, ac omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus vtriuſque ſexus Confratribus per dilectos filios modernos, & pro tempore exiſtentes fratres ordinis prædicti in ſuis, & tam per eos, quam per alios ſacerdotes,

tes, etiã in aliis eccleſiis à dilecto filio etiam moderno & pro tempore exiſtente ipſius ordinis Generali Magiſtro, vel eius Vicario dumtaxat deputatos in huiuſmodi ſodalitatem ſeu Confraternitatem ROSARII receptis, & deſcriptis, eccleſias, altaria, & capellas huiuſmodi viſitantibus, necnon Deo preces iuxta ROSARII modum prædictum effundentibus, quod omnibus, & ſingulis indultis, indulgẽtiis, peccatorum remiſſionibus, relaxationibus, priuilegiis, & aliis gratiis præfatis frui, vti, potiri, & gaudere, necnon eiſdem Confraternitatibus, ſeu ſodalitatibus, quod illarum ad id deputati Confratres omnia, & ſingula oblationes, & legata, ſeu donatiões, aut alias quouiſmodo, ſiue in teſtamento, ſiue codicillis, aut alia vltima, vel inter viuos voluntate illis relicta, & erogata, quæcunque, quotcunque, & qualiacunque, etiam ſi ſpeciali nota digna ſint, percipere, exigere, leuare & in Confraternitatum huiuſmodi pios vſus conuertere, etiam ordinarij loci, aut cuiuſuis alterius licentia deſuper minime petita, libere, & licite poſſint. Et inſuper quo quiſque ad ſe numero Confratrum præfatorum aggregandum promptior, & alacrior fiat: De omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Confratribus prædictis per deputatos prędictos deſcriptis, vere pœnitentibus, & confeſſis, qui prima vice, qua deſcripti fuerint, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in aliqua Eccleſia, ſeu capella dictæ Confraternitatis perceperint, & vnam ſaltem quinquagenam Roſarij recitauerint, & pro tranquilitate ſanctæ matris Eccleſiæ orauerint, necnon qui in mortis articulo conſtituti ſalutaris pœnitentiæ, & viatici ſacramento muniti fuerint, plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in domino concedimus, & elargimur. Qui vero in reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Annunciationis, ac aſſumptionis eiuſdem beatæ Mariæ præfatum Euchariſtiæ ſacra-

mentum sumpserint,& partem Rosarij, vt præfertur, recitauerint,decem annos, & totidem quadragenas, eisdem autem Confratribus, qui in reliquis Domini nostri Iesu Christi & beatæ Mariæ virginis præfatorum festis diebus, in quibus sacra ipsius Rosarij mysteria recensentur, vnam saltem Rosarij quinquagenam recitauerint, necnon aliis omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus,etiam non Confratribus,qui in eiusdem Rosarij processione, quæ mense quolibet fieri consueuit,deuote interfuerint, & pariter confratribus præfatis qui ipsum Rosarium integrum qualibet hebdomada deuote recitauerint,septem annos & totidem quadragenas de iniunctis sibi pœnitentiis etiam misericorditer in Domino relaxamus. Decernentes Confratres,& alios præfatos à quo quam desuper molestari,Præsentesque literas de subreptionis,vel obreptionis, aut nullitatis, alióue vitio, aut intentionis nostræ defectu notari,argui,vel impugnari & sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, alterationibus, limitationibus, suspension. aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi non posse:sed quoties illę emanauerint, toties in pristinum,& validissimum statum restituras, & de nouo etiam sub posteriore data per ipsos deputatos Confratres eligenda concessas, ac perpetuo validas,& efficaces esse,& fore, suosque plenarios,& integros effectus sortiri debere, & ita per quoscunque iudices, & commissarios quauis auctoritate fungen. etiam causarum Palatij apostolici Auditores, & S.R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate,iudicari & diffiniri debere, ac ex nunc irritum,& inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non ostantibus quibusuis apostolicis, ac in prouincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus,vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac Cancellariæ apostolicæ, regulis editis & ædendis,

ædendis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quòd præsentium transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra adhibeatur,quæ præsentibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die xvij. Septembris 1569. Pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

Edictum super reformatione Cleri Vrbis.

Iacobus miseratione diuina tt. Sanctæ Mariæ in Cosmedin S. R. E. presbyter Card. Sabellus, S.D.N. PP. Vic. Generalis.

SAcrosancta Tridentina synodus, probatæ eorum vitæ,& sanctæ conuersationis exempla,qui se diuino ministerio dedicarunt,præter sacri instituti necessitatem, ad vniuersam quoque Christiani populi reformationem in plurimum prodesse intelligens, salutariter statuit,vtque à sacris conciliis, de honesta clericorum vitæ doctrinæ, cultusque ratione, decreta fuissent, per eos,ad quos ea cura pertineret, in vsum reuocata & in mores inducta, propagarentur: Nos igitur eiusdem sacri concilij iussa exequi cupientes, nonnulla, sine quibus recta viuendi clericorum disciplina constare non potest, ex sacris Canonibus, & Conciliis collegimus, vel ad eorum mentem conformauimus, quæ ex auctoritate Sanctiss. Domini Nostri Papæ viuæ vocis oraculo nobis concessa, inuiolate obseruanda proponimus.

Vt igitur cum vitæ, & animi clericalis integritate,externus etiam habitus,vestitus, omnisque conuersatio congruat,

Præcipimus omnibus & singulis sacris ordinibus initiatis, aut quæcunque beneficia eccleſiastica

etiam simplicia obtinẽtibus, cuiuscunq uc gradus, aut dignitatis sint, vt intra quindecim dies, à præsentium literarum promulgatione numerandos, Clericalem tonsuram (quæ est militiæ spiritualis insigne) vniuscuiusque ordini, & gradui conuenientem, perspicue gerant. Presbyteri vero ab superiore labro barbam ita tondeant, ne salutare Corporis, & Sanguinis Christi Domini Sacramentum sumentibus, impedimentum afferat.

Vestem superiorem, & interiorem, simplicem, & talarem omnes gestent non reflexam, sed composite & apte ad collum annexam.

Pallium, quod ferraiolum dicitur, id habeant, vt Clericali decoro non sit alienum, idque tantum in pluuiæ, & frigoris necessitate semperque cum talari tunica induant. Quas tamen vestes, ad longioris itineris necessariam commoditatem, breuiores, modo ordinis honestati conueniant, adhiberi permittimus.

Caligis non inflatis, nec dissectis calceis, crepidisue non maniter incisis, sed simplicibus, & integris vtantur.

Camisias ad manum, & ad collum crispas & (vt dicunt) lactucatas, aut arte laboratas ne sumant.

Pileos ne habeant, nisi valetudinis causa, & eos simplices, neque turbinatos, quos ingredien. in ecclesiam, vel ædes, maxime publicas, semper omittant. Neque reticulum, aut subbiretum, nisi valetudinis necessitas postulet, idque sine redimiculis. Nec annulos, nisi honoris gradus, aut officij munus requirat.

Pretiosioribus pellibus, vnguentis, & aliis odorum suauitatibus abstineant.

Ab omni mulæ, & equi instrumento, & ornamento, aurum, argentum, villutum, & omnino sericum amoueant.

Vestium colorem tantummodo nigrum, nisi alium magistratus, aut honoris ratio postulet, adhibeant.

Vestes holosericas, aut serico ornatas, domi, aut foris ne habeant.

Arma

Arma ne ferant, neue personati incedant.

In omni denique vestitu nouitatem, & tam elegantiæ, & concinnitatis, quam negligentiæ, ac sordium suspicionem vitent.

Qui in aliquo horum deliquerit, præter vestium aliarumue rerum amissionem, vinginti quinque aureis mulctet, locis piis arbitrio nostro attribuẽdis, car cere etiã, ac beneficiorũ priuatiõe, maioribusue pœnis ꝓ delicti, & ꝓsonarũ genere arbitrio nostro puniatur.

Quoniam vero qui habitant in tabernaculis Domini non solum omnem impudicitiæ causam, sed etiam occasionem, & suspicionem à se remouere debent, ideo præter ea, quæ de contubernio, & consuetudine mulierum suspectarum à sacro Concilio statuta sunt, eadem auctoritate edicimus, ne in ædibus ad domicilium, & vsum Canonicorum, aliorumue ministrorum Ecclesiæ ædificatis, fœminæ, etiam cum illis quouis sanguinis vinculo cõiunctæ, vllo modo cõmorẽtur, in aliis vero Canonicali, aut Clericali vsui nõ attributis, nisi ex causa tantũ iudicio nostro probata.

Item ne ædes Ecclesiæ, aut earum partes, in quibus diui habitant, vel habitare debeant, laicis locent, nisi nobis locationis necessitas comprobetur. Quæ vero ab Ecclesiis sejunctæ, etiam si iuris Ecclesiæ non sint eas nemini, nisi is bonæ extimatiõis sit, locare audeãt.

Clerici, quos propter Christum spectaculum fieri oportet mundo, angelis, & hominibus, maxime debent abiis spectaculis, quæ Christum non sapiunt, abstinere. Itaque decernimus, ne comœdias, fabulas, choreas, hastiludia, aut ludicrum, & profanum vllum spectaculi genus agant, vel spectent.

Ne talis, tesseris, pagellis pictis, & omnino alea, aut vllo præterea vetito, aut indecoro ludi genere ludãt, neue huiusmodi ludi spectatores sint.

Non canes, accipitres, aut aliud venaticum animal alant, vllumue genus venationis aduersus sacros canones obeant.

Ne comessationibus, aut minus honestis conuiuiis

Nota

intersint, cauponasque, aut tabernas ne ingrediantur, nisi longioris itineris causa, neue cuiquam propinent, aut prouocati ad bibendum, respondeat, sed sobrie, & caste ex doctrina Apostoli viuant.

Interdicimus autem eis procuratione, aduocatione, patrocinio, & omni actione causarum apud iudicem sæcularem, exceptis causis iure permissis, quo loco scripta licentia à nobis impetretur, quos præterea in rebus profanis omni notariatus, & tabellionatus officio, necnon arte medendi, maxime chirurgica, prohibemus.

Nullius tutelam, curãue, nisi pietatis causa, idque concessione nostra suscipiat.

Mercaturam ne exerceant, neue in rebus cõtrahendis se medios, vel interpretes adhibeant, prædia ne conducant, pro nemine spondeant, Principum, & omnino laicorum negotia ne procurẽt, aut eis inseruiant, nisi causa id postulet, à sacerdotali officio non aliena, qua in re tamen concessio nostra (quam hac in re, & aliis à nobis permittẽdis gratis semper fieri volumus) intercedat, eaque quotannis renouetur.

Ne fœminas nobiles affectentur, neue officij causa stent circum mensam, illis accumbentibus.

In famulatu vero Ecclesiasticarum personarum, vilia officia, aut opera, quæ clericali decoro non conueniunt, minime faciant.

Quicunque in iis, quæ à nobis supra prohibita sunt, deliquerint, præter mulctam viginti quinque aureorum, ob singula delicta exigendam, & quemadmodum diximus in pios vsus erogandam, carcere, priuatione beneficii, & grauius etiam pro personæ conditione, & facinoris, ac flagitij modo, arbitratu nostro plectantur.

Mandamus autem omnibus, qui ordinis, vel beneficij, aut alia ratione canonicas horas recitare debent, vt eas nullo modo omittant: alioquin pœnas in Lateranen. generali Concilio sub Leone decimo celebrato propositas, & alias arbitratu nostro subibunt.

Inhæ

Inhærentes præterea eiusdẽ Concilij Trid. decretis, per viscera misericordiæ Iesu Christi Domini Nostri vehementer hortamur presbyteros, vt singulis dominicis, & aliis festis diebus, nisi iuste impediantur, salutare missæ sacrificium faciant: Diaconos, & subdiaconos, vt bis singulis mensibus, & semper cum missæ sacrificio inseruiant: Clericos denique, & inferiorum ordinum gradibus initiatos, vt saltem semel in mense sacrosanctum eucharistiæ sacramentum sumant.

Diuinam scripturam assidue scrutentur, sacros sanctorum patrum libros in manibus habeant, ex quibus vitalibus, & perennibus fontibus, salutaris doctrinæ, & vitæ præcepta, & exempla hauriant.

Præterea edicimus Clericis, aliisue aliquo inferiorum ordinum gradu initiatis, si Clericalibus vestibus vti voluerint, vt tonsuram quoque gerant, & reliqua, quæ præscripta sunt, proposito eodem pœnæ periculo, obseruent.

Laicis vero, qui Clericali habitu vti consueuerunt, vt in posterum, bireti saltem forma, à clericis, sub eadem pœna, internoscantur.

Quod autem difficile est propter multitudinem eorum, qui Vrbem ex diuersis orbis terræ partibus conuenire solent, Clericos à Laicis internoscere, ideo iubemus omnes, & singulos Clericos in sacris ordinibus constitutos, aliosque beneficia Ecclesiastica, etiam simplicia, obtinentes, qui in Roma. Curia commorantur, ad decem dies ab harum literarum promulgatione, eos autem, qui posthac in Vrbem venturi sunt, à die eorum aduentus numerandos, se in curia nostra sistere, & nomen, cognomen, patriam, ordines, & beneficia profiteri, & literas (vt vocant) dimissorias ostendere.

Qui autem aliquem eo gradu, & conditione, qua diximus, vel hospitij, vel famulatus, aliaue causa, domi habent, aut in futurum sint habituri, illo de hac nostra lege præmonito, ad præstitutum tempus ad curiam nostram deferre.

Qui contra fecerit, vigintiquinq; aureis, & carcere,

aliaue pœna, iudicio nostro, punietur.

Volumus autem, & decernimus, vt his literis in locis solitis publicatis, & affixis ita earum quoscunque arctet executio, perinde ac si personaliter vnicuique intimata fuisset. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in ædibus nostris die xxx. Mensis Octob. 1566. Pont. autem Sanctiss. D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno primo. Alfonsus Binarinus Vicegerens.

Triphon Victorellus Notarius.

Edictum de non fabricando in Ecclesiis, neque in earum porticibus, de non sepelien mortuis nisi in Cœmeteriis, ac tumbis, necnon de fenestris Ecclesias introspicientibus remouendis, ac remurandis.

Iacobus miseratione diuina tituli S. Mariæ in Cosmedin S.R.E. presbyter Card. Sabellus S.D.N. PP. in alma Vrbe, eiusque districtu, ac suburbiis Vic. Generalis.

VNiuersis, & singulis Patriarchalium, & Collegiatarum Parochialium, & aliarum dictæ Vrbis, & suburbiorum Ecclesiarum Archipresbyteris, Canonicis, Præpositis, Rectoribus, & quorumuis Monasteriorum, & Conuentuum cuiuscunque Ordinis in eadem Vrbe, & suburbiis existen. Abbatibus, Prioribus, & Guardianis, Capitulis, & præpositis, Hospitaliumque, & Confraternitatum, aliorumque piorum locorum custodibus, guardianis, gubernatoribus, & administratoribus, seu quouis alio nomine nuncupatis, ne de cætero sub ducentorum ducatorum auri totiens quotiens contrauentum fuerit persoluendorum, mandati executiui, & in iuris subsidium excommunicationis, aliisq; censuris ecclesiasticis arbitrio nostro imponen. & erogan. pœnis audeant siue præsumant, aut aliquis eorum audeat, siue præsumat per se, vel alium, seu alios in dictis eorum ecclesiis, & porticis fabricare, nec fabricari facere etiam ex causa cappellarum, altarium, & sepulchrorum construen. seu aliquid innouare

uare, aut innouari facere, vel permittere, Minusque quibusuis personis cuiuscunque status, gradus, & condition. existen. licentiam in dictis eorum ecclesiis, & porticis fabrican. seu fabricari facien. aut aliquid innouandi, vt supra concedere sine nostra expressa licentia in scriptis obten. neque supra dictas Ecclesias, & porticus, cœmeteria, aliquas stantias, mansion. vel habitation. construere, & construi facere, aut id permittere, vel illas ad vsum priuatum concedere. Minusque mortuos, nisi tantum in Cœmeteriis, tumbis, siue sepulchris ad huiusmodi officium fabricatis sepelire, vel sepeliri facere, vel id permittere. Eosdemque prænominatos omnes requirimus, & monemus, quod infra quindecim dierū spatium à publication. præsentium computan. sub similibus pœnis debeant, & quilibet eorum debeat quascunque fenestras domorum vicinarum, & contiguarum ecclesiis supradictis etiam ipsorum introspicientes dictas ecclesias remouisse, obturasse, remurasse, remouerique & remurati fecisse, necnon infra terminum prædictum, vbi cœmeteria desunt, tumbas, siue sepulturas communes in dictis eorum ecclesiis ad sepelien. capaces, & sufficien. locis tamen prius per nos, seu nostrum Vicegeren. assignan. construxisse, & construi fecisse. Alioquin ad prænominatas, & alias arbitrio nostro reseruatas pœnas contra inobedien. & præmissa non obseruan. procedere curabimus. Volumus autem, & decernimus, quòd præsentibus in locis solitis affixis, & publicatis, ita eorum quemlibet arctet executio, perinde ac si personal. intimata fuisset. In quorum fidem &c. Dat. Romæ, in ædibus nostris, sub anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1566. Indictione nona, die vero vigesima octaua mensis Nouembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno primo.

A. Binarinus Vicegerens.

Triphon Victorellus Not.

Breue Sanctiß. D. N. D. Pij V. Super declaratione Ordinum Mendicantium.

PIVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, tam vniuersalis Christianæ, quam singularum eius Religionum præcipuus defensor, omnibus illarum incommodis pro sui pastoralis officij debito libenter occurrit, & eorum indemnitati salubribus iuxta temporum, morúmque exigentiam, declarationibus, & aliis remediis consulere solet opportunis. Sanè licet dilecti filij omnium Mendicantium ordinum fratres à cõtributione Seminarij Clericorum in qualibet ciuitate iuxta eiusdem Concilij formam erigendi per Tridentini Concilij decreta eximantur: nósque inter alia ei isdem Mendicantium ordinũ fratribus concessa priuilegia eos, & eorum quemlibet tam à Seminarij huiusmodi cõtributione, quam subsidio quomodolibet, necnon decimis quibuscunque, & certis aliis oneribus apostolica auctoritate similiter exemerimus, & liberauerimus, cósque ad illorũ omnium contributionem nullo vnquam tempore cogi, & compelli posse decreuerimus: Cum tamen, sicut non sine animi nostri molestia nuper accepimus, nonnulli locorum ordinarij, & forsan in Prouincialibus Conciliis, eo forsan sub prætextu, quòd ordinum Mendicantium fratres huiusmodi bona stabilia ex indulto, seu dispensatione apostolica retinere possunt, & propterea Mendicantes re vera non sint, eos ad Seminarij subsidij, Decimarum, & aliorum onerum huiusmodi contributionem cogere forsan præsumpserunt, & in dies præsumunt, in grauue ipsorum ordinum grauamen: & præiudicium non modicum: Nos animo reuoluentes eos ex fructibus bonorum huiusmodi varias Reipublicæ Christianæ vtilitates afferre, cum ex ipsis varios Magistros & Doctores manu teneant, ex quorum doctrina ipsorum fratres nouitij eruditi postmodum effecti, gregem dominicum prædicationibus suis, consi-

consiliis, confessionibus, orationibus, aliisque innumeris pietatis operibus iuuent, & pascant: eorumque domos non minus imo magis, quam ea, quæ per Ordinarios erecta sunt, Seminaria, vocari posse, & propterea Mendicantium nomen amittere nullo modo debere, Volentes, idcirco omnem dubitandi materiam amputare, omnes & singulos Mendicantium ordinum fratres huiusmodi, ac eorum singulos à quibusuis excõmunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quo modolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon quarumcunque litiũ, & causarum coram quibusuis iudicibus, & vbicunque quomodolibet pendentium status, & merita, nominaque, & cognomina iudicum, & collitigantium, necnon quorumcunque priuilegiorum, indultorum, exẽptionum, & immunitatum eorundem ordinum Mendicantium fratribus hactenus quomodolibet concessorum, tenores præsentibus pro expressis habentes, lites quoque, & causas præfatas, vt præfertur, pendentes, ad nos harum serie auocantes, illasque penitus extinguentes, & collitigantibus huiusmodi perpetuum super præmissis silentium imponentes, Motu proprio nõ ad ipsorum fratrum, vel alicuius eorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulos Quatuor Mendicantium Ordinum, videlicet, sancti Dominici, & sancti Francisci, ac Eremitarum sancti Augustini, necnon Carmelitarum, & quos etiam recensèri volumus, Seruorum Beatæ Mariæ nominibus comprehensos fratres, eorumque domus, monasteria, & loca etiam si in communi propria bona tam mobilia, quàm immobilia, & stabilia, ac alia quæcunque possederint Mendicantium vocabulo, & omnibus, & singulis Mendicantium priuilegiis eis quomodolibet concessis, vti posse, & debere, nec super

præ

præmissis vllo vnquam tempore molestari posse auctoritate apostolica per præsentes statuimus, & declaramus: ac tam Concilij Tridentini, quam omnia, & singula alia decreta, statuta, ordinationes, priuilegia, & iura de Mendicantibus loquentia ad omnes, & singulos ordines præfatos, eorumque domos, & loca, etiam propria bona in cõmuni tamẽ retinẽtes extendimus, & ampliamus, illaque de illis loqui etiam auctoritate præfata per easdem præsentes declaramus. Ac insuper eisdem Ordinariis, & quibusuis aliis tam ecclesiasticis, quàm sæcularibus, quauis auctoritate fungentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & aliis arbitrio nostro moderandis pœnis similiter per præsentes mandamus, vt, si quid per eos tam nostro quàm prædecessoris nostri temporibus, tam ratione Seminarij, subsidij, & decimarum, quam aliorum onerum huiusmodi exactum fuit, id totum eisdem fratribus, omni mora, & dilatione postpositis, restituant, districtius inhibentes eisdem locorum Ordinariis, cæteris quoque personis tam ecclesiasticis, quam sęcularibus, quauis auctoritate fungentibus, & cuiusuis dignitatis, gradus, & conditionis existentibus, ne eosdem Mendicantium ordinum fratres præfatos, bona huiusmodi retinentes quouis prætextu super Seminarij, subsidij, & decimarum contributione molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant. Decernentes quoque præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenus posse, minusue sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, modificationibus, limitationibus, restrictionibus, & aliis cõtrariis dispositionibus tam per nos, quàm etiam successores nostros quomodolibet, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis pro tempore factis, & faciendis, quorumcunque tenorum existant includi, sed illis non obstantibus, in suis robore, & ef-

& efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, etiam sub Data, etiam per ipsos eligenda de nouo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ esse: & ad hoc, vt perpetua firmitate subsistant, vim validi, & efficacis contractus inter sedem apostolicam, & præfatorum ordinum Mendicantium huiusmodi fratres habere debere. Sicque per quoscunque Iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanę Eccle. Card. sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari debere: irritum quoque, & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, necnon quarumcunque tam cathedralium, quam Collegiatarum ecclesiarum Decanis, Præpositis, Archipresbyteris, Archidiaconis, Thesaurariis & quibusuis aliis in eisdem ecclesiis dignitates obtinentibus, vbilibet, & in quibuscunque regionibus, terris, & locis existentibus per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum fratrum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciãt auctoritate nostra eosdem fratres, & eorum singulos præmissis omnibus pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, vel eorum quempiam superillis quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, Et nihilominus legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam aggra

aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstan. fe. re. Bonifacij Papæ viij. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dictis, dummodo vltra tres diætas quis vigore præsentium ad iudicium non extrahatur, & aliis apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitution. & ordination. ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, accum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, & ex certa scientia, ac apostolicæ potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam consistorialiter concessis, approbatis, confirmatis, & sæpius innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret (tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris) hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, aut alicuius prælati, vel in dignitate ecclesiastica constituti, sigillo munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdé præsentibus adhiberetur, si forèt exhibitæ, vel ostensæ. Quodq; eædé præsentes in valuis Cancellariæ apostolicæ, & Basilicæ Principis Apo

Apostolorum de Vrbe, necnon in acie Cãpi Floræ per aliquem ex cursoribus nostris publicentur, & inter Extrauagantes constitutiones perpetuo valituras conscribantur: ac postquam publicatæ fuerint, plenam, & indubiam fidem faciant: necnon omnes, & singulos illas concernentes perinde ligent, ac si essent personaliter intimatæ. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, Die prima Octobris, millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Pont. Nostri anno secundo.

Io. Alf. Naldi. A. Calorius.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo Indictione decima, die vero decima sexta Mẽsis Octo. Pontifi. Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno eius secundo, retroscriptę literæ in forma Breuis affixæ, & publicatæ fuerunt in retroscriptis locis, vt moris est, per me Alexandrum Astancollum præfati Sanctiss. D.N. Papæ Curs. Idem Curs.

Philibertus Chappius Magist. Curs.

Decretum Reuerendorum Patrum Dominorum Carcerum Visitatorum super Arrestis, sub die vigesimanona mensis Martij, Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimoprimo.

R.P.D. Carcerum Visitatores decreuerũt, ne in posterum recipiantur arresta ciuilia tam contra carceratos, quam carcerandos in futurum, nisi fuerit liquidatum creditum per relaxationem mãdatorum, quorum in arrestis fiat expressa mentio, & aliter facta sint nulla, & custodes contra præsentium tenorem recipientes talia arresta, teneantur ad damna, & expensas carcerato, seu carceratis, & alias arbitrio Iudicis puniantur.

Bul

Bulla S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ. V. Extensionis omnium Priuilegiorum Ordinibus Mendicantium. Per S. Sanctitatem Concessorum, cum eorum noua concessione. Pro congregatione Lateranensi Canonicorum Regularium ordinis S. Augustini, & alijs ordinibus & congregationibus in ea nominatu.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

EX supernæ dispositionis arbitrio gregi dominico præsidentes, inter curas multiplices, quas ex ministerio nostri pastoralis officij nobis incumbere censemus, illam per quam personarum quarumlibet, earum præsertim, quas sub suaui religionis iugo sedulum in dies Altissimo famulatum exhibere conspicimus, statui, & quieti rite consulitur, libenter amplectimur, ac vt personæ ipsæ idem exoptantes à nobis gratias & fauores reportasse lætentur, grato intendimus animo, ac in his nostri pastoralis officij partes fauorabiliter impartimur, prout, temporum qualitate pensata, id perspicimus in domino salubriter expedire. Nuper siquidem à nobis emanarũt literæ tenoris subsequentis.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

ET si mendicantium ordines, qui sedulum in vinea Domini quotidie exhibere non cessant famulatũ, summo semper studio, etiam dum in minoribus essemus, amplexi fumus: ad summitamẽ Apostolatus apicem (meritis licet imparibus) diuina fauente clementia assumpti, dum id mente recolimus, facere non possumus, quin eos propensiori charitate & paterno affectu amplectamur: ac exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum, ab Apostolica Sede, cuius continue pacem, & dignitatem ordines ipsi fortiter tutati sunt, tam spiritualia, quam temporalia subsidia, ornamentaque acceperint, & accipiant, quibus & sancta sua officia, ac vitam suam regularem facilius, atque expeditius exequi, & transigere possint: & cæteræ religiosæ personæ, ordinesque alij, exemplo ipsorum, promptiores, alacrioresque ad sua officia persoluenda reddantur. Hinc est quod nos attendẽtes, plerosque ex venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, qui eosdem ordines, præcipue tanquam fructiferos in agro Domini palmites, & colere & adiuuare deberent, non solum id exequi negligere, verum etiam Concilij Tridentini decretis in prauum sensum retortis eos, & eorum quemlibet variis afficere incommodis, & perturbationibus, eorumque priuilegiis non modicum afferre grauamen conantur. Quidam enim Episcopi (vt accepimus) nolunt admittere quosdam regulares ad prædicationem, etiam in suis Ecclesiis faciendam, quamuis de eorũ habilitate ad huiusmodi opus exercendum habeant bonum testimonium à suis superioribus. Alij vero volunt, vt nedum semel, sed etiam pluries in anno coram ipsis, vel eorum Vicariis prædicatores præsententur, ac pro licentia prædicandi, quam non nisi in scriptis dare volunt, aliquid quandoque exigunt. Alij etiam Episcopi, maximam regularibus iniuriam irrogare videntur, dum præter ordinem & veterem consuetudinem absque vlla ratione quosdam reiiciunt, & quosdam pro eorum libito admittunt ad prędicationem huiusmodi habendam in locis suæ diœcesis. Quorundam etiam locorum Ordinarij quosdam Religiosos probos viros, & idoneos, etiam à suis superioribus approbatos ad confessiones audiendas admittere nullo modo volunt. Quidam ex eis volũt, nõ solũ singulis annis, sed etiã pluries in anno, in aliquibus partibus eosdem confessores sibi præsentari. In aliquibus vero oppidis tam Episcopi seu eorũ Vicarij, quam presbyteri Curati nolunt, vt fratres mendicantes vocati ad audiendas confessiones infir-

morum (maxime si infirmitas est grauis) aut etiam sanorum in priuatis illorum domibus, vel alibi, præterquam in suis Ecclesiis, aut Monasteriis possint accedere. Nonnulli etiam audent Confessores Monialium (qui pleno iure subsunt regularibus) examinare, cum tamen id minime per concilium decernatur, sicut & de fratribus, qui sunt audituri confessiones aliorum fratrum. Quidam etiam in aliquibus partibus mtuntur asserere, seu facere, ne quisquam infra annũ possit sacram Eucharistiam in Ecclesiis mendicantium recipere, neque etiam moniales tertiarias nuncupatas suorum ordinum (vt aliqui asserunt) in aliquibus partibus fieri, cum tamen solum in paschate (quoad laiculares dumtaxat iuxta priuilegia summorum Pontificum prædecessorum nostrorum eisdem ordinibus concessa id obseruari debeat. Alij vero Episcopi, seu eorum Vicarij audent ad eorum libitum dare licentiam quibuscunque quæcunque Monasteria Monialium etiam sanctæ Claræ ingrediendi, etiam si regularium curæ subdita sint. Quidam vero sub prætextu exquirendi voluntates puellarum, ante professionem earum, volunt eas extrahere à monasteriis, & per longum tempus alibi detinere, ipsasque puellas, seu nonnullas de plerisque rebus interrogant neque necessariis, neque in decreto Concilij Tridentini desuper contentis, ex quibus non modica potest oriri occasio scandali. Alij vero plerique noluerunt quosdam regulares aliorum diœcesum sacris ordinibus initiare: ac etiam à sui ordinis Prælatis approbatos, admittere nolunt. Aliqui vero singulis dominicis diebus in suos parochianos ad sonum campanæ excommunicationem promulgant, vt non possint interesse missis, concionibus, & diuinis officiis, nisi in propria parochia. Alij vero ipsis prohibent, vt omnino in aliis Ecclesiis (etiam requisiti) non celebrent. Alij vero in aliquibus partibus in eorũ Ecclesiis cõciones sacrę scripturę; & sermones pro mortuis haberi nolũt: &, si aliquid ipsis relictũ fuerit, vt ab ipsis missę dicantur, vel alia officia

officia pro mortuis celebrentur, ipsis sibi ea vsurpant, dicentes, quod ipsi ea exequi non possunt, quia ipsi sunt pastores, alij vero sub excommunicationis latæ sententiæ, & exilij per decennium à diœcesi pœna, inhibuerunt, ne missæ in eorum Ecclesiis celebrentur in diebus festiuis, antequam rector parochialis Ecclesiæ celebrauerit. Alij etiam nolunt, vt, dum prædicatio in Ecclesia Cathedrali habetur, alibi prædicetur. Ac insuper in quibusdam locis omnem ordinem, & quietem perturbant, dum controuersias iamdiu sopitas, & extinctas super præcedentia excitarunt, & vbi nullæ erant, pepererunt, dum pro arbitrio, & voluntate eorum, hos illis præferre voluerunt. Quidam etiam Episcopi volunt regulares à cura animarum excludi, & illam solis presbyteris sæcularibus committi. Quidam vero quartam funeralium extendere volunt etiam ad missas, legata, & alia quæcunque, quæ domibus regularium relinquuntur. Alij autem volunt quartam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & eorum etiam, quæ pro victu fratrum relinquuntur. Aliqui etiam in quibusdam partibus etiam volunt, vt non solum ius sepulturæ solui consuetum, quod semper soluitur, neque denegatur, sed etiam omne illud, quod Ecclesiis ordinum ad eorum libitum partes dant, quando sepeliuntur ibidem defunctorum corpora, id totum curatis etiam de nouo soluatur, instanter conantur, impedientes ne aliter corpora defunctorum ad Monasteria fratrum deferantur, vnde in hoc maxime tam partes, quam ipsos frarres grauari contingit. Aliqui vero etiam ex locis mendicantium, qui curam habent animarum, volunt pro seminatio decimas exigere, ac in casu reuirentiæ, etiam pignus exigunt. Alij autem præfatos fratres, ac moniales sub eorum degentes cura, subsidiũ regiũ persoluere cogunt, cum multæ earundem monialium vix habeant pro earum victu, & vestitu necessaria vitæ.

Alij etiam in quibusdam partibus pauperes mendicantes eleemosynas petere prohibent pro eorum dumtaxat subsistentatione, & si inuenerint eos panem, vel aliquid aliud simile amore Dei sibi collatum portantes, quandoque ab eis auferre minantur afficientes eos grauì iniuria, & contumelia. Nonnulli vero Episcopi, vel capitula canonicorum pauperes mendicantes, tam fratres, quam moniales suorum ordinum, tam de reditibus bonorum, si quæ habent, quam de possessionibus, vineis, agris, & aliis suis bonis quibuscunque, non solum largitione fidelium sibi concessis, sed etiam alias iustis de causis ab eis acquisitis, ac pecuniis emptis, sibi decimas, ac primitias aliis respectiue soluere cogunt. Alij autem ausi sunt inquirere, & processus facere contra aliquos regulares, intra claustra delinquentes, vel de quorum delictis aliqua erat suspitio, non expectata suorum superiorum censura. Alij vero Episcopi monialium monasteria ingredi, & illa ingrediendi licentias aliis concedere, & aduersus illas processus formare, ipsorum ordinum superioribus irrequisitis præsumunt. Aliqui etiam dominium temporale super moniales habere prætendunt. Nonnulli vero frequentissimè regulares citant, & iurisdictioni suæ subiicere tentant, ac eorum conuentum occupant, ipsos expellendo, ac in ipsos iurisdictionem, vel potestatem exercent. Aliqui vero ipsos carceribus (absque causæ cognitione) mancipant, ac manibus, pedibusque laborant, vt regulares mendicantes suæ ditioni subiiciant, & vsque adeo se intromiserunt in gubernatione conuentuum, & in correctionibus fratrum, vt Prouincialibus, Generalibus nullus amplius videatur relictus locus, aut vlla iurisdictio. Aliqui autem, conuentuum Priores, & Guardianos rationes, & computa facere cum syndicis conuentuum huiusmodi prohibent. Fratres quoque, qui ad Episcopos huiusmodi recursum habent, à Prioribus, & Guardianis

nis præfatis castigari, & puniri interdicuntur, Inhibẽt quoque superioribus ordinum, ne faciant processus contra fratres, ac in ipsos imperium, & brachium sæculare exercent. Alij vero, ipsos extra claustra degentes sub eorum protectione recipiunt, eosque sic permanere permittunt, eosque etiam inuitis suis superioribus, detinent. Aliqui vero bonorum ipsorum fratrum tanquam ad eos (si extra claustra defuncti fuerint) spectantium possessionem occupare præsumunt, & ad habitum religionis reuersis, sua bona consignare nolunt. Ac etiam vniones à sede prædicta, aut alias rite factas de beneficiis Ecclesiasticis impediunt, & sibi relaxari debere volunt, & contradictores excommunicationis gladio feriunt. Alij vero regulares campanas diebus festiuis pulsare, vel eodem tempore, quo ipsi celebrant, missas celebrare nolunt. Aliqui etiã ℘ licentia danda ædificandi quandã domũ regularem, triginta, vel quadraginta ducatos exigere nõ erubuerunt. Alij vero eos mortuorũ corpora associare, alij autem illos cum Parocho similia munera subire non permittunt, nisi maior canonicorum pars interuenerit. Alij vero mortuorum officia in regularium Ecclesiis peragi nolunt, nisi cum ipsorum præsentia, & ipsorum moniales, vel alias personas, etiam si in earum funere Parochus interuenire, non deberet, sepelire prohibent, nisi ipsi Parocho prius certum quid solutum fuerit, &, si aliquem ipsi sciuerint in regularium Ecclesiis sepulturam elegisse, eum (vt dicitur) non antea ad illas deferre sinunt, quam ad Parochi Ecclesiam delatum, imbique officium peractum fuerit. Postremo vero, testamenta sine presbyterorum præsentia fieri prohibent, & si quid ipsis regularibus relictum fuerit, id asserentes contra Concilij Tridentini canones esse, reuocare omnino procurant. Ac propterea volentes præmissis, ac aliis similibus excessibus, & grauaminibus ex nostri pastoralis officij debito prouidere, attendentes etiam illos, qui onus diei, & estus tam in

prædicationibus, quam in cæteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent: nisi etiam aliquantisper subleuentur, facile fore, vt oppressi, à suis officiis omnino desistant: ne in posterum eis aliquod inferatur grauamen, Concilij Trid. huiusmodi decreta, quorum falsa, seu minus vera intelligẽtia præmissa irrepserunt, quorumque declaratio non nisi ad nos spectat, modo, & forma infrascriptis declarandum censuimus. Nos igitur Motu proprio, non ad alicuius instantiã, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, declaramus Canonem sessionis xxiiij. cap. iiij. per quem omnibus regularibus etiam in suorum ordinum Ecclesiis, contradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, mendicantium ordinum fratres huiusmodi, quando à suis Generalibus, vel eorum ministris prouincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere posse. Imo volumus, quòd in suis Ecclesiis, quando eis placuerit, licite, & absque vllo impedimento, vel contradictione, etiam Episcopi (nisi ipse prædicauerit) prædicare possint. Quod vero in sessione xxiij. cap. xv. circa confessiones à regularibus non audiendas statuimus, hoc etiam dictorum ordinum fratres, à præfatis suis Generalibus, vel Ministris prouincialibus ad audiendas cõfessiones vtriusque Christifideliũ sexus approbatos (vt præmittitur) minime comprehendat, ita vt à confessionibus audiendis, tam intra eorum ecclesias, & domos, quam extra minime prohibeantur, super hoc literas felicis recordationis Pauli Papæ quarti, etiam Prædecessoris nostri, concedentis eisdem fratribus mendicantibus regularis obseruantiæ, posse confessiones sæcularium personarum, etiam infirmarum, etiam extra domos, & monasteria sua, & vbilibet audire approbando, & de nouo concedendo. Statuimus etiam, quòd ille, qui semel in vna diœcesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem diœcesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari, vel præsentari in dicta diœcesi debeat, tam quo

quo ad prædicationes faciendas, quam quo ad confessiones audiendas, nec aliquid pro prædictis exigi, vel recipi debeat. Confessores vero monialium, quæ degunt sub cura regularium, ab ordinario examinari nolumus, quemadmodum neque etiam fratres si debeãt audire confessiones aliorum fratrum examinari debent. Lectores insuper ex eisdem fratribus, & in theologia graduati, qui cum licentia suorum superiorum ad gradum admissi fuerint, cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit, tam confessiones audituri, quam prædicationis munus subituri ab Episcopis minime examinentur. Cumque inhonestum sit quemlibet in alienam messem falcem iniicere, cumque monialium monasteria non nisi de Episcopi, vel superioris licentia, & in casibus necessariis aliquis ingredi præsumat, in sessione xxv. cano. v. prohibetur, hoc tantum in illis monasteriis locum habere volumus, quæ ordinariis ipsis pleno iure subsũt, in quibus in casibus necessariis ipsi dare licentiã possint, & nõ in aliis monasteriis. Ita vt in præfatis monasteriis, quæ ordinariis ipsis pleno iure nõ subsunt, ipsi ordinarij illa ingredi non possint, prout in regulis earũ, seu de iure statuitur, & eis aliquos processus aduersus moniales ipsas, seu fratres huiusmodi, propter ea seu alias, ipsorũ ordinum superioribus irrequisitis, quoquomodo formare, aut facere posse, omnino prohibemus, ita vt aliquam iurisdictionem, seu aliud quodcunque dominium in moniales, & fratres huiusmodi, respectiue habere, exercere, aut exequi nullatenus possint, aut debeant, imo illas, & illos omnes ab eorum superioritate, dominio, & iurisdictione, & potestate, eximimus, & liberamus, prout eis concessum est per sua priuilegia à sede præfata obtenta, & ita præfatæ moniales, ac fratres sint exclusi à superioritate, & iurisdictione ordinariorũ respectiue huiusmodi, vt etiam in illarum vel illorum syndicis, aut procuratoribus deputandis, vel in disponendis illorum facultatibus, vel alia sibi non competentia facienda, vllatenus non se intromittant, nec etiam or-

dinarij ipsi regulares præfatos citare, & iurisdictioni suæ subiicere, ac eorum conuentus occupare, ipsos ab eis expellendo, ac in ipsos iurisdictionem aliquam, & potestatem exercere, vt præmittitur, aut ipsos carceribus mancipare, & contra eos aliquid aliud facere possint, vt suæ ditioni subiiciantur, Neque etiam se intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione conuentuum tam fratrum, quam monialium huiusmodi, & illorum correctionibus, sed omnia ista & alia necessaria ad correctionem & gubernationem fratrum, aut monialium huiusmodi, & eorum Generalibus, ac Ministris seu Prouincialibus, vel aliis eorũ aut earum respectiuè superioribus, etiam ratione cõputa faciendi cum syndicis conuentuum huiusmodi, omnino relinquantur, nec vllo modo in præmissis, & aliis fratres, & moniales huiusmodi tangentibus ordinarij prædicti per se vel alios se intromittant. Fratres quoque, si contigerit eos ad huiusmodi ordinarios recursum habere, à præfatis Generalibus, ministris, seu Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, & aliis suis superioribus, castigari, & puniri posse, & debere, neque ipsos ordinarios præfatis superioribus ordinum huiusmodi vllatenus inhibere: quinimo præfatos superiores processus contra fratres suos, & moniales huiusmodi, quando opus fuerit circa delictorum inquisitionem, vel castigationem facere posse, decernimus, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Inhibemus etiam ipsis ordinariis, ne fratres extra claustra degentes, sub eorum protectione recipiant, eosque inuitis suis superioribus, detineant. Prohibemus quoque eisdem ordinariis, ne aliquo modo se intromittant in bonis dictorum fratrum extra claustra suorum monasteriorum pro tempore degentium siue decedentium, & quamuis in habitu, siue absque habitu moriantur, volumus quod eorum bona mobilia, & immobilia, ad ordinem, quem professi sunt, pertineant disponenda iuxta constitutiones, seu ordinationes prædictorum ordinum, neque illa ordinarij

rij prædicti occupare præsumant, imo huiusmodi & ad habitum religionis reuertentium bona omnia monasteriis ipsis, cum ea quæ acquirit monachus, de iure monasterio acquirantur, pertinere etiam decernimus. Ac ipsis ordinariis, ne quascunque vniones etiam perpetuas à sede prædicta vel alias, vt præfertur, hactenus factas, & pro tempore faciendas de beneficiis Ecclesiasticis, seu illorum fructibus: quin suum sortiantur effectum impediant, omnino etiam prohibemus, & censuras Ecclesiasticas, & alias pœnas per eos in contradictores pro tempore latas, nullius esse roboris vel momenti, similiter decernimus, & declaramus. Insuper volumus, quòd præfati regulares, quibus cura animarum inest, possint per se ipsos iuxta suorum superiorum ordinationem, alios Vicarios, seu Capellanos sæculares ipsorum regularium nutu amouibiles, ab eis deputatos, & ab ordinario pro idoneis nominatos, & approbatos præfatam curam exercere, neque in eorum deputatione, vel amotione, neque alicuius partis fructuum consignatione pro præfatis Capellanis, seu Vicariis sęcularibus, si per tales curam exerceri contigerit, Episcopi vllo pacto se intromittant. Prohibemus insuper eisdem ordinariis, ac aliis quibuscunque personis, ne impediant ipsos fratres, quando eis placuerit, tam in diebus dominicis, seu festiuis, aut aliis totius anni temporibus, campanas pulsare, & etiam tempore, quo ipsi celebrauerint, missas celebrare, nec non mortuorum corpora associare, & illa per fratres ipsos quando in ecclesiis suis præfatis delata fuerint, etiam absque præsentia rectorum ecclesiarum huiusmodi sepeliri facere, ac officia mortuorum huiusmodi peragi posse, necessariamque præsentiam rectorum, aut aliorum clericorum, quin infirmi libere sua condere possint testamenta, minime esse, ac ipsos regulares legata, aut quæuis alia sibi in testamentis relicta exigere, & obtinere posse, neque aliquod ius in contrarium esse decernimus, & declaramus. Volumus

etiam, quod puellarum Deo dicandarum, an ſcilicet coactæ, vel ſeductæ fuerint, examen faciendum, non niſi infra quindecim dies poſtquam iuxta Concilium Tridentinum, Epiſcopi vel eorum Vicarij requiſiti fuerint, fieri poſſit, quibus elapſis, amplius in hoc illis ſe intromittere non liceat, cuius occaſione nec Epiſcopus, nec eius Vicarius intra ſepta monaſteriorum ingrediantur, ſed ſtent ante cratem ferream, & interrogationes alias, quam eas, quæ præfatum Concilium Tridentinum iubet, eis fieri omnino prohibemus, ac ſimiliter volumus, quod puellæ, ſeu nouitiæ ipſæ ad alias interrogationes reſpondere minime teneantur. Seſſionis vero xxiij. cap. viij. neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe ſtatuens, in regularibus locum non habere omnino declaramus, ita quod fratres huiuſmodi præfatos etiam ſacros ordines, à quolibet Antiſtite gratiam, & communionem apoſtolicæ ſedis habente, ordinarij loci minime requiſita licentia, in locis, ſeu domibus fratrum huiuſmodi, aut alibi recipere poſſint. Et inſuper Seſſionis xxij. decretum per quod populum ſæpe ad ſuas eccleſias, ſaltem dominicis, & maioribus feſtiuis diebus, conuenire debere monet, inſequendo, volumus, quòd fratribus mendicantibus huiuſmodi, non ſolum prohiberi non poſſit, ne miſſas, & alia diuina officia faciant in eorũ eccleſiis, verum etiam in quibuſcunque aliis, vbi celebrari miſſas ſolitum eſt, etiam ipſis non vocatis, ſeu ad id requiſitis celebrare valeant. Ac etiam quod conciones, & lectiones ſacræ ſcripturæ, & ſermones pro mortuis, etiam in eccleſiis ſuis facere, ac eleemoſynas pro celebrandis huiuſmodi miſſis, & aliis diuinis officiis peragendis ſi eis illas donari ſeu relinqui contingat, recipere, necnon miſſas, & diuina officia huiuſmodi etiam in diebus dominicis, vel feſtiuis, etiam antequam rector Parochialis Eccleſiæ celebrauerit, celebrare, & facere, & quando eis videbitur, etiam ſi tunc in eccleſia cathe

cathedrali prædicetur, prędicare, ac etiam quicunque vtriuſque ſexus Chriſtifideles, totius anni tempore illas, & illa in eccleſiis fratrum huiuſmodi audire poſſint, ipſique Chriſtifideles vllatenus deſuper moleſtari, aut impediri per locorum ordinarios, ſeu rectores Parochialium eccleſiarum, aut alios quoſcunque vllo pacto, cauſa, vel occaſione non valeant, ſeu debeant, ſed præfati Chriſtifideles audiendo miſſas, & alia diuina officia in eccleſiis fratrum huiuſmodi diebus dominicis, aut feſtiuis, præcepto eccleſiæ de illis audiendis ſatisfeciſſe cenſeantur. Ipſique Chriſtifideles ſacramentum Euchariſtię (reſurrectionis Dominicæ feſtiuitate dumtaxat excepta) ſumere, eiſque illud per fratres huiuſmodi adminiſtrari valeat, nec ad aliud faciendum per locorum ordinarios, aut eccleſiarum rectores præfatos, ſeu alios quoſcunque, illorum licentia minime requiſita, etiam ſub cenſuris eccleſiaſticis, & aliis pœnis, cogi vel compelli poſſint, ſeu debeant, etiam decernimus & declaramus. Et licet in ſeſſione xxv. cap. xij. caueatur, quod cenſuræ, & interdicta eccleſiaſtica etiam à locorum ordinariis promulgata mandante Epiſcopo à regularibus in eorum eccleſiis publicari debeant, tamen ſi tempore celebrationis alicuius ex feſtis ſanctorum ordinum eorundem, ac alias in aliis feſtiuitatibus iuxta eorundem ordinum priuilegia apoſtolica, interdictum huiuſmodi emanauerit, illud in præfatis feſtiuitatibus, & earum octauis ſuſpendimus. Controuerſias autem omnes de præcedentia, quæ eadem ſeſſione xxv. cap. vero xiij. per Epiſcopum terminari mandantur, non niſi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo pacto innouari poſſe ſtatuimus. Cumque licet cap. xj. ſeſſionis xxv. ſtatuat, quòd in domibus virorum ſeu mulierum, quibus animarum perſonarum ſęcularium cura imminet, nulli etiam ad nutum amouibiles, inibi deputentur, niſi de ordinarij conſenſu, ac præuio examine huiuſmodi præcedente, ad curam huiuſmodi admitti poſſe omnino volumus prędictos regulares. Quartam autem funera

neralium de quæ sessio.xxv.c.xiij.nequaquam soluere teneantur monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existunt, postquam ipsum Concilium loquitur tantũ de monasteriis ante annos quadraginta fundatis,quę ipsam quartam soluere consueuerunt,& vbi solui consueuit,id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur,non autem de missis, seu legatis, vel aliis fratribus ipsis, seu monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis solui debet. Sicque intelligi Concilij decretum,quo ad quartam huiusmodi soluendam debere decernimus. Vbi vero non est consuetudo soluendi quartam huiusmodi , de nullo suprascriptorum solui debere declaramus, Nec ad quartam , seu aliã partem omnium eorum , quæ etiam pro ornamento ecclesiæ, palliorum,planetarum,cortinarum,pannorum,& aliorum quæ dictis ecclesiis relinqui, vel dari contigerit, etiam si pro victu fratrum,aut alias relinquantur, aliquid contribuere teneantur. Ac etiam ius sepulturæ solui tantum consuetum curatis, & non aliquid aliud eis solui debeat , quanuis partes ad earum libitum ecclesiis ordinum huiusmodi , seu eorum fratribus, alia quæcunque tribuant,seu eleemosynas elargiãtur quãdo sepeliuntur ibidem corpora mortuorum huiusmodi,nec propterea impediri debeãt, quin possint defunctorum corpora præfata ad eorum Ecclesias tumulãda deferri facere. Inhonestum quoque esse censentes, Mendicantium ordines,ad aliquorum onerum contributionem teneri,illos,illorumque loca,etiam si curam animarum habent,ac quæcunque beneficia illis vnita, ad contributionem pro seminario,aut decimarum aliquarum solutionem,imo illos, & eorum domos, monasteria,beneficia, & loca quæcunque, & ab illis quomodolibet dependentia, eorumque possessiones, vineas, agros & prata, ac alia bona quæcunque, tam ad ipsos ,quam ad moniales præfatas etiam largitione fidelium, seu alias iustis de causis ab eis acquisita, ac

pecuniis empta, vel alias quomodolibet pertinentia, minime teneri,illosque , & illas à quibuscunque decimis,primitiis,quartis, mediis, & aliis fructuum partibus, necnon subsidiis charitatiuis etiam per nos concessis,ad quorumcunque etiam regum , principum , & dominorum temporalium instantiam , quacunque etiam vrgentissima,& de necessitate exprimenda causa, ac etiam aliis quibuscunque oneribus, tam ordinariis, quam extraordinariis,etiã ratione fructuum , olerum, virgultorum,lignorum,beneficiorum,& aliarum quarumcunque rerum tam pro victu,quam vestitu, aut alias sibi necessariarum quomodolibet etiam auctoritate apostolica nunc , & pro tempore impositis , ita vt penitus,& omnino ad alicuius rei contributionem minime teneantur,omnino eximimus,& liberamus:illosque & illas, ad illos , & illa , etiam si ęculares , & aliæ personæ quæcunq; in eas exigendi possessione fuerint, minime teneri debere volumus:nec sub cap.xij.sessionis xxv. comprehendi posse , vel debere decernimus. Quod vero de vsu quæstorum eleemosynarum auferẽdo,loquitur sessionis xxj.ca.viij.id ad mendicantium ordines nullo modo referri posse, vel debere, etiã decernimus:quin potius cum ex eleemosynis huiusmodi viuere cogãtur,eis id facere, liberum omnino esse declaramus. Quoniã vero ex nimia Episcoporũ sibi arrogata auctoritate ipsi personas regulares suæ iurisdictioni subiicere omnino studeant, ac decreto Concilij præfati sessionis xxv. cap. xiij. edito , quo cauetur, quòd si regularis intra claustra existens, & extra ea ita notorie deliquerit, vt populo scandalosus sit , termino ab Episcopo præfigendo , à suo superiore omnino puniatur, sin minus,ab ordinario delinquens puniri possit , confisi , variis, indebitisque grauaminibus regulares afficiant , ordinarios præfatos aliquid contra regulares in claustris degentes huiusmodi quouis prætextu, occasione, vel causa innouare non posse vel debere, nec aliquos processus contra ipsas personas regulares formare,aut facere posse volumus, nisi pro-

pro

propter manifestum scandalum, & suorum ordinum superioribus prius consultis, & negligentibus: alioquin omnia, & singula contra præmissa facta, & gesta, ac facienda in futurum, pro nullis, & infectis habeantur. Licentias vero pro construendis domibus regularibus, que 4. capit. sessionis x x v. nisi de ordinarij licentia construi prohibentur: gratis omino dari, & non nisi legitima subsistente causa, superioribus explicanda, illas recusari posse necnon fratres præfatos, etiam solos, mortuorum corpora associare, Ac mandatum in die cœnæ Domini fieri solitum, in ecclesiis, seu domibus fratrum cuiuslibet ordinis prædictorum, solemniter facere, & prædicta die prædicare hora qua eis videbitur, nec per locorum ordinarios, aut rectores ecclesiarum, seu alios quoscunque prohiberi posse, etiam decernimus, & declaramus. Mandantes etiam vniuersis locorum ordinariis, ne mortuorum officia agere rectores parochialium in ecclesiis ipsorum fratrum, contra illorum voluntatem, permittant. Ac moniales dictis fratribus subditas, vel personas sepulturam in eorum ecclesiis eligentes, nulla soluta Parocho portione, sepelire, vel, si fratres ad mortuorum corpora associanda vocati fuerint, illa absque fratrum huiusmodi præsentia sepeliri facere, audeant, vel præsumant. Cumque maxime deceat liberam esse cuiusuis testantis voluntatem, prauum illum vsum, paruo adhuc tempore (vt præfertur) introductum, per quem testamenta absque presbyterorum præsentia fieri interdicuntur, omnino abrogamus. Postremo quod capit. duodecimo sessio. vigesimæquintæ cautum fuit, quòd omnes scilicet tam clerici, quam regulares, quicunque ad publicas processiones vocati, accedere compellantur: id quo ad fratres præfatos de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum, soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis ecclesiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur, quod etiam de illis conuentibus, qui collegia nuncupantur, minime intelligi volumus, in quibus fratres sub arctiori clausura degunt, ita vt nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant: sed tantum studiis, & electionibus vacent. Præterea, si forte inter Episcopos, vel collegia, aut capitula, vel alias quasuis personas & præfatos fratres, seu moniales, aut eorum aliquos, super præmissis vel aliquo eorum, coram quocunque seu quibuscunque iudicibus, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, tam in Romana Curia quam extra eam, vbilibet lis, seu lites respectiue pendeant: nos litem, seu lites & causam, vel causas huiusmodi ad nos aduocamus, ac illam, & illas, quarum statum, ac nomina, & cognomina iudicum, & collitigantium præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, cassamus, & extinguimus, ac partibus ipsis perpetuum silentium desuper imponimus. Ac insuper, vt facilius permissa omnia illibata persistant, omnia & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, fauores, & gratias, quæ decretis Concilij Tridentini alias, quam vt superius est dictum, concessum, & declaratum, non contrariantur expresse, eisdem fratribus, necnon monialibus quibuscunque, & sororibus tertij ordinis prædictorum ordinum respectiue ordinibus, ac illorum ecclesiis, domibus, & personis, etiam viuæ vocis oraculo in genere, vel in specie tam per recolendæ memoriæ Eugenium quartum, Sixtum quartum, Leonem decimum, Paulum tertium, ac dictum Paulum quartum, & Pium etiam quartum, quam alios quoscunque Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros, ac nos, & sedem eandem quomodolibet concessa, confirmata, & innouata: necnõ nostras, & prædecessorum nostrorũ, ac alias quascunque desuper confectas literas, quarum

rũ omniũ tenores, ac eorundem prędecessorum nostro
rum nomina, & alia de necessitate exprimenda, ac si
de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in
illis tradita obseruata, inserti forent, etiam præsenti-
bus pro sufficienter expressis haberi volumus, auctó-
ritate apostolica tenore præsentium perpetuo appro-
bamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiola-
bilis firmitatis robur adiicimus, eaque perpetuis fu
turis temporibus inuiolabiliter obseruari debere, ac
fratribus superioribus, & personis ordinum huiusmo-
di, necnon aliis quibuscunque quos illa concernunt,
suffragari debere, seu posse volumus. Necnon priuile-
gia, immunitates, facultates, libertates, indulta, dispen
sationes, exemptiones, fauores, & gratias, tam spiri-
tuales, quam temporales, modo, & forma quibus con-
cessa sunt, etiam per viam communicationis, & exten-
sionis, actiue, & passiue inter se, & alios quoscunque
ordines respectiue, de nouo concedimus: illaque om-
nia, & singula, ad domos, & loca quæcunque dictorum
mendicantium ordinum, & monialium quarumcun-
que, ac sororum de tertio ordine nuncupatarum in
congregatione viuentium dictorum ordinum, vt præ-
fertur, hactenus recepta, & imposterum recipienda,
Necnon eorum personas, & bona etiam si priuile-
giorum, & aliarum gratiarum prædictarum auctén-
tica originalia, propter temporis antiquitatem, vel
varias Vrbis ruinas, deperdita existant, dummo-
do de eis alias legitime constet, extendimus, & am-
pliamus. Et sic in præmissis omnibus, & singulis
per quoscunque iudices, & personas quauis aucto-
ritate fungentes, etiam Cardinales, & Auditó-
res, præfatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis
aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & aucto-
tate, iudicari, & diffiniri debere: necnon quicquid
secus super his à quoquam quauis auctoritate sciéter,
vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane
decernimus. Quo circa dilectis filiis nostro prædica-
torum Cardinali Protectori, & sancti Hieronymi Ge-

nerali ordinum, ac curiæ causarum Cameræ Apostoli
cæ etiam Generali Auditori, nunc, & pro tempore e-
xistentibus, per apostolica scripta motu simili manda-
mus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel
alium, seu alios, præsentes literas, in eis contenta quæ
cunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro
parte eorundem fratrum, aut monialium, vel alicuius
eorum fuerint desuper requisiti, solenniter publican-
tes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio
assistentes, faciant, auctoritate nostra præsentes, & in
eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ac singu-
los, quos literæ ipsæ concernunt, pacifice frui, & gau-
dere, non permittentes eos, vel aliquem eorum desu-
per contra præsentium tenorem per quoscunque, e-
tiam locorum ordinarios quomodolibet indebite mo
lestari, contradictores quoslibet, & rebelles per cen-
suras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris
remedia, appellatione postposita, compescendo, legiti
misque super his habendis seruatis processibus, cen-
suras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, ag-
grauando, & interdictum ecclesiasticum apponendo,
inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij
sæcularis. Non obstantibus præmissis, & aliis aposto-
licis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conci-
liis editis, generalibus, vel specialibus constitutio-
nibus, & ordinationibus apostolicis, ac etiam iu-
ramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmi-
tate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuile
giis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem
Episcopis, vel quibusuis aliis personis sub quibuscun
que tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam de-
rogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, &
insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in
genere, vel in specie, etiam Motu simili, ac alias quo-
modolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus
omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatio-
ne de illis, eorumque totis tenoribus specialis, spe-
cifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas

generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus. Necnon omnibus illis, quę in literis confirmationis, & innouationis priuilegiorum eorundem, alias per eosdem Paulum quartum, & Pium etiam quartum prædecessores nostros prædictos, ordini fratrum minorum huiusmodi concessorum, concessum est non obstare, contrariis quibuscunque. Aut si locorum ordinariis, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspēdi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret earundem præsentium literarum notitiam ad quascunque personas peruenire, & vbique illas præsentare, etiam motu, & scientia similibus volumus, & decernimus, quòd transumptis earundem præsentium literarum, etiam per impressionem factis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, aut sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillatis, quemadmodum adhiberetur præsentibus literis originalibus, si præsentarentur, vbique adhibeatur tam in iudicio quam extra illud plena, & indubitata fides. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, prohibitionis, exemptionis, liberationis, inhibitionis, suspensionis, statuti, decreti, mandati, abrogationis, auocationis, cassationis, extinctionis, impositionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, concessionis, extensionis, ampliationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri,

Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo decimosexto Kal. Iulij, Pontificatus nostri anno secundo.

ET deinde pro parte dilectorum filiorum Canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini Cōgregationum Lateranen. & sancti Saluatoris, ac sanctæ Crucis Colimbrien. & Monachorum sancti Benedicti Congregationis, & ordinum Cassinen. Montis Oliueti Vallisumbrosę, necnon etiam congregatiōn. Cistercien. & Cartusien. necnon sancti Hieronymi Hispaniarum, ac Camaldulen. & fratrum Militiæ Iesu Christi reformatorum nuncupatorum Regni Portugalliæ nobis nuper exhibita petitio cōtinebat, quod ipsi etiam iuxta eorum cuiuslibet regularia instituta tum vita eorum exemplari, tum doctrina, ac verbi Dei prædicatione, aliasque summis eorum laboribus, & studiis animarum salutem, ac sanctæ Sedis apostolicæ dignitatis, & auctoritatis augmentum hactenus semper procurauerunt, & in dies circa hoc tā laudabile ministerium magis, ac magis versari non cessantes, sibi fauente superni numinis auxilio, suauissimum, cunctisque fidelibus gratissimum suæ probitatis, & diligentiæ latius diffundunt odorem, pariterque in vinea domini laborare non desinunt, ac proinde eos aliqua ratione indignos censeri non posse, quin ipsi quoque gratiarum, facultatum, priuilegiorum, & aliorū præfatis fratribus Mendicantibus concessorum participes fieri, necnon Monasteria etiam Monialium, & alia loca quæcunque ad gratias, facultates, priuilegia, ac alia in eisdem præinsertis literis contenta quæcunque exrendi, ac illis gaudere debeant. Quare pro eorundem Canonicorum, Monachorum, & fratrum parte nobis fuit humiliter supplicatum, vt eorum statui, & tranquillitati consulentes, eos, & eorum singulos, necnon suorum ordinum, & Congregationum Mo-

nasteria,etiam Monialium,ac domos,& loca alia quæ cunque ad declarationes,statuta,exemptiones, volun tates,prohibiti ones,approbationes,extensiones,& decreta,ac alias gratias,facultates, & priuilegia quæcun que prædictis fratribus Mendicantibus concessa præ dicta,ita vt illis omnibus,& singulis æque & pariformiter absque vlla penitus differentia frui, & gaudere possint,& debeant, extendere, & quatenus opus sit illa eis de nouo concedere, aliasque sibi desuper oppor tune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui omni qua fieri potest ratione cõmodiori personarũ quarumlibet, præsertim Deo dicatarum animi quietem sinceris exoptamus affectibus, singulos Canonicos, Monachos, & fratres prædictos à quibusuis censuris, & pœnis ecclesiasticis quauis occasione latis, si quibus innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati Canonicos, Monachos & fratres prædictos, si professionem regularem iuxta eorum statuta, & laudabiles consuetudines, ac priuilegia, & indulta eis cõcessa emiserint respectiue, illorumque Monasteria,etiam Monialium,necnon domos,& loca alia quæcunque ad singula declarationes, statuta,& immunitates(contributione ratione Seminariorum pauperum clericorum iuxta ordinationem dicti Concilij Tridentini erigendorum, & instituendorum, necnon subsidiorum apostolica auctoritate pro tempore impositorum,ac quæstuatione eleemosynarum dumtaxat exceptis) exemptiones, voluntates, prohibitiones,approbationes,extensiones,decreta,& alia quæcunque gratias,facultates, & priuilegia eisdem fratribus Mendicantibus vt præfertur concessa, & facta,ac alia in præinsertis literis contenta, & inde secuta quæcunque dicta auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus,illosque declarationibus, statutis,exẽptionibus, voluntatibus,prohibitionibus, approbationibus, extensio-

tensionibus, decretis, & aliis gratiis,facultatibus, & priuilegiis huiusmodi pariformiter, & absque vlla penitus differentia, prout dicti fratres Mendicantes vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti potiri, & gaudere poterunt liberè, & licite vti, potiri, & gaudere posse atque debere, illaque omnia,& singula sibi, eorumque Monasteriis, domibus, & locis huiusmodi, eorumque superioribus, & personis quibuscunque, quas illa concernunt, & pro tempore concernent, suffragari, necnon modo,& forma quibus prædictis fratribus Mendicantibus concessa,& facta sunt,concessa factaque esse, necnon ad singula Monasteria, domos, & loca quæcunque dictorum Canonicorum, Monachorum, & fratrum, necnon Monialium, Congregationum & ordinum prædictorum in Congregatione viuentium extensa, & ampliata censeri, ficque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices, & personas, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales,ac causarum Palatij apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus, & dilectis eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus dictorum ordinum, & congregationum huiusmodi respectiue nunc, & pro tempore Protectoribus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Canonicorum, Monachorum, & fratrum,aut monialium huiusmodi, vel alicuius eorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes,eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præsentes & in eis contẽta huiusmodi firmiter obseruari,ac singulos quos literç

ipsæ concernunt, pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, vel aliquem eorum desuper, tam contra præsentium literarum, quam præinsertarum tenorem per quoscunque, etiam locorum ordinarios quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, & interdictum ecclesiastici apponendo, inuocato etiã ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus præmissis, & aliis apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eisdem Episcopis aut quibusuis aliis personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu proprio ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma adhoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si locorum ordinariis vel quibusuis aliis communiter vel diuisim à prædicta sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

tionem. Et quia difficile foret earundem præsentium notitiam ad quascunque personas peruenire, & vbique illas præsentare, etiam dicta auctoritate nostra volumus, & decernimus, quòd transumptis illarum etiam per impressionem factis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, siue sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillatis, prout eisdem præsentibus adhiberetur, si præsentarentur, vbique adhibeatur tam in iudicio quam extra illud plena, & in dubitata fides. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, extensionis, ampliationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ Apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, decimo septimo Kal. Septemb. Pont. Nostri anno secundo.

D. Balbus.

Breue S.D.N. Pij Papæ V. Super Societate nominis Dei, seu iuramentorum.

PIVS PAPA V. *Ad perpetuam rei memoriam.*

DEcet Romanum Pontificem æqui, & boni supremum assertorem ita cuncta prouido suo iudicio discutere, vt & scandalis quibuslibet obuietur, & ea, quæ in diuini nominis gloriam sunt stabilita, votiuum suscipiãt incrementum. Accepimus sane nuper, quòd, licet societas nominis Dei, siue iuramentorum originem, & ortum habuerit ab ordine Prædicatorum, eo quòd ab eisdem ordinis professoribus fuerit instituta, & aucta, necnon interuentu dilectorum filiorum fratrum dicti ordinis multæ indulgentiæ, aliaque priuilegia, & fauores dictæ societati ab Apostolica Sede fuerunt concessa, tamen multi Clerici, & Parochi in suis Ecclesiis dictam societatem erigere studeant, ita

vt aliquando sint plures in eadem ciuitate societates, seu Confraternitates dictæ inuocationis nominis Dei, seu iuramentorum in diminutionem obseruantiæ, & deuotionis, quæ ex frequentia conuenientium oriri solet, & non sine aliqua confusione, quæ ob præfatam causam in die Circuncisionis Domini, quando festum prædictæ societatis, seu Confraternitatis celebrari debet, accedere consueuit. Nos in præmissis pro nostri Pastoralis officij debito opportune prouidere volentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Quod in ciuitatibus, oppidis, & locis totius orbis Christiani, in quibus fuerint Ecclesiæ ordinis prædicatorum, ibi tantum, vel in huiusmodi Ciuitatibus, oppidis, & locis, & in dictis Ecclesiis Prædicatorum dumtaxat dicta societas, seu Confraternitas huiusmodi instituatur in Ciuitatibus, oppidis, aut locis, in quibus non fuerit dicti ordinis domus, aut in finitimis Ecclesiis absque licentia Prioris, Prouincialis, seu Conuentualis dicti ordinis, in cuius districtu sita fuerit Ecclesia, in qua dicta Confraternitas, seu societas est, vel erit erigenda. Quod si secus factum fuerit, confratres taliter admissi dictæ Confraternitatis, seu societatis indulgentias non consequantur, nec fauoribus, aut priuilegiis gaudeant, quæ confratribus legitime adscriptis per sedem præfatam conceduntur, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus, ac etiam districtius inhibemus, sicque volumus, & præcipimus. Et nihilominus dilectis filiis conseruatoribus dicti ordinis per præsentes Motu simili mandamus, vt contradictores, seu attentantes auctoritate nostra prohibeant, ac etiam per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas etiam pecuniarias, ac cætera iuris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescant, & reprimant, super quibus illis facultatem, potestatem, & auctoritatem eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & impar

impartimur. Decernentes præsentes literas de surreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, seu alias quomodolibet infringi, vel retractari nullatenus vnquã posse, sed eas semper validas, & efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, necnon ab omnibus, quos illæ concernunt inuiolabiliter perpetuo obseruari, sicque in præmissis ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Iudices, & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, ac Palatij nostri Apostolici causarum Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter Iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, Irritum quoque, & inane si secus super his à quoque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac fe. re. Bonifacij Papæ viij. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dictis, dummodo non vltra tres ad iudicium vigore præsentium trahatur, & aliis apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam motu, & scientia similibus etiam consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet concessis approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserrerentur præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque, Aut si aliquibus communiter, vel diuisim à prædicta sit sede

indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Cæterum, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, vbi necessarium fuerit, deferre, volumus quòd illarum transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Iunij Pontificatus nostri Anno sexto.

B. Melchiorius. B. de Castro.

Breue quo S. D. N. Pius Papa V. hortatur locorum ordinarios, vt in suis Ciuitatibus, & diœc. Ecclesias seu loca alia, in quibus pueri in Doctrina christiana eruditi debeãt, deputent: cum facultate Christifidelium Confraternitates in Ecclesiis, seu locis huiusmodi erigendi, ac indulgentias pro Confratribus: & pueros docentibus.

PIVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

EX debito pastoralis officij nobis meritis licet imparibus ex alto commissi ad ea libenter intendimus, per quæ diuinus cultus, fideliumque deuotio vbique suscipiat incrementum, ac ipsos fideles ad id indulgentiis, & remissionibus inuitamus, vt Christifideles ipsi per temporalia, quæ egerint, consequi valeant præmia fœlicitatis æternæ. Nos igitur attendentes quòd infantes, & pueri bonis moribus, & exercitiis educati quasi semper vitam pudicam honestam, & exemplarem, ac aliquando sanctã agunt, è conuerso autem, qui parentum carentia, seu paupertate aut incuria, vel ignauia non sic educati persæpe ducuntur in exitium, & quod peius est, secum ducunt plures in interitum, Vnde, si diligenter educati, & in doctrina Christiana instructi fuerint, à vitiis & multis aliis

aliis erroribus retraherentur: Considerantes etiã prout ex fide dignis relatibus intelleximus, quòd nonnulli approbatæ vitæ Christifideles charitate omnium suprema virtute circa hoc tam pium, tamque reipublicæ saluberrimum opus accensiti in singulis festiuitatibus, & Dominicis diebus in diuersis ecclesiis, & locis hoc opus sanctissimũ amplexi sunt, & ibi eosdẽ infantes, & pueros, ac alias miserabiles personas Christianæ veritatis ignaras cõgregari faciunt, & eos bonis moribus, & sana doctrina instruunt, ac diligenter in via mandatorum Domini dirigunt, ex quo salutiferi fructus hactenus prouenerunt, & in dies magis, auxiliante Domino, prouenire speramus, Et quod si ad hoc opus sanctissimum vbique locorum exercendũ præfatos Christifideles paternis fauoribus, & indulgentiarum muneribus inuitaremus, procul dubio non solum eorundem infantium, & puerorum, ac personarum aliarum saluti consuleretur, verum etiam deuotio Christifidelium omnium ad præfatum opus amplectendũ multo magis augeretur. Cupientes igitur tam pio, tamque laudabili operi viribus totis fauere, & animas lucrifacere creatori, ex certa nostra sciẽtia vniuersos & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosq; ecclesiarũ Prælatos, & locorum quorumcunque ordinarios, vbilibet cõstitutos pręsentes, & futuros rogamus, & hortamur attente, eis, ac eorum in spiritualibus, & temporalibus Vicariis, seu officialibus generalibus per apostolica scripta mandantes, quatenus hoc opus sanctissimum toto pectore amplectẽtes, aliquas ecclesias in suis ciuitatibus, & diœcesibus respectiue, seu loca honesta, in quibus præfati infantes, & pueri ad audiendum doctrinam Christianam conuenire possint, deputent, & viros ad id idoneos vita, & moribus approbatos, qui diebus saltẽ Dominicis eosdẽ infantes, & pueros, ac alias personas diuæ legis expertes in articulis fidei, & præceptis sanctæ matris ecclesiæ instruant, confirment, & eligant, atque tot societates, seu confraternitates quot ad hoc tam sanctissimũ opus exercendũ eis

eis opportunæ videbũtur, inibi auctoritate nostra erigant, & instituant. Nos enim vt promptius, & alacrius ad hanc curam subeundam omnes Christifideles alliciantur, & eo libentius curam ipsam suscipiant, quo ex hoc dono cælestis gratiæ conspexerint se vberius refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, seu statutis à iure temporibus firmum confitendi propositum habentibus, qui in aliqua dictarum Societatum seu Confraternitatum vbilibet constitutarũ intrauerint, & adscripti fuerint, illis videlicet tam qui alios docuerint, quam qui ab aliis in articulis fidei, & præceptis ecclesię huiusmodi instructi fuerint, quotiescunque in præfato sanctissimo exercitio se occupauerint, quadraginta dies de iniũctis eis pœnitentiis auctoritate apostolica tenore præsentium misericorditer in domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Cæterum, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæq; loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret deferri, volumus quòd ipsarũ transumptis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio & extra, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentib⁹ adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die vj. Octobris, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo. Pont. nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius.

Sanctiss. D. N. D. Pij Papæ V. Constitutio super recitatione Missalis ex Concilij Tridentini decreto restituti.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quo

QVo primum tempore ad Apostolatus apicem assumpti fuimus, ad ea libenter animum, vires que nostras intendimus, & cogitationes omnes direximus, quæ ad ecclesiasticum purum retinendum cultũ pertinerent, eaque parare, & Deo ipso adiuuãte omni adhibito studio efficere contendimus. Cumq; inter alia sacri Tridentini Concilij decreta, nobis statuendum esset de sacris libris, Catechismo, Missali, & Breuiario edendis, atque emẽdandis: edito iam Deo ipso annuente ad populi eruditionem Catechismo, & ad debitas Deo persoluẽdas laudes Breuiario castigato, omnino, vt Breuiario Missale responderet, vti congruum est, & conueniens (cum vnum in ecclesia Dei psallendi modum, vnum missæ celebrandæ ritum esse maxime deceat) necesse iam videbatur, vt quod reliquum in hac parte esset, de ipso nempe Missali edendo, quam primũ cogitaremus. Quare eruditis delectis viris onus hoc demandandum duximus, qui quidem diligenter collatis omnibus cum vetustis nostræ Vaticanæ bibliothecæ, aliisque vndique conquisitis, emendatis, atque incorruptis codicibus, necnon veterũ consultis, ac probatorũ auctorũ scriptis, qui de sacro eorundẽ rituũ instituto monumenta nobis reliquerunt, ad pristinã Missale ipsum sanctorum patrum normam, ac ritum restituerunt. Quod recognitum iam, & castigatum, mature adhibita consideratione, vt ex hoc instituto, cæptoque labore fructus omnes percipiant, Romæ quamprimum imprimi, atque impressum edi mandauimus, nempe, vt sacerdotes intelligant, quibus precibus vti, quos ritus, quasue ceremonias in missarum celebratione retinere posthac debeant. Vt autem à Sacrosancta Romana Ecclesia cęterarum ecclesiarũ matre, & magistra, tradita vbique amplectantur omnes, & obseruent, ne in posterum perpetuis futuris tẽporibus in omnibus Christiani orbis Prouinciarum, Patriarchalibus, Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus, Sęcularibus, & quorumuis ordinum Monasteriorum, tam virorum quam mulierum, etiam militiarum regularibus, ac sine cura

Eccle

Ecclesiis, vel Capellis, in quibus missa Conuentualis alta voce cum choro, aut demissa celebrari iuxta Romanæ Ecclesiæ ritum consueuit, vel debet, alias quã iuxta Missalis à nobis editi formulam decantetur, aut recitetur, etiam si eædem ecclesiæ quouis modo exẽptę apostolicæ sedis indulto, consuetudine, priuil. g.o, etiã iuramẽto, cõfirmatiõe apostolica, vel aliis quibuis facultatibus munitę sint, nisi ab ipsa prima institutione à sede apostolica approbata, vel cõsuetudine, quę vel ipsa institutio super ducentos annos missarũ celebrandarum in eisdem ecclesiis assidue obseruata sit, à quibus, vt præfatã celebrandi constitutionem, vel cõsuetudinem nequaquam auferimus, sic si Missale hoc, quod nunc in lucem edi curauimus, iisdẽ magis placeret, de Episcopi, vel Prelati, Capitulique vniuersi cõsensu, vt quibusuis non obstantibus iuxta illud missas celebrare possint, permittimus: ex aliis vero omnibus ecclesiis præfatis eorundem Missalium vsum tollendo, illaque penitus, & omnino reiiciendo, ac huic Missali nostro nuper edito, nihil vmquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo sub indignationis nostræ pœna, ac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, & ordinamus. Mandantes, ac districte omnibus, & singulis ecclesiarum prędictarũ Patriarchis, Administratoribus, aliisq; personis quacunq; ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiã si S.R.E. Cardinales, aut cuiusuis alterius gradus, & præeminentiæ fuerint, illis in virtute sanctæ obedientiæ pręcipientes, vt cæteris omnibus, & ritibus & aliis Missalibus quantumuis vetustis hactenus obseruari cõsuetis, in posterum penitus omissis, ac plane reiectis missam iuxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur decantent, ac legant, neque in Missæ celebratione alias cerimonias, vel preces, quam quæ hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumant. Atque vt hoc ipsum Missale in missa decantanda, aut recitanda in quibusuis ecclesiis absq; vllo conscientiæ scrupulo, aut aliquarum pœnarum, sentẽtiarum, & cẽsurarum incursu post hac omnino sequantur, eoq; libere, & licite vti possint, & valeant, auctoritate apostolica tenore præsentiũ etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. Neve Præsules, Administratores, Canonici, Cappellani, & alij quocunque nomine nuncupati Presbyteri, Sęculares, aut cuiusuis ordinis regulares, ad missam aliter, quam à nobis statutum est, celebrandam teneantur: neque ad missale hoc immutandum à quolibet cogi, & compelli, præsentesue literæ vllo vmquam tempore reuocari, aut moderari possint, sed firmæ semper, & validæ in suo existant robore, similiter statuimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac in prouincialibus, & synodalibus conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon ecclesiarum prædictarum vsu longissima, & immemorabili præscriptione, non tamen supra ducentos annos roborata, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscunque. Volumus autem, & eadem auctoritate decernimus, vt post huius nostræ constitutionis, ac Missalis editionem, qui in Romana adsunt Curia presbyteri, post mensem, qui vero intra montes, post tres, & qui vltra montes incolunt, post sex menses, aut cum primum illis Missale hoc venale propositum fuerit, iuxta illud missam decantare, vel legere teneantur. Quod vt vbique terrarum incorruptum, ac mendis, & erroribus purgatum præseruetur, omnibus in nostro, & S.R.E. Dominio mediate, vel immediate subiecto cõmorantibus impressoribus, sub amissionis librorũ, ac centũ ducatorũ auri Camerę Apostolicę ipso facto applicãdorum, aliis vero in quacunque orbis parte consistentibus sub excommunicationis latæ sententiæ, & aliis arbitrij nostri pœnis, ne sine nostra, vel specialis ad id Apostolici Commissarij in eisdem partibus à nobis constituendi, ac nisi per eundẽ Commissariũ eidem impressori Missalis exemplum, ex quo aliorum imprimendorum ab ipso

im

impressore erit accipienda norma, cum Missali in Vrbe secundum magnam impressionem impresso collatum fuisse, & concordare, nec in nullo penitus discrepare prius plena fides facta fuerit, imprimere, vel proponere, vel recipere vllo modo audeant, vel præsumãt, auctoritate apostolica, & tenore præsentium similibus inhibemus. Verum, quia difficile esset præsentes literas ad quæque Christiani orbis loca deferri, ac primo quoque tempore in omnium notitiam perferri, illas ad Basilicę Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Florę de more publicari, & affigi, ac earundem literarum exemplis etiam impressis, ac manu alicuius publici tabellionis subscriptis, necnon sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus indubitatam fidem vbique gentium, & locorum haberi præcipimus, quæ præsentibus haberetur, si ostenderentur, vel exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis, statuti, ordinationis, mandati, præcepti, concessionis, indulti, declarationis, voluntatis, decreti, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ 1570. Pridie Idus Iulij, Pontificatus nostri anno quinto.

Cæ. Glorierius. H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini 1570. Indictione decima tertia, Die vero vigesimanona mensis, Iulij. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N. Pij diuina prouidentia Papæ V. anno eius quinto, retroscriptæ literæ publicatæ, & affixę fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorũ, ac Cancelarię Apostolicæ, & acie Cãpi Florę, vt moris est, per nos Ioan. Andream Rogerium, & Philibertum Chappuis Curs.

Scipio de Octauianis Magist. Curs.

CON

CONSTITVTIO PER QVAM DATVR FACVLTAS IVDICI DE-cernendi sequestrum super Beneficijs reseruatis.

SANCTISSIMVS in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Pius diuina prouidentia Papa quartus: Cupiens, prout suo pastorali incumbit officio, vnicuique, quod suũ est, tribui iustitiamque inter omnes æqua lance ministrari, ac animarum periculis, & fraudibus eorum, qui passim beneficia ecclesiastica in mensibus, in quibus illorum collatio & prouisio per constitutiones suas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas desuper editas dispositioni suæ pro tempore reseruatæ existunt, vacantia, seu alias eidem, & sedis Apostolicæ dispositioni generaliter reseruata, aut ex generali reseruatiõe apostolica, vel aliàs affecta, ordinaria, seu alia auctoritate contradictarum Constitutionum tenorem, aut aliàs indebite sibi conferri, & de illis etiã prouideri procurant, & in eis prætextu collationum, & prouisionum huiusmodi se intrudunt, ad hoc, vt illorũ fructus suos faciant, & ex eis impetrantes Apostolicos, seu aliàs iusto titulo prouisos molestent & interim lites adeo in longum protrahant, vt ipsi impetrantes & iustum titulum habentes, aut cum eis concordare, aut eorum iuri cedere, & renunciare, aut in

N

prosequutione litium huiusmodi omnes ferè eorum facultates dissipare, & tãdem in illarum prosequutione mori cogatur. Quique beneficia in Romana Curia vel extra eam litigiosa resignant, aut eorum iuri cedunt simpliciter, vel in fauorem tertij in memorialibus, cum paruis datis, & consensibus desuper præstitis, quæ penes se retinent. Et nihilominus lites huiusmodi prosequuntur, & dum cognoscunt nullum ius sibi in huiusmodi beneficiis litigiosis competere, ad effugiendum sententiam, & expensas, vel fructuum restitutionem, in quibus condemnandi venirent, Supplicationes desuper signari, ac datas, & cõcensus paruos huiusmodi extendi faciunt, asserentes, se iam diu illa dimisisse, partes fouentes bonum ius, & iudices iustitiam ministrantes diludendo quantum in eo est obuiare, ac omnem penitus talia præsumendi occasionem tollere, hac sua perpetuo valitura sanctione statuit, & ordinauit, quòd quoties inantea aliquem super quouis beneficio ecclesiastico (vt præfertur) reseruato seu affecto, & dicta auctoritate, vel alias nulliter collato tam in dicta Cu. quã extra eam litigare contigerit, & iudici ordinario, seu cui causa desuper commissa fuerit, etiam Summarie, & extra iudicialiter quantum sibi pro rei qualitate sufficere, parte legitime citata, videbitur, constiterit, beneficium ipsum in dictis mensibus vacauisse, aut alias (vt præfertur) reseruatum seu affectum: & nihilominus ordinaria, seu alia auctoritate nulliter collatum, & indebite detentum existere, idem iudex reproducta citatione, fructus, reditus, & prouentus beneficiorum sic nulliter collatorum, & indebite detentorum sequestrari mandet, & faciat, ac alia exequatur in præmissis necessaria, & opportuna. Super quo eidem iudici omnem potestãtem, & auctoritatem impartitus est. Itemque sanctitas sua in causis nunc in quauis instantia coram eisdem iudicibus pendentibus similiter obseruari mandauit. Præterea decreuit, & declarauit, sic resignantes, seu cedentes, & nihilominus lites huiusmodi prosequentes,

tes, ne eorum malitia illis prodesse, & fouentibus bonum ius nocere veleat, ad fructuum, redituum, & prouentuum dictorum beneficiorum per eos perceptorum restitutionem, ac expensarum in litibus huiusmodi factarum refectionem, omniaque, & singula damna & interesse, in quibus condemnati fuerint, si non cessissent, vel resignassent, per iudices tã ordinaria, quam delegata, vel alia auctoritate fungẽtes, corã quib⁹ lites ipsas, p tẽpore pendere, seu moueri contigerit, condẽnandos fore, & condemnari debere, ac ad id teneri & obligatos esse. Ipsosque ac etiam in dictis beneficiis successores quoscunque ad apparitionem sententiæ, seu sæntentiarum, ac literarum exequutorialium pro tempore latæ, seu latarum, & decretarum, à quibus appellare non liceat, ac restitutionem seu relaxationem possessionis, ac fructuũ, redituũ, & prouentuum, necnon refectionẽ expensarũ, ac damnorũ, & interesse huiusmodi, perinde ac si cõtra eosdẽ successores sentẽtia seu sententiæ latæ, & literæ exequtoriales huiusmodi decretæ fuissent, cogi, & compelli. Sic tamen, quod postquam alter ipsorum sentẽtię seu sententiis, ac restitutioni, vel relaxationi possessionis fructuũ, redituum, & prouentuum, necnon damnorum, & interesse hmõi s refectioni, aliisque præmissis realiter, & cum effectu paruerit, alter desuper molestari non possit. Et ita in præmissis omnibus, & singulis per eosdem, & alios quoscunque iudices, & etiam causarum palatij Apostolici Auditores, sublata, &c. iudicari & diffiniri debere, irritum quoque, &c.

Placet, publicetur, & describatur. I.

Lecta, & publicata fuit supradicta Constitutio Romæ in Cancellaria Apostolica, anno incarnationis Dominicæ 1560. Die vero sabbati, vigesima sexta mensis Octobris Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Papæ Anno primo.

A. Lomellinus Custos.

Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IIII. Bulla reformationis officij Sacræ pœnitentiariæ.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN sublimi Beati Petri solio, meritis licet imparibus superna dispositione locati, statim ab ipso nostri Pontificatus initio, officij nostri esse duximus, vt omni, adhibita diligentia, errores, quos circa omnes gradus, & hominum conditiones, nimia forsan licentia, & impunitate, magno cum animi mœrore hisce potissimum temporibus committi animaduertimus, prouidentiæ nostræ ministerio corrigere, & emendari: ac ea, quę hominum licentia creseēte, deformata essent, reformare, illaque præsertim circa Romanæ Curiæ officia, & tribunalia ad veram, debitamque normam, & obseruantiam reducere curaremus. Hinc est, quod nos ad pœnitentiariæ nostræ officium, in quo morum censura, & animarum salus præcipue vertitur, nostræ considerationis oculos dirigentes, & attendentes, in eo plures, & diuersos abusus propter superiorum temporum licentiam, & incuriam irrepsisse, ne illi sese latius diffundat, quantum in nobis est, occurrere volentes, habita desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ipsoque maiori pœnitentiario, ac eius officialibus auditis, & eorum iuribus diligenter visis, ac omnibus mature consideratis, de ipsorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus: quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, pro tempore existens maior pœnitentiarius, ac eiusdem pœnitentiariæ Regens, correctores, procuratores, ac alij quicunque eius officiales, & ministri ab eorum omnium, que in infrascriptis capitulis & prohibitionibus continentur, concessione, commissione,

ne, & expeditione penitus cessare, & abstinere debeāt. Et in primis idem pœnitentiarius abstineat à commutationibus vltimarum voluntatum, & earum derogationibus, necnon ab vnionibus perpetuis, & suppressionibus, ac translationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, & applicationibus vnius beneficij alteri beneficio, & illarum confirmationibus. Item à concessione iuris patronatus, seu præsentandi ad beneficia Ecclesiastica propter augmentum fructuum, sed tantum, ex causa fundationis, vel dotationis illud concedere possit. Similiter abstineat à licentiis standi extra, pro monialibus, ex quacunque causa: necnon à declaratoriis pro religiosis propter vim, & metum quæ ingressu religionis, vel emissione professionis sibi illata fuisse prætendant: quando post emissam professionē hujusmodi susceperunt sacros ordines in religione, etiam si asseratur, quod eisdem vi, & metu durantibus, illos susceperint. In aliis autem casibus declaratoriæ ipsæ cōmittantur Ordinario loci, & vocato Priore Monasterij, in quo fuerit emissa professio, & nunquam in Curia, etiam si pars, & testes præsentes essent. Nec concedat Religiosis licentias standi extrà propter infirmitatis, & similia impedimenta: nec etiam pro subuentione parentum, aut pupillorum, vel aliorum consanguineorum, nisi obtenta licentia suorum superiorum, & in facultatibus, pro religiosis eisdem, transeundi de ordine ad ordinem, etiam in casibus à iure permissis, apponatur semper clausula: quod perpetuo ibidem in claustro Domino famulari teneantur. Apostatis vero absolutionem non concedat, nisi ea lege expressa, vt statim ad claustrū proprij ordinis redeant: vel ad alium ordinem transeant, æqualis, vel arctioris obseruantię, vt ibi perpetuam vitam agant. Nec illis, aut aliis translatis prædictis indulgeatur, vt beneficia ecclesiastica obtinere, vel illis, vti mercenarij, deseruire, aut alias etiam de superiorum suorum licentia extra claustrum quoquomodo degere valeant. Similiter non concedat

commissiones alienationum, vel permutationum, aut affrancationum, aut illarum confirmationum de bonis Ecclesiasticis in forma, quæ dicitur. Si in euidentem, pro rebus, quarum reditus annuus summam viginti ducatorum auri de Camera excedat: & commissiones huiusmodi semper Ordinario loci, & alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ coniunctim cõmittantur. Et, si de ipsius Ordinarij interesse, vel præiudicio agatur, tunc loco ipsius committantur Metropolitano. Et, si res ad ipsum Metropolitanum pertineat, Ordinario vicinior: & nunquam similes concedantur commissiones, quando agitur de alienatione iurisdictionum, vel vassalorum ad Ecclesiam quouis modo pertinentium. Præterea, ne Ordinarij in corrigendis subditorum excessibus impediantur, & delicta impunita remaneant, non concedat absolutiones, vel mandata de absoluendo ab homicidiis, vel aliis grauibus delictis, etiam occultis, pro quibus de iure ciuili pœna capitalis imposita sit (præterquam in foro conscientiæ duntaxat.) In reliquis vero minoribus, & leuioribus excessibus, de quibus tamen delinquens non fuerit citatus, vel inquisitus, committere possit Ordinario: vt imposita illi pœna eius arbitrio, cum etiam in foro fori absoluat, ipsumque ab executione ordinum, si secum super irregularitate dispensatum fuerit, similiter eius arbitrio suspendat. Episcopis tamen, vel eorum superioribus, au aliis prælatis Sedi Apost. immediatè subiectis, & quibusuis personis in terris Ecclesiæ, & multo minus in Vrbe delinquentibus, ab aliquibus delictis extra forum conscientiæ absolutionem minime concedere possit. Caueat etiam Pœnitentiarius, ne in absolutionibus à Simonia reali, vel conuentionali, etiam occulta, vnquam concedat: vt ipsi Simoniaci beneficia: super quibus Simoniam commiserunt, seu pecunias, vel alia pro illis acceptra, aut fructus exinde post commissam Simoniam perceptos in toto, vel in parte retinere possint: quinimo in absolutionibus huiusmodi opponatur clausula: Quod

Quod vterque ad beneficium, super quo fuit commissa Simonia, perpetuo inhabilis existat. Et insuper homicidæ voluntario, etiam aliàs canonicè absoluto, altaris ministerium, aut ascensum ad superiores ordines, & restitutionem, aut retentionem beneficiorum, quibus ipso iure quis priuat⁹ vel priuãdus sit, cõcedere minimè valeat. Nec minus literas de promouendo ad sacros ordines, ac etiam ad primam tonsuram à quocunque Catholico Antistite, nisi allegetur iusta causa, propter quam ab Ordinariis suis promoueri, nec ab eis, aut eorum officialibus literas dimissorias obtinere valeant: & tunc concedi possint à quocunque Ordinario, vel pro eo Pontificalia exercente, & si causa allegata falsa fuisse deprehendatur, sic promoti ab executione ordinum per suos Ordinarios suspendi, vel illa etiam perpetuo priuari possint. Similiter idem pœnitentiarius non concedat absolutiones à iuramento, nisi ad effectum agendi duntaxat. Nec dispensationes matrimoniales in forma gratiosa, sed semper committantur Ordinariis, prout alias fieri consueuit. Nec cõcedat religiosis licentiam suscipiendi gradum Doctoratus, vel Magisterij contra statuta ordinis, nisi ex aliqua probabili causa, & nisi de licentia suorum superiorum. Nec absolutiones à fructibus indebitè perceptis, ratione intrusionis in beneficio, vel ob non promotionem, aut alium tituli defectum, etiam in foro conscientiæ, nisi facta restitutione fructuum hmõi. Nec etiam absolutiones concedat pro vsurpata iurisdictione, vel violata libertate ecclesiastica, etiam in foro conscientiæ, nisi cum clausula, Satisfacto prius de damnis, & expensis parti læsæ: Neque facultates testandi iuxta formam quinterni simpliciter: sed cum clausula, Dummodo non supra summam centum ducatorum, etiam ad pias causas, ac pro seruientibus. Religiosis vero etiam extra claustrum, etiam cum Apostolica dispensatione degentibus, facultates testandi nullo modo concedantur. Et insuper non confirmet gesta per Ordinarios, aut alios inferiores illis

de iure communi non concessa, nec suppleat eorum defectus. Minus etiam dispensęt super ætate promouendorum ad sacros ordines de iure requisita. Nec tempus prælatis ad munus consecrationis suscipiendum à iure statutum vltra tres menses, & terminum anni Rectoribus parochialium ecclesiarum, & aliis quibusuis ad sacros etiam presbyteratus ordines suscipiendos à iure, aut in fundatione beneficiorum quomodolibet constitutũ, extra casus à iure permissos, vltra sex menses minime prorogare valeat. Et vltra præmissa abstineat etiam ab expeditionibus quibuscunque, quæ sibi per literas suarum facultatum expresse non conceduntur, nisi alias de iure communi in casibus, de quibus agetur, Ordinario concessæ reperiantur. Nec suffragetur prætextus consuetudinis, seu stili, aut quasi possessionis ipsius maioris pœnitentiarij, & prædecessorum suorum in similibus concedendis, etiam si consuetudo, aut stylus, vel quasi possessio huiusmodi per literas facultatum suarũ generaliter approbata reperiãtur. Volumus insuper, quòd officiũ sacræ Pœnitẽtiariæ, Sede Apostolica vacãte, in omnibus & singulis, quæ ad forum fori quomodolibet pertinent, penitus, & omnino conquiescat. Quodque ea tantum pro animarum salute expedire valeat, quæ forum conscientiæ respiciunt. Districtius inhibentes moderno, & pro tempore existenti Maiori Pœnitentiario in virtute sanctæ obedientiæ, ac Regenti, Correctoribus, Scriptoribus, Procuratoribus, Reuisoribus, Sigillatoribus aliisque dictæ Pœnitentiariæ officialibus quibuscunque, sub nostræ indignationis, & excommunicationis latæ sententiæ, necnon priuationis, & amissionis suorum huiusmodi, & aliorum officiorum, & beneficiorum quorumcunque per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, aliisque grauioribus nostro, & pro tempore existentis Ro. Pont. arbitrio infligendis, & applicandis pœnis. Ne de concessionibus, & expeditionibus sibi per præsentes interdictis præmissorum tenore,

tenore, etiam prætextu quorumuis priuilegiorum, & indultorum eis quomodolibet concessorum, se intromittere quoquo modo audeant, seu præsumãt. Decernentes quascunque concessiones, gratias, ac expeditiones deinceps ab eodem officio Pœnitentiariæ contra præsentium tenorem (quod absit) pro tempore emanatas, etiam si in illis asseratur, viuæ vocis oraculo, ac de mandato nostro, & pro tempore existentis Ro. Pont. speciali, & expresso factas fuisse, nullas nihilominus, & inualidas, ac extortas, & surreptitias esse, & censeri: neminique propterea suffragari posse: & ita per quoscunque locorum Ordinarios, ac Iudices, & commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem S.R.E. Card. (sublata eis, & eorum cuilibet quauis alter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) iudicari, & diffiniri debere: irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, priuilegiis quoque, & indultis eidem Maiori Pœnitentiario, ac eius officiario, etiam in illis erectione, & institutione, etiam Motu proprio consistorialiter, ac de fratrum eorundem consilio, & assensu, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & alias quomodolibet, etiã per felicis recor. Eugenium Quartum, Sixtum etiam Quartum, & Paulum Tertium, ac alios quoscunque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac etiam nos concessis, approbatis, & innouatis, ac decretis, & censuris in illis appositis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, Tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis haben-

tes (illis aliàs in suo robore permãsuris) hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque: Aut si aliquibus communiter, vel diutius ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indulgentiis, & literis apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcunq; tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter nõ inserta effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum habenda esset in eisdem literis mentio specialis. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, & omnes, quorum interest, vel interesse poterit, omnino afficiant, Volumus, & mandamus, illas in Palatij nostri apostolicæ officij Pœnitentiariæ huiusmodi valuis, & acie Campi Floræ affigi, & per aliquod temporis spacium, relicta ibidem copia, detineri, vt iis, quos literæ ipsæ concernunt, seu concernere poterunt quomodolibet in futurum, quod ad ipsorum notitiam non peruenerint, vel illas ignorauerint, quo minus eos arctent perinde, ac si eis personaliter intimatæ forent, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare: Cum non sit verisimile apud eos remanere incognitũ, quod tam patenter extiterit publicatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, inhibitionis, decreti, derogationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurũ. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicę 1562. Quarto Non. Maij, Pont. nostri anno tertio.

Ego

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego R. Card. de Carpo Episc. Port.
† Ego F. Card. Pisanus Epis. Tosculan.
† Ego F. Card. Cæsius Epis. Prænesti.
† Ego Io. Car. Moronus Epis. Sabi.
† Ego Christ. Card. Trid. Epis. Alban.
† Ego Otho Truchses Card. August.
† Ego B. de la Cueua Card. sanctæ Crucis.
† Ego Ti. Car. Crisp.
† Ego Ful. Card. Perus.
† Ego Io. Michael Car. Saracenus.
† Ego Ioan. Car. sancti Vital.
† Ego Iaco. Car. Puteus.
† Ego Ioan. B. Cicada Car. sancti Clementis.
† Ego B. Card. Tranen.
† Ego Scipio Car. Pisarum.
† Ego Ioan. Car. Reoman.
† Ego Io. Anton. Card. Capisuccus.
† Ego F. M. Card. Alex.
† Ego Iaco. Car. Sabellus.
† Ego Io. Ant. Car. sancti Georgij.
† Ego Aloysius Card. Corne.
† Ego B. Car. Saluiatus.
† Ego Phi. Card. Aburd.
† Ego Petrus Francis. Car. Ferrerius.
† Ego Hieron. Card. Corrigiensis.
† Ego Marcus Anto. Card. Amulius.
† Ego B. Card. Nauagerius.
† Ego Io. Franciscus Car. de Gambara.
† Ego A. Car. Farnesius Vicecan.
† Ego Gui. Asc. Car. Camerarius.
† Ego N. Car. de Sermonet.
† Ego Iu. Card. Vrbin.
† Ego Alf. Caraf. Car. Neapolitan.

† Ego

† Ego Vittellotius Card. Vitellius.
† Ego Carolus Card. Borromeus.
† Ego Franciscus Card. Gonzaga.
† Ego Indicus de Aualos Car. de Aragonia.
† Ego Alpho. Card. Gesualdus.

Ant. Florebellus Lauellinus. F. Delyon.

Anno à Natiuitate Domini 1562. Indictione 5. die vero veneris xv. mensis Maij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IIII. Anno tertio, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Palatij apostolici & Palatij officij Sacræ pœnitentiariæ, & in acie Campi Flore, vt in retroscriptis literis continetur, dimissis copiis earundē in dictis locis affixis, per nos Franciscum Rugeriū, & Iuliū Parinū præfatos Sanctiss. D. N. Papæ Curiæ.

Honofrius Montargull. Magist. Curiæ.

Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IIII. Super reformatione officij Rotæ.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

IN Throno Iustitiæ, super omnes gentes, & Regna, meritis licet imparibus, superna dispositione constituti, ad ea, quæ iuris, & iustitiæ cultum, ac obseruantiā concernunt, dirigimus potissimum aciem nostræ mentis, vt vniuersis Nationibus ad Sedem Apostolicam, omnium fidelium Matrem, & Magistram, pro litium & controuersiarum inter eos vigentium decisione, recurrentibus, longis iudiciorum curriculis sublatis, ac minoribus quam fieri poterit dispendiis, opportune consulatur. Sane postquam Nos circa Curiæ nostræ reformationem solerti studio intēdentes, reliquorum eiusdem Curiæ Tribunalium, & Officiorum emendationem, & correctionem cum Dei auxilio, & venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Card. consilio, feliciter peregimus, demum ad Palatij nostri Auditorium

rium, in quo vniuersorum Christifidelium grauiores causæ per duodecim summæ virtutis, & doctrinæ viros, ex omnibus mundi partibus magna cum diligentia conquisitos, mature cognoscuntur, & magna cum integritate, & iustitia terminantur, animū adiecimus. Et licet in eodem Tribunali pauca admodum correctione digna offenderimus, nihilominus, vt nihil intactum relinqueremus, nōnulla potius pro litibus abbreuiandis, ac partium dispendiis euitandis, vel saltē minuendis, vocatis ipsius Auditoribus, ac pluries tam in voce quàm in scriptis auditis, prouidenda censuimus. Et idcirco de eorundem fratrum nostrorum consilio statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ad tollendum multiplicationem cō missionum, & parcendum laboribus, & expensis litigantium: vnica commissio in qualibet instantia sufficiat, & illius vigore Auditor causam sibi commissam cognoscere: & cum omnibus, & singulis dependentibus, & emergentibus, ac alias quomodolibet incidentibus, decidere valeat. Possit etiam Auditor sine noua commissione præfigere terminum ad docendum de attentatis, ac nullitatibus, & causis, propter quas quis in integrum restitui debeat: ac illo elapso, & non docto, ad causæ expeditionem procedere, necnon remissorias decernere, dilationes concedere, liquidationes fructuum in partibus delegare, ac omnia, & singula alia, vsque ad finalem sententiarum suarum executionē inclusiue facere, quę de iure Ordinarij facere possunt. Prorogationes autem fatalium, sæpius, & passim non concedat, sed tantum ex aliqua honesta causa, ac præuia illius cognitione, arbitrio Rotæ. Auditor tamen in aliqua causa, siue magni, siue parui momenti existat, etiam si eius decisio clari iuris esse videatur, diffinitiuam sententiam, vel interlocutoriam vim diffinitiuæ habentem, ferre non valeat, nisi causa in Rota proposita, & habitis votis Coauditorum, nisi partes in actis expresse consenserint: quod causa sine voto eorundem Coauditorum expediri possit. Idemque

que in aliis quibuſuis præiudicialibus decretis ſeruari volumus, ſi actor, vel res, vt negotium in plena Rota cognoſcatur, inſtiterit. Item ſententiæ latæ per Auditores prout in cedula, vt moris eſt, vel per viam termini pro ſeruato, ſubſcribantur, & publicentur in actis intra quindecim dies, & in vltima anni audientia late, infra menſem, alioquin pronuntiationes huiuſmodi pro circunductis habeantur. Termini etiam pro ſeruatis habiti, & cedulæ ipſarum ſententiarum, quæ interdum tã per alium notarium quã actuarium ipſius cauſæ, ad referendum accipi conſueuerunt, referantur ipſi notario cauſæ eadem vel ſequenti die qua recipiũtur. In vltimis verò audientiis ſaltem infra triduum: & ſi Auditor qui pronũtiauit prout in cedula, vel terminum habuit pro ſeruato, retinuerit citationem penes ſe, illam notario cauſæ ſimiliter intra prædictos dies conſignare debeat, alias termini huiuſmodi circunducti, & irriti cenſeantur. Auditor verò non pronũcietur in cauſa, niſi perfecto regiſtro, & illo ad Rotã delato, vna cum dictis teſtium, illiſque, ac iuribus in eadem Rota, prout res exegerit, lectis. In vltima verò anni audientia, ac quandocunque agetur deferenda declaratoria contra contumacem, etiam regiſtro non perfecto, ex actis originalibus pronunciare valeat, Ita tamen, quod pars, ad cuius inſtantiam pronunciatũ fuerit, regiſtrum ipſum pro actorum conſeruatione quãto citius perfici curare teneatur. Et inſuper Auditor partibus petentibus copiam deciſionis in cauſa factæ, cum iuribus, ac rationibus tradere debeat, prout antiquitus laudabiliter fieri conſueuit. Cauſæ autem propriæ Auditorum, & eorum familiarium, ac conſanguineorum, vel affinium vſque ad ſecundum gradum iuxta ius Canonicum computandum, non cognoſcantur in Rota. Nec Auditores in eorum domibus ſubſtitutos, vel Doctores, aut alios Iuriſperitos, etiam conſanguineos, qui ſubſtituti, vel Aduocati aut Procuratoris officio fungantur, aut in caſibus rotalibus, vel eorum proceſſibus ſeſe quoquomodo intromittant,

tant, nec Aduocatos, & Procuratores, aut aliquos ex ſuis notariis domeſticos habeant. Item Aduocati, aut Procuratores conſanguinei, vel affines vſque ad ſecundum gradum, alicuius Auditoris, ac etiam illius notarij, in cauſis coram eo pendentibus, nullatenus patrocinari valeant. Nec Auditores compellant, aut aliquomodo inducant partes, per ſe, vel per alios, vt aſſumant certum Aduocatum, vel Procuratorem, ſed electio huiuſmodi omnino ipſarum partium arbitrio relinquatur. Item Decanus, & alij Auditores, præſertim antiquiores, attendant, ne aliquid non ſolum contra ius, ſed nec etiam contra ſtylum, & deciſiones antiquas factas in Rota, quæ impreſſæ habentur, quoquomodo decidatur, etiam prætextu æquitatis in iure non ſcriptæ, niſi maxima cum ratione, & diſcuſſione, omnibus votis, ſeu ſaltem illorum duabus, tertiis partibus, aliter faciendum eſſe iudicauerint. Deinceps etiam in cauſis pendentibus non attendantur aliquæ nullitates, præterquam ex defectu iuriſdictionis, citationis, vel mandati, niſi cauſa nullitatis ſpecialiter ante datam præſentium commiſſa, reperiretur. Et à liquidatione fructuum, & expenſarum taxatione, ſemel tantum appellare liceat, ita quòd duæ conformes rem iudicatam faciant. Auditores verò cauſas ſibi commiſſas, pro ſola partium importunitate ad Cancellariam remittere non poſſint, ſed tantum habita licentia à ſummo Pontifice, vel ex iuſtis cauſis deductis in Rota, & ab ea probatis. Et ſi Auditor cognouerit in actis adeſſe ſuſpitionem criminis, remittat acta huiuſmodi, vel illorum exemplum, prout res exegerit ad iudicem ordinarium. Et ſi cauſa criminalis præiudicialis fuerit cauſæ ciuili, in eius cognitione ſuperſedeat. Et quandocunque iudex ipſe ordinarius, in cauſis criminalibus coram eo pendentibus, indiguerit diſpoſitionibus teſtium, vel aliquibus ſcripturis ad cauſas criminales facientibus, teneatur Auditor illas, vel

earum

carum exemplum, vt præfertur, exhiberi facere. Vt autem debitus modus ſportulis imponatur, non poſſint Auditores à partibus per ſe, vel alium quouis modo ſportularum nomine aliquid petere, vel exigere, ſed nec ſponte dantibus vltra taxam infraſcriptam accipere: videlicet. In cauſis pecuniariis ſeu prophanis, aut quæ alias pretio nummario quoquomodo æſtimari poſſint, ſi eſtimatio rei, de qua agetur, non excedat ſummam mille ducatorum, vſque ad aureos decem; à mille vero vſque ad decem millia, viginti quinque, à decem millibus vſque ad viginti millia quinquaginta: Abinde ſupra vſque ad quamcunque ſummam, centum. In beneficialibus verò, ſi reditus annuus, de quo agetur, non excedat ſummam centum ducatorum, ſimiliter decem: à centum vero vſque ad mille, viginti quinque: à mille vſque ad tria millia, quinquaginta: abinde verò ſuprà, centum aureos pro ſportulis cuiuſcunque ſententiæ diffinitiuæ, duntaxat, vt præfertur, accipere valeant. Si verò cauſa æſtimationem non facile recipiat, ſportulæ moderatæ pro rerum, & perſonarum qualitate, iuxta taxas prædictas recipi poſſint. Nec aliquid vltra non ſolum ipſis Auditoribus, ſed nec eorum familiaribus, vel conſanguineis, aut aliis quibuſuis perſonis, directe, vel indirecte, quouis quæſito colore, vel ingenio, exceptis eſculentis, & poculentis, quæ triduo conſumi poſſint, ipſarum ſententiarum, aut Auditorum intuitu præſtari poſſint. Quas quidem ſportulas iuxta taxam prædictam, apud notarium cauſæ poſt ſubſcriptam ſententiam, & notario traditam, & non antea, deponi, & Auditori conſignari volumus. Quodque notarius depoſitionem, & conſignationem huiuſmodi in actis notare, & ſpecificare teneatur: Officia verò notariorum Rotæ non conferantur niſi perſonis peritis, & idoneis, quæ per ſe ipſos illa exercereſciant, & exerceant, niſi aliqua legitima cauſa impediantur. Nec eo caſu officia aliquibus arrendare, aut ſubſtitutos deputare valeant, niſi à proprio Auditore approbati fuerint, qui inſuper de officio

ficio fideliter exercẽdo arbitrio Auditoris cauere debeãt. Et pro ipſorũ ſubſtitutorũ facto notarij ipſi, quo ad intereſſe partium, tanquam principaliter obligati omnino teneantur. Diſtrictius præcipientes modernis, & pro tempore exiſtentibus Auditoribus, & eorum Decano in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, & excommunicationis latæ ſentiæ, aliiſque noſtro, & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. arbitrio infligendis pœnis, vt præſentem conſtitutionem noſtram ſingulis annis in prima audientia vna cum aliis conſtitutionibus antiquis legi, & publicari faciant, & illã, ac omnia, & ſingula in ea contenta, diligenter obſeruent, & ab eorum notariis, & aliis, quatenus ad eos pertinet, obſeruari curent cum effectu. Decernentes nihilominus irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, ab ipſis, vel quibuſuis aliis, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſorum Auditorum collegij, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & facultatibus, eiſdem Auditoribus, & Collegio, etiam motu proprio, & conſiſtorialiter, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, in genere vel in ſpecie, per quoſcunque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, aut etiam nos conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas, generales idem importantes, mentio habenda, ſeu quæuis alia exquiſita forma ſeruanda foret, tenores huiuſmodi pro ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcunque. Aut ſi præfatis Auditoribus, vel quibuſuis aliis, communiter, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſit, per literas Apoſtolicas non facientes ple-

nam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, nullusque illarum ignorantiam prætendere valeat, volumus, & mandamus illas in eiusdem audientiæ Palatij nostri, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, & acie Campi Floræ, per aliquos ex Cursoribus nostris affigi, & per aliquod temporis spatium, relicta ibidem earum copia, affixas detineri, & exinde omnes, & singulos, quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere, ac si eis personaliter intimatæ forent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, præcepti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romę apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1562. Sexto Kalendas Ianuarij. Pontificatus nostri anno tertio.

Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

†Ego R. Card. de Carpo Epis. Ostien.
†Ego F. Cardinal. Pisanus Episcop. Portuen.
†Ego Fed. Card. Cæs. Epis. Tusculu.
†Ego R. Cardi. Sancti Ang. Maior Pæni.
†Ego Ti. Cardinalis Crispus.
†Fulvius Cardinalis Per.
†Ego Ioan. Mi. Cardinalis Saracc.
†Ego Io. Cardinalis Sancti Vitalis.
†Ego Io. B. Cicada Cardinalis S. Clement.
†Ego E. Card. Tranen.
†Ego Scipio Cardinalis Pisarum.
†Ego Clem. Cardinalis Aræcæli.

†Ego

†Ego F. M. G. Cardinalis Alexand.
†Io. Ant. Cardinalis Capisuccus.
†Ego Io. Ant. Cardinalis Sancti Georgij.
†Ego Bernardus Cardinalis Saluiatus.
†Ego Ioan. Cardinal. Moronus Episcop. Præn.
†Ego Otho Card. August. Episcop. Alban.
†Ego Phi. Cardin. Aburd.
†Ego Io. Cardinalis Reumanus.
†Ego M. Ant. Cardinalis Amulius.
†Ego Aloysius Cardinalis Corne.
†Ego B. Cardinalis Nauagerius.
†Ego Io. Franciscus Cardinalis de Gambara.
†Ego A. Cardinalis Farnesius Vicecancel.
†Ego G. As. Cardinalis Cam.
†Ego Iul. Cardin. Vrbinus.
†Ego Hier. Cardinalis Simoncellus.
†Ego Vitellotius Cardinalis Vitellius.
†Ego Carolus Cardinalis Borromeus.
†Ego Franciscus Cardinalis Gonzaga.
†Ego Ind. de Aualos Cardinalis Aragon.

Cæ. Glorierius.
F. Delyon.

Anno à Natiuitate Domini 1563. indictione vj. die vero xxiij. mensis Ianuarij, Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IIII. Anno quarto, retroscriptæ literæ Apostolicæ præsentatæ, intimatæ, & notificatæ fuerunt Reuerendiss. Patribus Do. Ioan. Baptistæ de Rubeis Decano, Paulo Æmylio Verallo Episcopo Caputaque. Iulio Oradino Episcopo Perusino, Gaspari Groperio, Francisco Sarmiento, Pomponio Cottæ, Iacobo Grato, & Christophoro Roboster Sacri Palatij Apostolici causarũ Auditoribus, & locatenen. respectiue eos requiren. vt eisdem literis in omnibus, & per omnia parerent, & obedirent, copiam earundem literarum eis dimittendo, Romæ in Palatio Apostolico, & in Circulo secreto Rotæ personaliter inuentis, habitis, & apprehensis. Deinde retroscriptæ præfatæ literæ,

lectæ, affixæ & publicatæ fuerunt in locis eisdem literis designatis, iuxta earum literarum seriem, & tenorem per nos Bernardinum Andreutium, & Iulium Parinum Apostolicos Cursores.

Petrus Valtrini Magist. Curs.

Bulla S.D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IIII. Super confirmatione œcumenici generalis Concilij Tridentini.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

BEnedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui respicere dignatus ecclesiam suam sanctam, tot procellis, & tempestatibus agitatam atque vexatam, & grauius in dies laborantem apto tandem ei subuenit, optatoque remedio. Ad plurimas & perniciosissimas hæreses extirpandas, ad corrigendos mores, & restituendam ecclesiasticam disciplinam, ad pacem, & concordiam Christiani populi procurandam indictum iam pridem in Ciuitatem Tridentinam œcumenicum, & generale Concilium à piæ memoriæ Paulo III. prædecessore nostro, & sessionibus aliquot habitis cæptum fuerat. Ab eius autem successore Iulio in eandem vrbem reuocatum, post alias sessiones celebratas variis impedimentis, & difficultatibus obiectis, nec tum quidem peragi potuerat. Itaque diutius intermissum fuerat, non sine maximo merore piorum omnium, cum quotidie magis ecclesia eiusmodi remedium imploraret. Nos autem post susceptum Sedis Apostolicæ regimen, tam necessarium, ac salutare opus, sicut Pastoralis solicitudo monebat, diuinæ misericordiæ fiducia perficere agressi, adiuti pio studio carissimi in Christo filij nostri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, & aliorum Christianorum Regum, Rerumpublicarũ, ac principũ, tandẽ consecuti sumus: quod nec diurnis, nec nocturnis curis elaborare destitimus, quodque à patre luminum assidue precati sumus. Cũ enim eam in vrbẽ vndiq; ex Christiani nominis nationib⁹ multitudo conuenisset, nostris conuocatis literis, & sua etiam ipsorũ pietate excitata Episcoporum, & aliorum insignium Prælatorum maxima, & œcumenico Concilio digna frequentia, præter plurimos alios pios, & sacrarum literarum scientia, diuinique, & humani Iuris cognitione præstantes viros præsidentibus ipsi Synodo Sedis Apostolicæ Legatis, nobis adeo Concilij liberati fauentibus, vt etiam de rebus Sedi Apostolicæ proprie reseruatis liberum ipsi Concilio arbitrium per literas ad Legatos nostros scriptas vltro permiserimus, quæ de sacramẽtis, & aliis rebus, quęquidem necessariæ visæ sunt, tractanda, diffinienda, & statuenda restabant ad confutandas hæreses, ad tollendos abusus, & emendandos mores, à sacro sancta Synodo summa libertate, diligentiaque tractata, & accurate, ac mature admodum diffinita, explicata, statuta sunt. Quibus rebus perfectis, Concilium tanta omnium, qui illic, interfuerunt, concordia peractum fuit, vt concensum eum plane à domino effectum fuisse constiterit, idque in nostris, atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam singulari dei munere supplicationes statim in Alma hac Vrbe indiximus, quæ magna Cleri, & populi pietate celebratæ fuerunt, laudesque, & gratias diuinę maiestati merito persoluẽdas curauimus, cum eiusmodi Concilij exitus, spem magnam, & prope certam attulerit fore, vt maiores in dies fructus, ad Ecclesiam ac ipsius decretis, constitutionibusque perueniãt. Cum autẽ ipsa sancta synodus pro sua erga Sedẽ Apostolicã reuerentia antiquorũ eriã Cõciliorũ vestigiis inhęrens, decretorũ suorũ omniumq; nostro, & prædecessorũ nostrorum tẽpore facta sunt, confirmationem à nobis petierit, decreto de ea re in publica

sessione facto, nos ex Legatorum literis prius, deinde post reditum eorum ex iis, quæ Synodi nomine diligenter retulerunt postulatione ipsius Synodi cognita, habita super hac re, cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, Sanctique Spiritus in primis auxilio inuocato, cum ea decreta omnia Catholica, & populo Christiano vtilia, ac salutaria esse cognouissemus, ad Dei omnipotentis laudem de eorundem fratrum nostrorum Consilio, & assensu in Consistorio nostro secreto illa omnia, & singula auctoritate Apostolica hodie confirmauimus, & ab omnibus Christifidelibus suscipienda, ac seruanda esse decreuimus, sicut harum quoque literarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & suscipi, obseruarique, decernimus. Mandamus autem in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à sacris Canonibus constitutis, aliisque grauioribus, etiam priuationis arbitrio nostro infligendis, vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibusuis Ecclesiarum Prælatis cuiuscunque status, gradus, ordinis, & dignitatis sint, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, vt eadem decreta, & statuta in Ecclesiis suis, Ciuitatibus, & Diœcesibus, in iudicio, & extra iudicium diligenter obseruent, & à subditis quisque suis ad quos quomodolibet pertinent, inuiolabiliter faciant obseruari, contradictores quoslibet, & contumaces per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, etiam in ipsis decretis contentas, appellatione postposita, compescendo: inuocato etiam, si opus fuerit Brachij sæcularis auxilio. Ipsum vero carissimum filium nostrum Imperatorem electum, cæterosque Reges, Respublicas, ac Principes Christianos monemus, & per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi obtestamur, vt qua pietate, concilio per Oratores suos affuerunt, eadem pietate, ac pari studio diuini honoris, & populorum suorum salutis causa, pro sedis quoque Apostolicæ, & Sacræ Synodi reuerentia ad eiusdem concilij exequen

exequenda, & obseruanda, decreta Prælatis, cum opus fuerit auxilio, & fauore suo adsint, neque aduersantes sanæ, ac salutari concilij doctrinæ opiniones à populis ditionis suæ recipi permittant, sed eas penitus interdicant. Ad vitandum præterea peruersionem, & confusionem, quæ oriri posset, si vnicuique liceret, prout ei liberet, in decreta concilij commentarios, & interpretationes suas edere: Apostolica auctoritate inhibemus omnibus, tam ecclesiasticis personis cuiuscunque sint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis quocunque honore, ac potestate præditis, Prælatis quidem sub interdicti ingressus ecclesiæ, aliis vero quicunque fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine auctoritate nostra audeat vllos commentarios, glossas, annotationes, scholia, vllumue omnino interpretationis genus super ipsius Concilij decretis quocunque modo edere, aut quicquam quocunque nomine, etiam sub prætextu maioris decretorum corroborationis, aut executionis, alioue quæsito colore statuere. Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum, & statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem dominus elegit, ad Sedem videlicet apostolicã omnium fideliũ magistrã, cuius auctoritatẽ, etiam ipsa sancta Synodus, tam reuerenter agnouit. Nos enim difficultates, & controuersias, siquæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas, & decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta Synodus decreuit, reseruamus, parati sicut ea de nobis merito confisa est, omnium prouinciarum necessitatibus, ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, prouidere. Decernentes nihilominus irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Vt hæc autem ad omnium notitiam perueniant, neue quis excusatione ignorationis vti possit: Volumus, & mandamus, vt hæ literæ per aliquos Curiæ nostræ Cursores in Basilica vaticana Principis Apostolorum, & in ecclesia

Lateranen. tunc, cum in eis populus, vt missarum solennibus interſit, congregari ſolet, palam, & clara voce recitentur, & poſtquam recitatæ fuerint, ad valuas earum Eccleſiarum, Itemque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ affiganturibique, vt legi, & omnibus innoteſcere poſſint aliquantiſper relinquantur. Cum autem inde amouebuntur, relictis de more ibidem exemplis in Alma vrbe ad impreſſionem tradantur, quo commodius per Chriſtiani nominis Prouincias, & Regna diuulgari poſſint. Tranſumptis quoque earum, quæ manu alicuius publici Notarij ſcripta, ſubſcriptaue, & ſigillo, ac ſubſcriptione alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, fidem ſine vlla dubitatione haberi, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, monitionis, inhibitionis, reſeruationis, voluntatis, mandatorũ, & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1563. Septimo Kal. Februarij, Pont. noſtri anno quinto.

Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

†Ego F. Car. Piſan. Epiſ. Oſtien. De.
†Ego Fed. Car. Cæſius Epiſ. Portuen.
†Ego Io. Car. Moronus Epiſ. Tuſcul.
†Ego A. Car. Farneſ. Vicec. Epiſ. Sab.
†Ego R. Car. S. Angeli Maior Pœnit.
†Ego Io. Card. S. Vitalis.
†Ego Io. Mich. Card. Sarrac.
†Ego Io. B. Cicada Car. S. Cle. ſſ.

†Ego

†Ego Scipio Card. Piſarum.
†Ego Io. Card. Reomanus.
†Ego I. M. G. Card. Alexand.
†Ego Clemens Car. Aræcæl.
†Ego Iu. Card. Sabelli.
†Ego B. Car. Saluiatus.
†Ego Ph. Card. Aburd.
†Ego Lud. Card. de Sermoneta.
†Ego F. Card. Paieccus, y de to.
†Ego M. A. Car. Amulius.
†Ego Io. Franciſcus Car. de Gambara.
†Ego Carolus Car. Borromeus.
†Ego M. S. Car. Conſt.
†Ego Alph. Cardina. Geſualdus.
†Ego Hip. Card. Ferrar.
†Ego Franciſ. Card. Gonzaga.
†Ego Gui. Aſc. Diac. Car. Camerar.
†Ego Vitellot. Card. Vitellius.

Ant. Florebellus Lauellinus.
H. Cumyn.

Bulla S. D. N D. Pij diuina prouidentia Papæ IIII. Super forma iuramenti profeſſionis Fidei.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INiunctum Nobis Apoſtolicæ ſeruitutis officium requirit, vt ea, quæ Dominus omnipotens ad prouidam Eccleſiæ ſuæ directionem, ſanctis Patribus in nomine ſuo congregatis diuinitus inſpirare dignatus eſt, ad eius laudem, & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque iuxta Concilij Tridentini diſpoſitionem omnes, quos deinceps Cathedralibus, & ſuperioribus eccleſiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, & aliis quibuſcunque beneficiis eccleſiaſticis curam animarum habentibus, prouideri continget, publicam orthodoxæ fidei pro-

fessionem facere, seque in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondere, & iurare teneantur. Nos volentes, etiam per quoscunque, quibus de Monasteriis, Conuentibus, Domibus, & aliis quibuscunque locis regularium quorumcunque ordinum, etiam Militiarum quocunque nomine, vel titulo prouidebitur, idem seruari, & ad hoc, vt vna eiusdem fidei professio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnicaque & certa illius forma cunctis innotescat, nostræ solicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam præsentibus annotatam publicari, & vbique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilij & alios prædictos spectat, recipi, & obseruari, ac sub pœnis per Concilium ipsum in cõtrauenientes latis, iuxta hanc, & non aliam formam, professionem prædictam soleniter fieri, auctoritate Apostolica, tenore præsentium districte præcipiendo, mandamus, huiusmodi subtenore. Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum. Et ex patre natũ ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni nõ erit finis. Et in Spiritum sanctum dominum, & viuificãtem, qui ex Patre, filioque procedit. Qui cum Patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per

per Prophetas. Et vnam sanctam catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissime admito, & amplector. Item sacram scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & proprie sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari nõ posse. Receptos quoq;, & approbatos Ecclesiæ Catholicę ritus in supradictorũ omnium sacramentorũ soleni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantię panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem catholica ecclesia transsubstantiationẽ appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrũ Christũ, verumq; sacramentum sumi. Constãter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter & sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse, eosque

eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorũ habendas & retinẽdas esse, atque eis debitũ honorem, ac venerationẽ impartiendã. Indulgentiarum etiã potestatẽ à Christo in Ecclesia relictã fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicã & Apostolicã Romanã Ecclesiam omnium Ecclesiarũ matrẽ, & magistram agnosco. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancto Tridentina Synodo tradita, diffinita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adiuuãte, retinere, & confiteri. atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, vouco, ac iuro: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Volumus autem, quòd præsentes literæ in Cancellaria nostra Apostolica de more legantur. Et vt omnibus facilius pateant, in eius Quinterno describantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & mandati infringere, vel eiausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicę 1564. Idibus Nouembris, Pontificatus nostri anno

anno quinto.

Fæd. Cardinalis Cęsius.

Cæ. Glorierius.

Lectæ, & publicatæ fuerũt suprascriptæ Literæ Romę in Cancellaria Apostolica, Anno incarnationis Dominicæ M. D. Lxiiij. Die verò Sabbati nona mensis Decembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Paris, & D.N.D. Pij Papæ Quarti, Anno Quinto.

A. Lomellinus Custos.

S.D.

S. D. N. D. GREGORII PAP. XIII. REDVctio Literarum, & Constitutionum fel. rec. Pij Papæ V. pro Mendicantibus, & aliis regularibus contra locorum Ordinarios, ad terminos iuris communis, & decretorum Concilij Tridentini.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN tanta rerum, & negotiorũ mole, quã Romanus Pontifex ex omnibus mundi partibus assidue premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis, necesse est moderationis remedium adhibere. Cum itaque alias fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor noster auditis grauaminibus, quæ Fratribus Ordinum Mendicantium ab Ordinariis locorum, & parochialium ecclesiarum Rectoribus multis modis inferri dicebantur super sacris concionibus, & lectionibus habendis, confessionibus audiendis, pœnitentiis iniungendis, fratribus ad ordines promouendis, celebratione Missarum, cura animarum, sacramentorum ministratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus eleemosynis, collectionibus, aliisque huiusmodi iuribus, necnon decimis, & diuersis oneribus, ac etiam super statu, & regimine sanctimonialium ipsis fratribus subiectarum, formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, præcedentia, locorum acquisitione cæterisque aliis rebus tunc expressis, multa per quasdam suas literas pro dictis fratribus non modo statuerit, sed & quæ iam in Concilio Tridentino decreta fuerant, ad hæc pertinentia declarauerit, multaque præterea priuilegia eisdem xvij. Kal. Iunij, Pontificatus sui anno secundo: Et deinde ea omnia diuersis aliis ordinibus, & congregationibus regularium non Mendicantium, etiam per modum communicationis concesserit, postea per quandam suam constitutionem de vicariis perpetuis in parochialibus ecclesiis vnitis per ordinarios locorum instituendis, & portione illarum vicariis assignanda editam, alia super constitutione fratrum eorundem ad exercitium curæ animarum in eis parochialibus ecclesiis, quę domibus, & locis suis vnita sunt, decreuerit, demum animaduerso, quòd ea omnia multis dubitationibus inuoluta, magnisque difficultatibus obstricta multas, magnasque dissensiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & fratrum ipsorum ordines, non sine graui diuini cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitauerant, contra ac ipse sperabat, & præter suam expectationem, vt qui interdum conquereretur multa aliter, alioque sensu à se prolata fuisse, quã literis expressa essent, Cupiens his mederi incommodis primum illa omnia, quæ regularibus aliorum ordinum, quam Mendicantium communicauerat, & secundum præmissa concesserat, motu proprio restrinxerit. Deinde plenius prouidere volens prioribus literis à se quoad ipsos Mendicantes magna in parte moderatis, omnes, & quascunque alias literas, quæ de aliis ordinibus, & congregationibus extra mendicantium ordines de obseruantia nuncupatos emanauerant, omnino aboleuerit, causas omnes iam de his etiam in Romana Curia pendentes ad se aduo-

ca

cando, lites extinguendo, ac formatos super illis processus, latasque sententias annullando, quemadmodum aliis suis literis in registro proxime compertis, nunquam tamen publicatis, plenius continetur. Postremò circa confessariorum regularium etiam Mendicantium approbationem iuxta Concilij prædicti decretum faciendam, etiam lectores in Theologia graduatos, & certos alios tunc expressos comprehendi debere declarauerit: Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici literarum, & constitutionum editione procedit, præsentibus, & futuris discriminibus occurrere volentes, De nobis attributæ potestatis plenitudine statuim⁹, & ordinam⁹ de prædictis, & aliis omnibus literis, & constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore eisdem de rebus pro quorumcunque regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarũt, ac omnibus, & quibuscunque in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris dicti Concilij decretis, siue aliàs legitime ante dictarum literarum, & constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent, futura fuisset, ad quã dispositionem, & decisionem, suumque pristinum, & integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus. Quinetiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, necnon prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcunque alia ipsis literis, & constitutionibus apposita, & aliàs eorum occasione, vel causa facta, his nostris statuto, ordinationi, & reductioni aduersantia, quibuscunque illa sint concepta formulis, ac præseruationibus, declarationibus, modificationibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortissimis, efficacissimis, & inuiolabilibus clausulis, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, & ex certa scientia, etiam pro conseruatione status regularis, & ex quibuscunque aliis vrgentissimis causis quotiescunque roborata.

Decer

Decernentes illa omnia, pro nullis, & infectis haberi, omnesque supradictos illarum vsu, commodo, & effectu carere. Ac omnes lites, & controuersias, quæ coram quibusuis iudicibus siue ordinariis, siue commissariis, etiam causarum Palatij Apostolici auditoribus, & S.R.E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, prædictarum literarum, & constitutionum occasione super præmissis iam motę sunt, nec dum decisæ, aut finitæ, vel etiam quæ iã decisæ sunt, si modo tractum habeant successiuum, easque rursus, & inter quoscunque excitari in posterum contingat, secundum prædictam dispositionem, nec aliter decidendas, futura vero dubia, & difficultates quandocunque, & vbicunque orientur, ad nos, & sedem apostolicam, vbi & cætera, quæ ad decreta dicti Concilij pertinent, quo tidie declarentur, omnino referenda esse: Necnon irritum, & inane quicquid secus super his per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandamus itaque in virtute sanctæ obedientiæ præsentes ab omnibus vbique Episcopis, & locorum Ordinariis, necnon ecclesiarum Prælatis, Rectoribus, fratribusque prædictis, ac cæteris, ad quos pertinet, semper inuiolata obseruari. Non obstantibus præmissis, ac constitution. & ordination. apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conuentuum, domorum, locorum, & ordinum quorumcunque iuramento, confirmatiõe apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cõsuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis, dictis ecclesiis ordinibus, & congregationibus quomodolibet concessis, & confirmatis: Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, expressa, indiuidua, & ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererẽtur præsentibus, pro sufficientes expressis habentes, illis alias

in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes omnibus plenius innotescant, volumus earum exempla fieri, & etiam imprimi, illisque Notarij publici manu, & curiæ ecclesiasticæ, vel prælati, au personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ Sigillo obsignatis, eandem illam prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, reductionis, ablationis, abrogationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1572. Kal. Martij Pont. nostri anno. 1.

M. Datarius.
Cæ. Glorierius.
A. de Alexiis.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Sanctiss. D.N.D. Gregorij Papæ xiij. Constitutio Ne Agni Dei benedicti minio inficiantur, nec venales proponantur.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

OMni certe studio, & opera à nobis procurandum est, vt ea tollantur, quæ non conueniunt, ac nostrum, & aliorum bonorum, piorumque Christifidelium animos offendunt. Itaque prouide considerantes certas formas innocentissimi Agni imagine figuratas, & per Rom. Ponti. statutis temporibus consecrari solitas, sicut Agni puri, & mundi à summo Pontifi

Pontifice benedicuntur, ita ab omnibus postmodum immaculatas, non autem auro, & coloribus vllis depictas, sed in sua albedinis munditie sanctificatas congruenti cum reuerentia teneri, & conseruari debere: Statuimus & ordinamus, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda prohibemus, & interdicimus, ne quispiam siue vir, siue mulier, sæcularis, aut ecclesiastici etiam regularis ordinis ille sit, & quocunque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate, & honore præcellat, posthac in perpetuum Agnos Dei per Rom. Pont. pro tempore existentem benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem illis imponere, aut quicquam aliud superinducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, seu tenere quouis prætextu, qualibetue de causa audeat: verum eos albos, & mundos Agnum illum purum, & innocentem repræsentantes, qui occisus preciosissimo sanguine suo nos redemit, decenter, ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & custodiri præcipimus: & ita ab omnibus fieri, & censeri debere decernimus. Mandantes omnibus, & singulis locorum ordinariis per vniuersum Christianum orbem constitutis, eorumque Vicariis in spiritualibus generalibus, vt presentem nostrã constitutionem, & prohibitionem in suis quisque ciuitatibus, & diœc. statim publicare procurent, ita vt ad omnium notitiam quamprimum peruenire possit. Quicunque vero inobedientes fuerint, præter excommunicationis pœnam, quam, vt præfertur incurrent, etiam aliis pœnis ipsorũ ordinariorũ, seu Vicariorum arbitrio plecti, & mulctari volum⁹, & iubem⁹. Non obstãtibus constitutionibus & ordinationib⁹ Apostolicis ceteriscq; contrariis quibuscunq;. Volumus etiã quòd præsentium literarum exemplis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius prælati ecclesiastici obsignatis plena, eademque prorsus fides vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent, exhibitæ, vel ostensæ. Datum

Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Octauo Kalendas Iunij, Pontificatus noſtri anno primo.

Cæ. Glorierius.
M. Datarius.
H. Cumyn.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini 1572. Indictione XV. Die vero xj. menſis Iunij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno primo, Retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ ac in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octauianis, & Anthonium Clericj Curſores.

Camillus Cherubinus Magiſter Curſorum.

Sanctiſſ. D.N.D. Gregorij PP. XIII. Conſtitutio, De eleemoſynis Monialibus præſtandis.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DEo ſacris virginibus, quæ, contemptis illecebris ſeculi, diuinis ſe obſequiis manciparunt, æquiſſimum eſt præcipua quadam à nobis, ac ſingulari ſollicitudine prouideri, tum vt ab eis omnia quæ ſanctum ipſarum propoſitum impedire poſſent, remouentur, tum etiam vt eis in cultu Dei caſte, ac religioſe permanentibus, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ſubminiſtrentur. Et quidem poſt ſacri Concilij Tridentini decretum, quo conſtitutio fel. rec. Bonifacij Papæ viij. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo, renouatus, prohibens ne aut ipſis Monialibus ex Monaſteris ſuis egredi, aut vlli cuiuſcunque ſexus, aut ordinis perſonæ ad eas ingredi liceat, Et præterea vniuerſis

vniuerſis Epiſcopis præcipitur, vt in omnibus Monaſteriis ſibi ſubiectis, in aliis vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram ſanctimonialium, vbi violata diligenter reſtitui, vbi vero inuiolata, conſeruari maxime procurent. Piæ memoriæ Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter victui quoque, & neceſſitatibus ipſarum proſpicere cupiens, cum ſuperiora illa approbaſſet, atque innouaſſet, eademque omnia etiam in Monialibus quarumcunque Militiarum etiam Hieroſolymitanæ omnibuſque aliis tacite, vel expreſſe religionem profeſſis, quocunque nomine cenſerentur, locum habere decreuiſſet, ne illæ quicquam detrimenti in neceſſitatibus ſuis hac occaſione paterentur, etiam præcepit locorum ordinariis, & ſuperioribus earum, vt fidelium eleemoſynas per conuerſas non profeſſas, vel profeſſas quidem, ſed ætatis ſaltem quadraginta annorum, & iampridem cõuerſas, quę in domibus, contiguis extra tamen Monaſterium degerent, colligendas curarent, ita tamen vt prædictæ Conuerſæ neque clauſuram aliarum Monialium, niſi in caſibus permiſſis ingrederẽtur, nec ex illis ipſis habitationibus ſuis ad tales eleemoſynas colligendas ſine permiſſu ordinariorum, aut ſuperiorum ſuorum exire poſſent. Quod ſine hoc quidem ſufficere videretur, idem Pius prædeceſſor mandauit ipſis ordinariis, & ſuperioribus, vt negotium darent aliquibus perſonis piis tales eleemoſynas colligendi, aliaque arbitratu ſuo proſpicerent, quæ ad ſubleuandam Monialium inopiã expedire iudicarent. Cum autem, ſicut accepimus, multæ Moniales, etiam quæ Tertiariæ vocantur, ſub ſolenni religionis voto, perpetuaque clauſura degentes, aliæque talibus literis comprehenſæ, & in ipſa clauſura permanentes, multis præterea ad ſe ſuſtentandas neceſſariis egeant, neque vſque ad hoc tempus vllo ſufficienti remedio earum neceſſitatibus ſubuentum ſit. Quin etiam aliæ Tertiarię citra vllum ſolenne huc uſque votũ viuant, quę ad ſuas ſuorũue domos neuti-

quam redituræ essent, sed sub solenni religionis voto, & clausura prædictis permanerent, si earum congruæ sustentationi prouideretur: Nos, qui illas necessariis rebus destitui nolumus, certioresque facti fumus in multis ciuitatibus, oppidis, villis, aut aliis locis tam in Ecclesiis, & Monasteriis, quam Hospitalibus, Collegiis, Confraternitatibus, & aliis locis piis, etiam quæ à priuatis hominibus, tum Ecclesiasticis, tum Laicis multas, ac diuersas eleemosynas Christi pauperibus erogari, Considerantes in eiusmodi personas vel in primis exercendam esse charitatem, quæ, voluntaria paupertate suscepta, ab omni hominum commercio segregatæ Deo seruiunt, & assiduis precibus, irã ipsius ob peccata conceptam à Christiano populo deprecantur, Illud quoque cogitantes, si eis ad tales eleemosynas petendas ad loca prædicta conferre se liceret, vix fore, vt prædicta Monasteria, Ecclesiæ, loca, ac personæ eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis aliis pauperibus eodem concurrentibus solent, vniuerso illi Deo deuotarum mulierum generi de opportunæ, ac sufficiẽtis subuentionis auxilio prouidere cupientes, De nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, vt omnes, & quicunq; Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, necnon Abbates, Priores, Præpositi, & alij Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, & alias Ecclesias, necnon Monasteria, Prioratus, Præposituras, Canonicatus, Præbendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & sancti Benedicti, sancti Augustini, Cistercien. Cluniacen. Præmonstraten. Cartusien. Camaldulen. sancti Basilij, Cassinen. alias sanctæ Iustinæ, Montis Oliueti, sancti Saluatoris, ac Lateranen. & Cuciferorum, seu Fratrum sancti Hieronymi, necnon Prædicatorum, Minorũ, Minimorum & Carmelitarum, Eremitarum eiusdem sancti Augustini, Seruorum beatæ Mariæ, sanctæ Claræ, & quorumcunque aliorum

aliorum tam virorum, quam mulierum etiam Mendicantium ordinum, & Congregationum, & Militiarum regularia, etiam de iure patronatus laicorum, etiam nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum existentia in titulum, commendam, administrationem, & alias quomodocunque obtinentes, necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Administratores, cæterique omnes, qui ratione illorum, necnon Capitulorum, Conuentuum, Mensarum, Hospitalium etiam Laicorum, & per Laicos administrari solitorum, Christifidelium Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocunque nomine nuncupatorum, & in quibusuis mundi partibus consistentium, quæ singulis annis, mensibus, hebdomadis, vel diebus ex Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Officiorum, Dignitatum, & Beneficiorum, ac Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, piorum, & aliorum locorum prædictorum fructibus, reditibus, & prouentibus pauperibus Christi aliquas eleemosynas in pane, frumento, farina, vino, eduliis, pecunia, seu aliis ad victum, vel vestitum pertinentibus, etiam ad supplicationem, & preces, & per cedulas, & bolettina, aut alias distribuere, & elargiri ab immemorabili tempore consueuerunt, aut alio quocunque iure tenentur, ex dictis fructibus, reditibus, & prouentibus, & quoad Hospitalia prædicta ex iis, quæ seruata in illis actuali Hospitalitate supersunt, seu supererint, necnon quæcunque personæ particulares etiam laicæ, vel vniuersitates etiam laicorum, quæ testamento, vltima voluntate, vel alia dispositione, etiam inter viuos aliquas tales eleemosynas facere tenentur, dimidiam partem omnium, & quarumcunque eleemosynarum, & largitiorum huiusmodi quocunque nomine nuncupatarum, quocunque tempore, & modo distribui solitarum, etiam si speciali nota dignæ, & secundum pias defunctorum, aut aliorum voluntates sub certa forma ab eis in testamento, vel alia quacunque dispositione

distribuendæ sint, dummodo non in certas personas, nec ad certos vsus pios alios, quam victus, & alimenta pauperum distribuantur, quibuslibet prædictarum Monialium, etiam Tertiariarum sub solenni religionis voto, & perpetua clausura de cætero viuentibus, & in terris, & locis, quorum pauperibus huiusmodi eleemosynæ distribuuntur, consistentibus, vere, realiter, & cum effectu, & absque vlla eleemosynarum, & largitionum huiusmodi petitione, exactione, & conquisitione, aut alia desuper à nobis expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione, ac quibusuis mora, subterfugio, ac exceptione cessantibus, & eiectis, dare, atque distribuere omnino teneantur, & quam dimidiam partem nos illis applicamus. Vt autem præmissa omnia cum charitate, & pietate procedant, & efficaciter suum effectum sortiantur, vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum ordinariis per Apostolica scripta mandamus, vt quisque per se, vel alium seu alios ad præsentium executionem in suis Ciuitatibus, & Diœcesibus procedens, ab Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Confraternitatibus, Scholis, Collegiis, locis & Ecclesiasticis, ac laicis personis prædictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium eleemosynarum huiusmodi exigant, ac proportione, vt ordinariis ipsis locorum æquum esse videbitur, singulis pauperum Monialium etiam Tertiariarum Monasteriis huiusmodi suarum Ciuitatum, & Diœcesum, etiam si aliis superioribus subiectæ sint, cum effectu distribuant. Nos enim eisdem locorum ordinariis etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis, ac cuilibet illorum tam per se, quam alium, vel alios præmissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet, & rebelles per pœnas pecuniarias eorundem Ordinariorum, & cuiuslibet illorum arbitrio infligendas, & applicandas, ac in subsidium sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia quacunque appellatione postposita,

posita, respectiue compescendi, auxiliumque brachij sæcularis inuocandi, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Insuper, quia valde rationi consonum est, vt etiam ij, qui ipsis Monialibus etiam Tertiariis indigentibus præfatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in præmissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis, & debitum charitatis, & honestatis id expostulet, singulis locorum Ordinariis committimus, vt omni eos officio, & diligentia monere, eisque persuadere studeant, parentes vero, & fratres, ac alios, ad quos illas, si in seculo permansissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona, & successiones deuenerunt, & qui, si eas nuptui tradidissent, multo amplius, quàm ingredientibus Monasterium dedissent, vel qui si eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscunque viis ipsi beneuisis inducant, vt Monialibus etiam Tertiariis prædictis iuxta eorum facultates charitatiue subueniant, sciturij id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum. Cæterum quod attinet ad conuersas professas, quas prædictus Pius prædecessor per prædictas literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum ordinariis iniungimus, vt quibus monasteriis prædictarum Monialium, quotidianis laboribus computatis, supradicta, vel alia qualibet ratione de sufficienti subuentione, & sustentatione prouisum esse cognouerint, easdem Conuersas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, neque à suis monasteriis amplius exire permittant: Conuersas vero non professas, & profiteri nolentes dimisso habitu domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras in monasteria

huiusmodi recipi permittatur. Quod autem idem Pius prædecessor statuit de cætero nullas alias Conuersas professas recipi amplius etiam de consensu suorum superiorum posse, ita esse intelligendum declaramus, præter illas Conuersas, quæ extra monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum vero prædictarum contributionem, & applicationem durare, & valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus Monialium etiam Tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum ordinarios etiam in Monasteriis ab eorum cura, & regimine quomodocunque exemptis, cum illarum superiorum interuentu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu superiorum suorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, vt reliquæ Moniales, & Tertiariæ ex propriis redditibus Monasteriorum ipsorum, vel consuetis eleemosynis se commodè sustentare queant: super quo eorundem ordinariorum conscientia oneramus, ita tamen vt decedentibus singulis ex tribus earundem Monialium partibus, tertia quoque earundem eleemosynarum partis distributio, & sic successiue in totum extinguatur, atque in primum statum sub debitis, aut solitis oneribus reuertantur, & remaneant. Declaramus præterea nullis Monialibus etiam Tertiariis licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit in ipsarum Monialium ecclesiam exteriorem, in quam secularibus ad missas, & diuina officia patere solet accessus, sed omnino muro struendum, neque itidem licere Monialibus etiam Tertiariis egredi à ianua Monasterij, quæ est pro clausura ipsius Monasterij, etiam ad claudendum aliam vlteriorem ianuam, qua patere solet aditus secularibus venientibus vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam ianuam clausuræ, quæ loca, cum sal-

tem pro causis prædictis patere soleant secularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt. Insuper quoscunque Dominos, & Magistratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus, vt ad omnem ipsorum ordinariorum, aut alicuius ipsorum petitionem, vel simplicem requisitionem illis in præmissis assistentes omnem opportunum fauorem, & auxilium præstent, & exhibeant. Ipsis denique Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis præcipimus, & mandamus, vt has præsentes nostras literas (quarum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem vbique fidem in iudicio & extra adhiberi debere volumus, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ) singuli in sua Ciuitate, & Diœcesi publicent, ac publicari, easq; iuxta earum continentiam, & tenorem vna cum prædictis, ac aliis prædicti Pij V. & aliorum prædecessorum nostrorum literis, & constitutionibus, & iussionibus pro integra clausuræ instauratione, custodia, & firmitate editis, inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant. Non obstantibus testatorum, & aliorum voluntatibus, ac fundationibus, & Bonifacij prædicti de vna, & Concilij generalis de duabus, non tamen tribus dictis, ac quibusuis aliis Apostolicis, necnon in prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis ecclesiarum, monasteriorum, & illorum ordinũ Hospitalium, Militiarum, Confraternitatum, Collegiorum, & aliorum piorum locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque indultis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, & literis Apostolicis ecclesiis, monasteriis, & ordinibus, Hospitali

talibus, Confraternitatibus, Collegiis, & piis locis, ac eorum superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & pluries innouatis, etiam si in eis caueatur expresse, quod illis nisi sub certa inibi expressa forma, aut alias derogari non possit: Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis, quibuscunque, aut si supradictis, vel quibusuis aliis ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, applicationis, concessionis, impartitionis, commissionis, iniunctionis, declarationis, decreti, voluntatis, onerationis, hortationis, monitionis, requisitionis, præcepti, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Tertio Kal. Ianuarij. Pont. nostri anno primo.

Cæ. Glorierius. A. de Alexiis.

M. Datarius.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Anno

Anno à Natiuitate Domini 1573. indictione prima, Die vero vigesima prima mensis Ianuarij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ xiij. Anno primo, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Principis apostolorum de Vrbe, sancti Ioannis Lateranensis, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Scipionem de Octauianis, & Alexandrum Astancollum Curs. Apostolicos.

Petrus Sprengerius Magist. Curs.

Sanctiss. D. N. D. Gregorij Papæ xiij. Innouatio Censurarum, & pœnarũ, quas fel. rec. Bonifacius Papa viij. edidit cõtra pacisc entes, seu dantes & accipientes aut promittentes & acceptantes pro expeditionibus gratia, vel iustitiæ, & ipsarum extensio.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

A Ipso Pontificatus nostri principio quam maxime possumus enitimur, atque cõtendimus, vt domus, & curia nostra à sordibus expurgetur. Cui rei salubri consilio incumbens fœl. rec. Bonifacius Papa viij. excommunicauit & anathematizauit omnes Clericos, Religiosos, & Laicos vtriusque sexus, siue familiares Curiæ, siue vndecunque alios, qui aliquod pactum facerẽt, seu quid paruum, vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, siue sub verbis generalibus, & plenè non expressis, siue specialibus, & aperte expressis facta, quicquam darent, aut reciperent pro iustitia, siue pro alio, in causis, vel iudiciis, seu alias per literas apostolicas, & quibuscunque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda: & eam sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantesque & recipientes duxit extendendam. Illos etiam, qui

sibi

sibi intra triduum non renunciarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subiacere. Ac decreuit, vt nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam, absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis articulo constitutus: Sed nec quisquam admitteretur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam recepisset. Iustitiæ verò, siue gratiæ expeditiones sic obtentæ nullius prorsus essent roboris, vel momenti: & scienter illis vtentes simili sententia innodauit: ac reseruans sibi absolutionem eorum cum prædictis ad pœnas similes in omnibus obligauit. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, vt plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi, huiusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes, turpissime nundinentur. Alij alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis pollicitationibusq; ambiant. Quidam etiam se talium operam, atque industriam pretio, & muneribus quæsisse affingant. Quæ cum pessima sint, & Curiæ prædictæ existimationem grauissime offendant, in eos, qui talia agunt animaduertendum fore arbitrati, Constitutionem prædictam cum suis censuris, & pœnis omnibus innouamus, easdéq; omnes extendimus ad audentes quælecunque horum facinorum, quæ adscripsimus, dantesque illis, & aliis supradictis auxilium, consilium, vel fauorem. Quinetiam eos omnes omni beneficio, & officio ecclesiastico, & seculari, siue temporali, siue perpetuo, ipso iure priuamus, ac priuatos esse declaramus: & præterea infamia subiectos perpetuo, ac inhabiles ad illa, & alia esse volumus. A quibus etiã, prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris sint exemplo. Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, complicesque, ac fautores, & socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ,

cæ, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto. Nonis Nouembris, Pontificatus nostri anno tertio.

M. Dararius.

Cæ. Glorierius. A. de Alexiis.

Anno à Natiuitate Domini, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Indictione secunda, Die vero octaua mensis Nouembris, Pontificatus sanctiss. in Christo Patris, & Domini nostri Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ xiij. Anno tertio, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixę, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum sancti Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Alexandrum Astancollum, & Antonium Clerici Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Petrus Aloysius Gayta. M. Curs.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Sanctiss. D. N. D. Gregorij Papæ xiij. Reuocatio omnium licentiarum ingrediendi Monasteria Monialium, & Virorum, & prohibitio ne habentes licentias ab Episcopis, vel Superioribus in casibus necessarijs, Ingrediantur Monasteria Monialium, nisi vrgentibus necessitatibus.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

VBi Gratiæ, & indulta ab hac Sede concessa successu temporis incommodum afferre noscuntur: expedit illa salubri præsidentis consilio submoueri. Proinde sanctimonialium quieti, & tranquillitati consulere, ac omnia, quæ illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio auocant, impedimenta tollere, periculaque, & scandala ab eis remouere cupientes, auctoritate præsentium reuocamus, & abolemus omnes, & quascunque licentias, ac facultates ingre

ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Monialiũ, ac etiam Virorum quorumuis ordinũ, quibusuis etiã Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & aliis, cuiuscunque status & conditionis mulieribus, ac etiam oẽs, & quascunque licentias ingrediendi Monasteria, Domos, & loca ipsarum sanctimonialium, quibuscunque viris etiam eiusdem status, & dignitatis tam à prædecessoribus nostris, quam etiam à nobis, & Sedis Apostolicæ Legatis, aut aliis ex quibusuis quantumcunque vrgentibus causis sub quibuscunque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatoriis, reuocatoriarum restitutoriis, aliisque efficacioribus clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumue Pricipum contemplationem, vel supplicationem concessas, cõfirmatas, ac etiam iteratis vicibus renouatas: Cassamusque & annullamus literas desuper cõfectas, & processus habitos per easdem. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, super qua à nemine nisi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quouis modo ingredi audeant. Abbatissis vero, necnon Abbatibus, Conuentibus, ac aliis Monasteriorum vtriusque sexus superioribus, & personis quocũque nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinẽda, ne in Monasteria, Domos, & loca sua quenquam prætextu huiusmodi licentiarum & facultatum ingredi faciant, vel permittant. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrẽdis prohibemus atque interdicimus omnibus, & quibuscunque personis ecclesiasticis, & sęcularibus, ac etiam ordinum quorumcunque etiam mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab

ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas conceden di in casibus necessariis tantum ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus duntaxat ingredi, neue Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. Non obstantibus præmissis, ac cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, Monasteriorumque & ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis, illis, eorũque Superioribus prædictis, ac aliis quibuscunq; per quoscunque Romanos Pontifices prędecessores nostros, ac nos, & dictam Sedem sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis concessis, cõfirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis: quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac si ad verbum inserererẽtur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alia in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cęteriſq; contrariis quibuscunque. Quoniam autẽ difficile esset præsentes ad omnia loca perferri, volumus earum exẽplis etiam impressis manu notarij publici, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutę munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, cassatiõis, annullationis, inhibitionis, præcepti, prohibitionis, interdicti, derogationis, & volũtatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. Dat. Ro. apud sanctum Petrũ, Anno incarnationis Dominicę, M.D.LXXV. Idibus Iunij, Ponti. nostri anno quarto. M. Datarius.

Cæ. Glorierius. A. De Alexiis.

Registrata adud Cæsarem Secretarium.

Q

Anno à Natiuitate Domini, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Indictione tertia, Die vero vigeſimoquarto menſis Iunij, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno quarto, Retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ publicatæ & affixæ fuerunt in valuis eccleſiæ ſancti Ioannis Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octauianis, & Ioan. Andream Panizzam Apoſtolicos Curſo.

Ioannes Freile Magiſt. Curſ.

Edictum obſeruandum ab aſſumendis ad ſacros ordines.

Iacobus miſeratione diuina tt. Sanctæ Mariæ in Tranſtiberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Sabellus S.D.N.Papæ Vicarius Generalis.

QVod ſæpe alias ex inſtituti noſtri ratione fecimus, preſenti rurſus ſcripto edicimus omnibus, & ſingulis, qui in poſterum ad maiores videlicet ſacros ſubdiaconatus, diaconatus, vel presbyteratus ordines aſſumi, & promoueri voluerint, vt per menſem, antequam generales ordines ſtatutis ad id à iure temporibus habeantur, ad nos accedant, vt de ipſorum natalibus, genere, ætate, moribus, & vita, ſuſceptiſque antea ordinibus, ac titulis ad quos promoti iam ſunt, vel promoueri cupient, cæteriſque ad id pertinentibus iuxta ſacrorum canonum, atque in primis Concilij Tridentini diſpoſitionem, per nos, vel alios diligenter inquiratur, & in ipſos, qui promouendi erunt de iis, quæ opportere viſum fuerit, inſtruere, & admonere valeamus. Qui enim non aderunt in tempore, ad ordines præfatos nullatenus aſſumentur. In quorum omnium, & ſingulorum

lorum fidem &c. Datum Romæ in ædibus noſtris die decimaſeptima Februarij. 1576.

Pyrrus Tarus Vicegerens.
Aſcanius Mazziottus Notarius.

Bulla S. D. N. Gregorij Papæ xiij. ſuper recognitione Indicis, & expurgatione librorum prohibitorum.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

DIlectis filiis Gulielmo ſancti Laurentij, in Paliſperna Sirleto, Gabrieli S. Martini in Mõtibus Paleoto, Michaeli S. Mariæ ſuper Mineruam, Nicolao SS. Ioannis & Pauli, de Pelue, Archangelo S. Cæſarei Theanenſi, Felici S. Hieronymi Illyricorum de Monte alto, & Vincentio S. Nicolai Iuſtiniano, nuncupatis, presbyteris Cardinalibus ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Vt peſtiferarum opinionum diſſeminandarum omnis tollatur occaſio, & conſcientiarum tranquillitati, quantum in nobis eſt, conſulatur, vehementer cupimus Indicem librorum prohibitorum in eam formam primo quoque tempore redigi, vt Chriſtifideles intelligant quos libros tuto legere poſſint, & à quibus abſtinere debeant, neque vllus cuiquam ſuper ea re ſcrupulus, aut dubitatio relinquatur. Cuius rei, quoniam vobis cura ab hac ſancta ſede mandata eſt, vt in ſuſcepto munere maiori cum auctoritate verſari, idque liberius, atque expeditius ad finem, Deo fauente, perducere valeatis, & præterea hoc opus, remotis aliorum expurgationibus, quæ diuerſitatem afferre poſſent, in publicum vniformiter prodeat, omnes, & quaſcunque facultates ad omnia infraſcripta cuiuſcunque ſtatus, ordinis, & conditionis perſonis à prædeceſſoribus noſtris, & prædicta ſede ex quibuſuis cauſis, ac ſub quibuſcunque tenoribus, & formis conceſſas reuocantes, & abolentes, neminique poſthac quocunque modo ſuffragari debe-

re, necnon irritum & inane quicquid secus super his per quoscunque scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernentes, Vobis, quorum fides, prudentia, & experientia satis perspecta est, seu maiori vestrum parti, vt etiã adhibitis spectatę fidei viris sacrę Theologię, & Canonum peritis sęcularibus, & regularibus, quibus solis, & ad hunc duntaxat effectum libros prohibitos tenendi, & legẽdi licentiam tribuere possitis, omnes, & quascunque obscuritates, & difficultates in ipso Indice, & eius regulis exortas, & in posterum emergentes declarare, aperire, & definire, libros hæreticorum, aut suspectorum, aut quoquomodo improbatorum scriptorum expurgare, quos libros prohibẽdos, prohibere, quos permittendos esse censebitis, permittere, in eo Indice non comprehensos, reponere, permissos tollere, venales qui videbuntur vbique locorum etiam prohibere, prohibitos, ac peritorum opera expurgatos, & à vobis probatos, legendos, & tenẽdos permittere, quæ videbuntur addere, mutare, supplere, & emendare, Vtque res ipsa facilius, vtiliusque peragatur, vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, cæterisque locorum Ordinariis, & præterea Doctoribus, Magistris, Bibliopolis, Impressoribus, Librariis, Mercatoribus, Gabellariis, aliisque omnibus cuiuscũque gradus ordinis, aut dignitatis, vt in omnibus quæ ad dicti Indicis explicationem, reformationem, & directionem pertinere videbuntur, vobis prorsus obtemperent, vestramque sine vlla refragatione iussionẽ, & auctoritatẽ sequãtur, sub pœnis & cẽsuris arbitrio vestro imponẽdis, quas præcipere, cęteraq; omnia eodẽ ptinentia, & alias super iis necessaria, & opportuna, prout vobis in domino animarum saluti, & trãquillitati videbitur expedire, facere, & exequi valeatis, plenam, & liberam auctoritatem & facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem harum literarum exemplis, manu Notarij publici, aut Secretarij

rij vestri subscriptis, & sigillo alicuius vestrum munitis eandem prorsus vbique fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, decreti, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei, ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Idibus Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Cæ. Glorierius.
M. Datarius.
A. de Alexiis.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Sanctiss. D. N. D. Gregorij xiij. Constitutio, De observatione literarum fæl. rec. Pij papæ iiij. contra prætensas franchisias Vrbis.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ET ipsa ratio, & vsus docet nihil perniciosius in Ciuitate contingere posse, quam legum, iudiciorum que impedimentum. Quod malum satis opportune prohibere volens fœl. rec. Pius Papa iiii. prædecessor noster, cui post alias hac de re præsertim à piæ memoriæ Iulio PP. iij. promulgatas constitutiones innotuerat, quamplurimos adhuc esse in Vrbe, qui vel ob commissa crimina, vel ob æs alienum contractum, sibi à Ministris, Iustitiæque Executoribus timentes, ad ædes Primatum, etiam S. R. E. Cardinalium, ac Oratorum Principum, vti loca tuta, quas franchisias appellabant, confugerent, eaque ratione impuniti euaderent, & creditores eluderent, aliam edidit Constitutionem, qua etiam sub arbitrariis pœnis sanxit, ne vllus post id tẽpus cuiuscunque dignitatis,

ac præeminentiæ foret, ædes prædictas, aut alia quæcunque loca franchisias appellare auderet: neue Cardinales, Oratores, ac Primates prædicti, etiam si sui, & Romani Pontificis pro tempore existentis nepotes, aut alio consanguinitatis, vel affinitatis vinculo coniuncti essent, eorumque familiares, aut in ipsorum domibus commorantes, in eisdem domibus, seu locis circumuicinis maleficos quosuis etiam indemnatos, aut ære alieno obstrictos (contra quos tamen mandata executiua instantibus creditoribus iam decreta, & relaxata essent) vt è potestate Curiæ secularis sic eximerentur, receptare, vel prætextu franchisiæ securos reddere, aut iustitiæ executores, quo minus libere officio suo contra eosdem fungi possent, quocunque modo impedire auderent: alioquin receptantes huiusmodi, aut securitatem præstantes, seu executores iustitiæ impedientes, vel excitatis clamoribus, Cardinalium, Oratorum, seu Primatum quorumlibet nomen auxilij causa inuocantes, aut quoscunque alios in ipsos iustitiæ ministros concitantes, velut criminis læsæ maiestatis rei dignis pœnis afficerentur: contra quos etiam ad alias pœnas, quibus malefici ipsi puniti fuissent, vel quas promeruissent, necnon ad satisfactionem creditorum, etiam ex officio, & ad Fisci, partiumque instantiam inquiri, procedi, & condemnari debere, voluit, atque decreuit. Sed cum hæc ipsa Pij prædecessoris constitutio propter nimiam corruptelam minimè postea sit cum, quem decuit, effectum consecuta, Nos volentes omnino in alma Vrbe nostra ita iustitiæ debito ab omnibus satisfieri, vt perpetua subditis nostris quies, & salus inde pariatur, & cæteris præbeatur exemplum, Cõstitutionem prædictam exacte ab omnibus & omni tempore præcipimus obseruari: Mandantes Gubernatori, Magistratibus, Iudicibus, & Executoribus dictæ Vrbis, ac cæteris omnibus, ad quos spectat, vt gratia, & fauore postpositis, illã, & contenta in ea quæcunque omnino exequãtur, ac pœnis in ipsa propositis supradictos, & quosuis inobedientes,

dientes, & contrafacientes iuxta illius tenorem afficiant: Et alioqui in prohibendis vsquequaque his incommodis inuigilent, si nostrã, & apostolicæ Sedis vltionẽ voluerint euitare. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam nostrorum præcepti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ, apud sanctum Marcum, anno incarnationis Dominicæ 1573. Non. Septembris, Pont. nostri anno secundo.

Cæ. Glorierius.
A. De Alexiis.

Anno à Natiuitate Domini 1573. indictione prima, Die vero vigesima quarta mensis Septẽbris, Pontific. Sanct. D. N. D. Gregorij diuina prouidẽtia Papæ XIII. anno secundo, Retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Ioannem Guerardum, & Ioannem de Soya Apostolicos Curs.

Alexander Astancollus Magist. Curs.

Sanctiss. D. N. D. Gregorij P P. XIII. Reualidatio Decimarum, & aliorum à piæ me. Pio V. Impositorum.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ETsi in craſtinum assumptionis nostræ ad summi apostolatus apicem nostrorũ prædecessorum more quascunque decimarum, subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones, quæ à felicis record. Pio Papa V. prædecessore nostro ex quauis causa etiã in subsidium expeditionis contra Turcas, & orthodoxæ fidei hostes emanauerant, & quascumque facultates super decimarum vigesimæ, & onerum huius-

modi exactione quibuſuis fructuum, & prouentuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum Collectoribus, & Apoſtolicæ ſedis nuntiis ab eodem prædeceſſore conceſſas inter alia reuocauimus. In hoc tamen, in quo verſamur grauiſſimo contra Turcas bello, cui de pecuniis, & aliis rebus propere ſubueniendum eſt, & præterea in multis impendentibus neceſſitatibus incommodum nobis, & Cameræ noſtræ fore, rati nouas ad id rationes conquirere, quæ negocium hoc vel difficilius redderent, vel certe in longius protrahorent, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine omnes, & quaſcumq; huiuſmodi impoſitiones à prædicto prædeceſſore quomodocumque, vbicumque, & ex quibuſuis cauſis factas, & facultates propterea conceſſas, necnon Collectorum, ſubcollectorum, & aliorum miniſtrorum conſtitutiones, literaſque deſuper confectas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quæcumque aduerſus reuocationem noſtram prædictam, editamque deſuper conſtitutionem reualidamus, & in priſtinum robur, eundemque vigorem in omnibus, & per omnia reſtituimus, reponimus, & reintegrauimus, perinde ac ſi conſtitutio noſtra prædicta minime emanaſſet. Decernentes exactiones, ſolutiones, & quæcumque alia hucuſque facultatum, & literarum prædictarum vigore geſta, & deinceps quandocumque facienda valere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & ab omnibus obſeruari, ſicque per quoſcumque iudicari debere, necnõ irritum, & inane quicquid ſecus per quoſcumque ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quinetiam decimas, ſubſidia, & onera omnia prædicta rurſus modo quo prius indicimus, & imponimus. Non obſtantibus conſtitutione prædicta, quam quo ad hoc penitus abrogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque, volentes præſentium exemplis etiam impreſſis manu Notarij publici, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem illam prorſus fidem adhiberi, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel

vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud ſanctum Marcum, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Id. Iunij, Pontificatus noſtri anno primo.

Cæ. Glorierius.
M. Datarius.
H. Cumyn.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione xv. die vero vigeſimo quinto Iunij, Pontificatus vero Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ xiij. Retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Scipionem de Octauianis, & Ioannem Guerard. præfati S. D. N. PP. Curſ.

Io. Freile Magiſter Curſ.

Sanctiſs. D. N. D. Gregorij Papæ xiij. Noua Conſtitutio, De ædificiis, & Iure Congrui.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QVæ publicè vtilia, & decora eſſe huic almæ Vrbi ratio ipſa, atque vſus docuit, ea priuatis cupiditatibus, ac commodis præferenda cenſemus. Cum itaque fel. memo. Pius Papa V. prædeceſſor noſter nonnullas per fel. rec. Sixtum iiij. Leonem x. & Pium etiã iiij. ſimiliter prædeceſſores noſtros ad ornatum Vrbis editas conſtitutiones, vna cum decreto Cameræ Apoſtolicæ de Inquillinis in emptionibus domorũ præferendis, tanquam Iuris communis correctorias, & quæ nimis late à Iudicibus interpretatæ cauſam iniuriæ quamplurimis pauperibus inferendæ præberent, duobus editis ſcriptis, quorum ſolam ſignaturam ſufficere voluit, motu proprio abrogaſſet, & ad viam Iuris communis reduxiſſet: Dilecti filij Senatus, Po-

pulusque Romanus abrogationem, & reductionem huiusmodi ægreferentes, initio Pontificatus nostri, & alias persæpe publico decreto à nobis enixe postularunt supplices, vt literas præfatas Pij V. vti decori publico, ac multorum ciuium commoditati infensas tollere pro nostro erga hanc Almam Vrbem paterno amore dignaremur. Quam rem dum nos diutius differimus, plurimorum eandem ob causam querimonias expostulantium sustinuimus: quin etiam intelleximus publicum ipsius Vrbis ornatum deseri, & magnifica ædificia iampridem inchoata, propter nimiam quorundam cupiditatem interrupta pendere, plurimosque ea de causa ædificandi consilium abiecisse. Quibus malis quod minimo Ciuium nostrorum, ac Curialium detrimento fieri posset, mederi cupientes, cum etiam in literis Sixti, ac Leonis, & Piorum literis antiquatis, & abrogatis, quæ ab illis ad publicum Vrbis, illiusque districtus ornatum, aeris salubritatem, ac priuatorum etiam commoditatem prouide tunc ordinata fuerant, ea magis accommoda his temporibus ratione moderata, simulque ea, quæ nos de nouo statuenda duximus, vnica constitutione complecti omnia, ne publicum bonum, ac decus iacere diutius pateremur.

Itaque dictas, ac quascunque alias prædecessorum literas, quatenus ad aliquod eorum, quæ his nostris literis continebuntur, pertinent, deque aliquo eorum statuunt, aut disponunt, antiquantes, & abrogantes, atque penitus reuocantes, & tollentes, de potestatis nobis tributæ plenitudine statuimus, Quod qui pro tempore fuerint S. R. Eccles. Camerarius atque ædificiorum, & viarum Vrbis Magistri, quacunque Vrbis parte necessarium, atque vtile fore cognouerint, possint pro viis, areis, plateis, aliisque locis publicis, siue veteribus dirigendis, & ampliandis, siue nouis ducendis, & constituendis, cogere dominos domorum, & locorum quorumlibet, tam ecclesiasticos quã seculares quacunq; dignitate præditos, vt

vt vendant Conseruatoribus, aut Sindico eiusdẽ Vrbis domos & loca, quæ Camerarius, & Magistri prædicti ad id necessaria duxerint, siue illa domini ipsi habitẽt, siue aliis locare soliti sint, precio à Magistris prædictis statuendo.

Vbi vero aliquas ruinas esse perceperint, locaue aperta viis publicis hærentia, ne laceræ, atque inhabitatæ domus, interruptaque spatiis interiacentibus viarum septa, Vrbi deformitatem, atque incommoditatem afferant, curent ipsi Camerarius, & Magistri eas celeriter sarciri.

Itaque quoscunque dominos, siue directos, siue vtiles domorum dirutarum, vel arearum, aliorumue locorum vacuorum, secus vias publicas iacentium, grauibus pœnis propositis, breuique ipsorum arbitrio præfinito tempore, cogant domos dirutas, vel areas, aliaue loca huiusmodi ab eis possessa, muro saltem claudere, murumque ipsum ad eam altitudinem, quæ proxima ædificia proximosque muros æquet, vel ad aliam quã ipsi præscripserint attollere. Eamque ob causam iidem Camerarius, & Magistri, si ipsis visum fuerit, interdicant interim inde dominis exactionem, ac conductoribus, si qui forte fuerint, solutionem pensionum, seu canonum, aut censuum, easque faciant in huiusmodi opus, ipsosmet conductores impendere, quas cum cõductores ita impenderint, domini acceptas ferre debeant; cum vero impendere iussi neglexerint, opus quod in tempore iuxta huiusmodi præscriptum factũ non fuerit, sua ipsi impensa perficiãt. Quod si vel nulli sint conductores, vel pensiones interea temporis debitæ satis operi non sint, neque tamen domini possidẽtes domos dirutas aut areas locaue aperta huiusmodi sic clauserint, ex tunc præfinito tempore elapso, si vtiles tantum domini sint, ab vtili eorum dominio omnique iure quod inde eis competebat, cecidisse intelligantur, locaque ipsa ad directos dominos libere, cum onere tamen illa ita claudendi, deuoluta sint eo ipso. Si vero etiam directum dominium, siue per proximè

dictam

dictam deuolutionem, siue alias habeant, liceat prædictis Camerario,& Magistris,postquam sic præfinitū ipsis dominis tempus effluxerit,tum exigendis propositis pœnis,tum aliis crescente contumacia etiam grauioribus,& sæpius incutiendis eos plectere, tum vero etiam captis ex aliis illorum bonis pignoribus, eisque per subhastationem de more distractis pecuniam cogere,vnde murus,& præscriptum opus omnino perficiatur. Vel si hac quoque ratione non profecerint,loca eadem modo domini ipsi illa non incolant,propositis ad hoc semel, vel pluries edictis, quibuscunque personis illa nouis ædificiis instaurare, vel saltem sic claudere volentibus locare,aut in emphyteosim etiam ad longum tempus, vel ad vnius, aut plurium personarum siue successurarum , siue nominandarum vitas , atque etiam perpetuo concedere , vel etiam vendere , aut alias alienare pro pensione , aut canone , aut precio quod reperiri poterit, ita quidem vt ex pluribus,hoc casu,oblatoribus, si quis rei particeps aut consors fuerit, is præ omnibus obtineat, nisi forsan & ipse in claudendo negligens fuerit, præter hunc autem vicini cæteris: & inter vicinos qui magis indiget,vel qui vicinus est à pluribus partibus: inter cæteros vero qui plus, quique ad maiorem Vrbis ornatum ædificare voluerit,præferatur, Iudicio eorundem Camerarij,& Magist.

Pro priuatis autem ædificiis similiter,aut nouis cōstruendis,aut veteribus ampliandis, liceat cuicunque quouis muro sibi propinquo libere vti,eique tigna,lapides,aliamque materiam ædificij sui,totumq; ipsum ædificium coniungere, & annectere, etiam si murus is ad vicinum suum totus pertineat, persoluto tamen eiusdem muri dimidio precio , ad eam æstimationem, quam duo periti,quorum singulos singulæ partes elegerint,vel illis discordibus,ipsi viarū magistri declarauerint. Et si inter duas domos viculus forte,siue intercapedo trium circiter, vt solet, palmorum intersit, liceat ei,qui primus in altera earundem domorum ædificare cæperit, habita tamen ab ipsis magistris licētia, totum sibi viculum nullo persoluto precio occupare, ac domui suæ adiungere , domumque ad vicini murū producere , muroque vt supra dictum est, communiter vti.

At si quis domum,fundum,solumue habens, ibi ædificare voluerit,illi, Camerarius , & Magistri præfati, cogant vendi domos, aliaque loca eidem domui fundo,soloue vicina,quæ eorum domini non incolunt,sed locare solent, quæque iidem Camerarius,& Magistri huiusmodi ædificio vtilia & necessaria putauerint,precio tamen aucto duodecima eius parte , vltra æstimationem,modo prædicto faciendam. Et nihilominus si ædificium ipsum insigne futurum sit, eique perficiendo aliqua domus etiā à domino habitata , vel hortus, aliusue locus muris clausus opportunus cohæreat eo casu , dummodo ædificium iam cæptum sit, idque à duobus saltem lateribus cohæreat domui, horto, vel loco huiusmodi , illiusque æstimationē quadruplo sit excessurum, cogant dominum,etiam sic habitantem, vt domum,hortum,vel locum vendat, aucto tamē dicto precio ad quintam eius partem, data que ipsi domino sex mensium dilatione post factam venditionē, quo interim ibidem permanens aliam sibi habitationem parare possit.

Præterea cum ob ducendam, siue dirigēdam viam, vel ob aliud opus publicum aliqua pars alicuius domus , quam dominus sine vlla fraude tunc habitaret, mandato dictorum Magistrorum diruta fuerit, vnde domus habitationi domini incommoda efficiatur, vt familiam non capiat, si iuxta illam fuerit alia domus annua pensione , vel alias locari solita, cuius coniunctione huiusmodi incōmoditati subueniri possit,vt id fiat,cogant eam domino domus dirutæ,si ibi deinceps habitaturus sit , vendi precio , quod supradicto modo æstimatum fuerit. Quod si diuersorum dominorum domus huiusmodi iacturam passæ locari soleant, non autem habitari,alio ipsorum dominorum petente,cogatur

gatur alius domum suam sic dirutam vel excisam vendere, constituto precio ad æstimationem prædictam, hac tamen distinctione habita, vt detur optio illi, qui minorem iacturam in sua passus fuerit, an ipse velit aliam emere. Quinetiam, si quis post huiusmodi ruinas propter publicum aliquod opus factas, propriã domũ ea de causa aliqua parte dirutam, vel excisam, quã ipse habitare solebat, sarserit, eique alia domus similẽ passa iacturam contigua sit, quam dominus similiter habitans intra tempus à Magistris præfinitum, neque sarserit, neque muro clauserit, sed deformem reliquerit, velitque is, qui suam sarsit, truncam illam sibi contiguam suæ coniungere, & ædificare, ac propterea precio, vt supradictum est, æstimando, & amplius addita eiusdem precij quinta parte emere cogatur eius dominus, licet habitans, ita vendere.

Sed & cum aliqua domus siue fundus aut solũ volente sua sponte domino vendendum erit, teneatur venditor perquirere à vicinis, quotquot erunt, qui rem aliquam immobilem illi contiguam habuerint (etiam si se empturos nullo modo antea professi sint) an aliquis eorum velit rem vendendam emere, eisque precium atque omnia pacta & conditiones quibus cum alio vere, omniq; procul fictione, contraxit intimare. Perquisitio autem & intimatio fiant per vnũ ex Cursoribus, seu Mandatariis, personaliter quidem, si reperti fuerint, sin autem duorum Cursorum, seu Mandatariorũ diligentia reperiri commode non poterint, fiant, domi dimissa copia: absentibus autem ab Vrbe, docto extraiudicialiter, & summarie coram eisdẽ Camerario, & Magistris eos abesse, fiãt per publicum edictum locis, quibus in Vrbe consuetum est, affigẽdum. Quibus ita factis, iurent tam venditor quam emptor apud acta Notarij dictorum Magistrorum, venditionem de huiusmodi re iam factam & intimatam, esse veram, & in ea eiusque precio non interc̃sisse dolum, fraudem, simulationemue aliquam. Post hæc si vicini prædicti, se eisdem precio ac pactis, & conditionibus empturos non

non declarauerint, & ibi ædificaturos nõ promiserint, præsentes, scilicet intra quindecim dies, absentes vero intra triginta, à die præstitorum huiusmodi Iuramentorum: Rursus si tam præsentes quam absentes intra alios quindecim dies ab huiusmodi declaratione, & promissione (si fiat) omnia iuxta ea, quæ in venditione intimata continebuntur, non præstiterint, pretiumque, si quod in illa solutum fuerat, nõn persoluerint, & ædificando ibi ad certam summam certumque tempus, ac sub certa pœna, prout ab eisdem Magistris præscriptum fuerit, se non obligauerint, illis posthabitis, venditio cuicunque alij facta maneat & rata sit. Qui vero intra vtrumque dictorum terminorum prædicta impleuerit, ei cæteris exclusis, venditio sic fieri debeat. At si perquisitio, & Intimatio ita factæ, iuramentaque ita præstita non fuerint, quæcunque venditio de ea domo, siue solo cuicunque alij facta, nullum Ius emptori tribuat, & quo ad illum pro infecta sit, quamdiu vicini intra annum à die quo illam resciuerint se opposuerint. Si quidem aliquo ipsorum intra dictum annum petente, seque, vt prædictum est, obligante ad ædificandum, & precium emptori (si is illud accipere, & emptioni suæ renuntiare, ac ratione illius, prout Camerarius & Magistri mandauerint, cauere voluerit) restituente, alioqui precium ipsum deponere, venditio ei facta censeatur, & perinde ex illa in rei possessionem inducatur, expulso inde dicto primo emptore, ac si cum eo, & ad eius commodum celebrata esset. Resciuisse autem, quod ad hoc attinet, intelligatur quocunque modo perceperint, vel hoc solum, rem scilicet fuisse venditam, licet neque precium neque alias conditiones, aut qualitates perceperint. Post dictum vero annum maneat prima venditio, neq; hac de causa quoquam amplius impetretur. Cæterum eo casu quo perquisitio, & intimatio prædictæ fient, si in illa venditione aliqua simulatio præsertim circa precium augendum admissa fuerit, tum venditio nul

nulla sit, tum simulatores ipsi alter re, alter precio priuati sint, ipsumque precium ipsaque res Cameræ Apostolicæ applicentur eo ipso. Et præterea iidem Simulatores pœnis falsi, &, si iurauerint, etiam periurij puniantur.

Eadem omnia, & cum inquilino locum habeant, cũ domus, volente domino, venalis erit, videlicet vt etiã ipsius domus inquilino (si quis erit) perquisitio & intimatio fiant modo prædicto: ipseque, si emere voluerit, tum intra eosdé terminos, tũ deinceps eadé faciat, quæ vicini facere debent, excepta dũtaxat oblatione & obligatiõe de ædificando. Etenim inter inquilinũ & vicinos ea sit distinctio, vt volentibus ædificare vicinis, inquilini nulla ratio habeatur: sed tantum vicinorum. At illis non promittentibus ædificare, inquilino, etiam si ædificaturus non sit, idem Ius in emptione competat, quod vicinis, si ædificare vellent, secundum prædicta competeret.

Veruntamen quando in singulis casibus prædictis siue coactæ, siue spontaneæ venditionis duo vicini fuerint, quorum ædificiis vendenda res opportuna existat, & propterea illam sibi quisque ex hac constitutione vendi postulet, is obtineat, qui magis illa indiguerit. Aut si vterque æque indigeat, inter vtrumque diuidatur, quatenus vtrique commoda portio tribuatur. At si huiusmodi portiones vtrique forent inutiles, tota illi detur, cuius ædificio à pluribus partibus, vel alias magis adhæserit. Si vero alteri tantum diuisio inutilis futura sit, nihil illi, sed tota alteri detur. Quod si nulla fuerit ædificantium indigentia, is præferatur, qui magis fuerit vicinus, vel in vicinitate pari, is qui plus, quique ad maiorem Vrbis ornatum Iudicio eorundem Camerarij, & Magistrorum ædificare voluerit.

Præter supradictos autem vicinitatis casus, si quis domum aliumue fundum aut solum in emphyteosim aliumue titulum perpetuo, vel ad vnius, aut plurium personarum vitã pro annuo canone, aliaue respõsione con

cessum habeat, ibique ædificare velit liceat eisdé Camerario, & Magistris, eo petente, domum, fundũ aut solum huiusmodi ab eius directi domini, licet nolentis, proprietate, dominio, ac iure, necnon à canonis seu responsionis præstatione eximere, & liberare, alia re stabili prius constituta, precij, cõmoditatis, reditus, ac bonitatis saltem paris, quæ loco illius liberatæ sit, quoad omnia, & ad eundé directũ dominũ ratiõe proprietatis, dominij, deuolutiõis, & alias cuiusq; Iuris, & oneris eisdé modo, & forma ptineat, quibus illa pertinebat: trãslato quoque ad ista hmõi canone, siue responsione, cum augmento quintæ illius partis: & insuper præstita idonea cautione, & etiam facta per illum, qui ædificaturus est, obligatione omnium suorum bonorum, tum quod res, in quam facta est huiusmodi translatio, libera est, tum etiam de euictione in ea forma, quam in vrbe præstari solet.

In rusticis quoque prædiis, vt & illorum nitori ad honestam in illis hominum commoditatem salutarẽque siue animi, siue corporis refectiõem aliqua ratione consulatur, illud obseruetur. Vt qui vineas, aut canneta intra tria ab Vrbe milliaria, siue partiariis colonis aliqua parte fructuum, siue aliis pecunia solent locare, cogi possint eadem vendere precio æstimando, vt supra dictum est, & amplius duodecima ipsius precij parte iis, qui prope illas vineas possident, quas collunt sua impensa, dummodo emptorum vineę sint, non solum maioris precij, & mensuræ sed magis etiam, & cultæ, & ædificiorum structuris conspicuę: hisque omnibus illa tãtopere superent, vt magna inter vtraq; ad sit inæqualitas iudicio eorundem Camerarij, & Magistrorum. Non possint autem cogi, vt partem tantummodo earum vendant.

Ij vero, qui vsque ad duodecim ab Vrbe milliaria habent prædiola mensuræ decem duntaxat, vel pauciorum rubrorum (quas linguas, seu Pedichas dicunt) contigua maioribs aliorum uprædiis quæ casalia appellãtur, Item ij quoque, ex quorum Casali-

bus similes linguæ,seu Pedichæ eiusdem mensuræ,in aliorum intra idem spatium duodecim milliarium constituta Casalia excurrunt, eaque intersecant, vtà duobus,ad minus,lateribus linguæ ipsæ à vicinis Casalibus circundentur,cogi possint (siue ipsi colant, siue aliis locent) illas vendere, constituto precio ad æstimationem de qua supradictum est, adiectaque eiusdem precij quinta parte.

Quæcunque autem supra statuta sunt, tum de Vrbanis tum de Rusticis prædiis aut sponte, aut coacte vendendis,vel etiam à directis dominis liberandis, ea locum habeant omnino,siue prædia ipsa sint ecclesiastica,& ad quascunque ecclesias,& basilicas,etiam dictæ Vrbis,etiã Patriarchales,aut cuiusuis ordinis monasteria,& etiam mendicantium domos, aliaque loca religiosa,necnon hospitalia etiam nationum, aut regularium,militiarum,Sodalitatesque,aut confraternitates,cæteraque pia loca pertinẽtia,dummodo neque contigua ecclesiis, monasteriis,hospitalibus, religiosisque,ac piis locis huiusmodi, neque intra illorum sepța consistant,siue sint priuatarum personarũ Capellæ,& oratoria,vel domus,aut loca seruandæ hospitalitati destinata,modo hospitalitas inibi iam, neque exerceatur actu,neque amplius exerceri debeat: siue sint laicalia,& cuicunque fideicommisso, substitutioni,successioni, vel dispositioni obnoxia: & tam hæc laicalia,quam illa ecclesiastica,eorum qui illa reliquerunt seu dederunt vltima vel alia voluntate alienari prohibita,ac quocunque onere grauata.

Sed quoties casus euenerit,quo res aliqua hac constitutione vendi debeat, si is, ad quem pertinet eam vendere,bis monitus à Camerario, & Magistris, cum assignatione conuenientis termini ad vendendum, id recusauerit,vel malitiose distulerit,tunc Camerarius, & Magistri,vice,ac nomine recusantis, vel differentis rem ipsam vendant,cum promissionibus,obligationibus,renunciationibus,pactis etiam pœnalibus,& clausulis consuetis,preciumque,quod inde cum eius augmento

mento proueniet, apud ædem sacram, vel personam fide,& facultatibus idoneam deponant. Deinde si res ecclesiastica erat,vel etiam si laicalis,sed(quod scitatur)fideicommisso, similiue dispositioni subiecta, alienariue prohibita,aut onere grauata, antequam emptor eius possessionem assequatur,precium ipsum totum in aliquorum bonorum immobilium emptionẽ vtiliter conuertatur, cauente de euictione etiam ipso emptore, & ad id omnia bona obligante, Denturque bona inde empta domino rei venditæ. Quo facto, venditio rei illius nequaquã rescindi,aut etiam impugnari possit, prætextu quarumuis obstantium dispositionum, siue etiam inutilitatis ecclesiæ,aut loci, vel personæ cuiusquam. Et insuper res illa vendita libera sit, & exempta ab omnibus huiusmodi dispositionibus, prohibitionibus,& oneribus,eaque ad bona,in quæ illius precium conuersum est, sint translata. Et exinde bona ipsa dictæ venditæ rei loco maneant,eisdemque prorsus dispositionibus,prohibitionibus, & oneribus subiaceãt,quibus illa subiacebat:sintque nihilominus de euictione illius emptori obligata eo ipso. Sin autẽ res ipsa vẽdita neque ecclesiastica erat,neque eiusmodi vinculis obnoxia habebatur, & qui eius dominus fuerat,venditioni ita factæ consentire velit,ac fideiussores de euictione præstare,preciũ illi soluatur. Quod si huiusmodi fideiussores præstare noluerit,vel etiam non potuerit,emantur ex ipso precio arbitrio eorundem Camerarij, & Magistrorum, vel loca montium non vacabilium, vel alia bona immobilia de quorum euictione idoneis fideiussoribus sit cautum, eaque dicto domino tradita, sint loco similis cautionis pro re vendita,donec aliter emptori idonee caueatur, & interim vendi, aut alias alienari nullo modo possint. Verum vsquequo precium, vel ex precio alia res empta, vt præfertur domino tradatur, pensio, quę ex ipsius rei venditæ locatione percipi solebat, vel percipi verisimiliter potuisset, eidem ab emptore persoluatur.

Curent autem Camerarius,& Magistri,vt quisquis per causam ædificandi huius constitutionis fauore vti voluerit, ei ante omnia, consideratis tum ipsius, tum loci qualitatibus, summam, quam ædificando, vt minimum, impendere, ac tempus, quo inchoasse, quoque perfeciſſe, debeat, propositis, quas voluerint, pœnis, præscribant. Isque ad præscriptum huiusmodi promittat, & se, bonaque sua omnia arctissime obliget, subiturus omnino pœnas ipsas, nisi promissa præstiterit, omni purgatione moræ ex quocunque iure, & etiam canonica æquitate competenti penitus subla ta. Et nihilominus compellendus ab eisdem Camerario, & Magistris vel promissa perficere, vel quæ propterea emit, & etiam illis vicina, quorum occasione emit, & in quibus se ædificaturum proposuerat, loca, & domos aliis ædificare volentibus iusto precio, sic, vt supradictum est, æstimando, absque vllo augmento vendere.

Sed ne aliquorum impunitas, qui (vt accepimus) beneficio literarum Sixti, & Leonis, ac Pij Quarti, dum illæ vigerent, abusi, domos, & loca ex illarum dispositione acquisita infabricata adhuc retinent, aliis admittendi similia audaciam præbeat, iidem Camerarius, & Magistri illos omnes qui à viginti annis citra loca aliqua ex dictarum literarum dispositione emerunt: seque in illis ædificaturos promiserunt, nec præstiterunt, cogant ea omnia, quę tunc facere debebant, intra spatium sex mensium, à die præcepti eis hac de re faciendi implere, alioqui pœnas promissas ab iis exigant omnino. Et præter illas, loca eadem dominis, quibus ablata fuerunt, si ipsi velint, eodem precio, quod tunc solutum fuit restitui, vel illis nolentibus aliis, qui ibi ædificaturi sint, precio, vt supradictum est, æstimando, vendi compellant.

Cæterum pœnæ omnes, quas incurrent, qui aduersus constitutionem hanc, seu Camerarij, & Magistrorum pro ipsius constitutionis exequutione mandata, vel decreta admiserint, locis piis dictæ Vrbis ita applicata

applicata sint, vt illi ex locis ipsis irreuocabiliter debeantur, pro quo primũ pœnæ ipsę post illarũ incursũ petitæ fuerint, Ad quam petitionem, lapsis ab huiusmodi incursu triginta diebus, (nisi dicti Camerarius, & Magistri illas iam pro eorum debito exegerint) quilibet in dicta Vrbe, vel in Romana Curia Iudex ad illarum exactionem indesinenter procedat, donec eidem loco, vere, & integrè persolutæ fuerint. Nullo autem dictorum locorum petente, noster in Vrbe Vicarius eis de manu dictorum Camerarij, & Magistrorum acceptas, vel eis ab ipso interpellatis negligentibus, ab eorum debitoribus exactas, inter dicta, loca, iuxta eorum indigentiã arbitrio suo distribuat.

Nos enim ad supradicta omnia, & singula faciendum, & exequendum, inque illis, & pro illis summarie, simpliciter, & de plano, solaque veritate inspecta, ac manu regia, etiam ex officio, procedendum, plenam, expeditam, liberamque auctoritatem, & potestatem, Camerario scilicet in ecclesiasticas, eidemque & Magistris viarum prædictis in laicas, ac quoad pœnas prædictas Vicario, ac singulis Vrbis, vel Curiæ Iudicibus huiusmodi, in quascunque personas, de eadẽ potestatis plenitudine præsentis constitutionis auctoritate tribuimus, & demandamus.

Decernentes eadem omnia, & singula, quæ supra statuta sunt, si quando in aliquo casu de eorum sensu controuersia continget, in eam partem interpretanda esse, quæ ad Vrbis ornatum magis facere videbitur. Ac semper, & vbique, siue in iudicio, siue extra iudicium fauorabilia censeri. Et ita ab omnibus iudicibus etiam Palatij Apostolici Auditoribus, & Cardinalibus, sublata quauis aliter interpretandi, & iudicandi potestate, interpretari, & iudicari debere. Et, si secus fiat, fore irritum, & inane.

Non obstantibus præmissis, ac fel. recor. Symmachi & Pauli ij. de rebus ecclesię non alienandis aliisque cõstitutionibus, & ordinationibus apostolicis, legibus etiam imperialibus, dictæque Vrbis, atque ecclesiarũ,

monasteriorum, & locorum religiosorum, siue piorũ, ordinũque, quorũ bona huiusmodi fuerint, statutis & cõsuetudinibus, necnon testantiũ voluntatibus, aliisq; dispositionibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Priuilegiis quoque, & literis apostolicis eisdem ecclesiis, monasteriis, & locis, eorumque superioribus, capitulis, & cõuentibus, seu Populo Romano, aliisque quibuscunque concessis, Et quibusuis aliis Sedis Apostolicæ indulgentiis, per quæ præsentium exequutio, & per eas tributæ iurisdictionis explicatio posset quomodolibet impediri, vel tardari. Quibus omnibus, eorum tenores pro plene, & integre expressis habentes, de potestatis plenitudine prædicta derogamus, Cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ antiquationis, abrogationis, reuocationis, sublationis, statuti, tributionis, demandationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ eius, se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctũ Marcũ, anno incarnationis Dominicæ, millesimo quingẽtesimo septuagesimo quarto, Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

M. Datarius.

Cæ. Glorierius. A. de Alexiis.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, Die vero decimaquinta mensis Octobris, Põtificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ xiij. Anno eius tertio, Retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas basilicarum ecclesiarum Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Petrũ Aloysium Gaytam, & Ioan. Guerardi Curs.

Alexander Astancollus Magist. Curs.

LITERÆ

LITERÆ PROCESSVS S. D. N. D. GREGORII PAPÆ XIII. LECTÆ DIE Cœnæ Domini, Anni M. D. LXXV.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Initium transumpti literarum.

NOuerint vniuersi hoc præsens publicum transumptum inspecturi, quòd nos Alexãder Riarius Patriarcha Alexandrinus, Curiæ Causarum Cameræ Apostol. Auditor, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius, Sententiarumque, & Censurarum latarum, ac quarumcunque literarum Apostolicarum vniuersalis executor ab eodem S.D.N. Papa deputatus, vidimus, & diligenter inspeximus literas Apostolicas S. D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ xiij. hodie, qui fuit dies Iouis Sancti, & Cœnæ Domini, & solẽniter more solito lectas, & publicatas, eiusque vera Bulla plumbea cum chordula rubei, croceique colorum more Ro. Cu. pendente bullatas, & omni suspicione carentes subsequentis tenoris.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Proœmium literarum.

COnsueuerũt Romani Pontifices prædecessores nostri, ad retinendam puritatem religionis Christianæ, & ipsius vnitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput, Christum videlicet, eiusque Vicarium

principaliter consistit,& sanctam fidelium societatem ab offensione seruandam,arma iustitiæ per ministeriũ Apostolatus in præsenti celebritate exercere.

1 In hæreticos, & fautores eorum, ac recedentes ab Apost. Sedis obedientia.

1 Nos igitur vetustum, & solennem hunc morem sequentes, excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis,Patris,& Filij,& Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorũ Apostolorum Petri, & Pauli,ac nostra quoscunque Vsitas, Vicleffitas, Lutheranos, Zuuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios,& omnes, & singulos alios Hæreticos,quocunque nomine nuncupentur,& cuiuscunque sectæ existant,& eis credentes, ipsorumque receptatores,& fautores,& generaliter quoslibet defensores,ac eorundem libros sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ, scienter quomodolibet legentes, aut tenentes,imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa,publice,vel occulte, quouis ingenio,vel colore:necnon Schismaticos, & eos, qui se à nostra,& Rom.Pont.pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt.

2 In appellantes à papa ad futurum Cõcilium.

2 Item excommunicamus,& anathematizamus omnes,& singulos cuiuscunque status,gradus, seu conditionis fuerint,& interdicimus Vniuersitates, Collegia, & Capitula,quocunque nomine nuncupentur, ab ordinationibus,sententiis,seu mandatis nostris,ac Rom. Pont.pro tempore existẽtium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes,necnon eos, quorum auxilio, consilio,vel fauore appellatum fuerit.

3 In Piratas,& fautores eorũ, & in rapiẽtes bona naufragantium.

3 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Latrunculos maritimos, & illos præcipuè, qui mare nostrum à Monte Argentario, vsq; ad Terracinam discurrere, & nauigantes in illo deprædari, mutilare, interficere, ac rebus, & bonis suis spoliare præsumunt, ac omnes receptatores eorundem, & eis auxilium scienter dantes, vel fauorem. Ac omnes, & singulos,

singulos,qui Christianorum quorumcunque, nauibus tempestate in transuersum (vt dici solet) iactatis, aut etiam submersis, & naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eis dilapsa, & in mari, vel littore inuenta, cuiuscunque generis bona,tam in nostris Tyrrheni,& Adriatici, quam in quibuscunque aliis cuiuscunque maris regionibus,& littoribus rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab aliis rapta, seu accepta scienter receperint: ita vt nec etiam ob quodcunque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

4 In Imponentes, vel augentes noua pedagia, vel ea exigentes.

4 Item excommunicamus,& anathematizamus omnes,qui in terris suis noua pedagia, seu gabellas ad id potestatem non habentes imponunt, vel augent, aut imponi,vel augeri prohibita,exigunt.

5 In falsificatores literarum, & supplicationum Apostolicarum.

5 Item excommunicamus,& anathematizamus omnes falsarios Literarum Apostolicarum, & in forma Breuis,ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium,per Romanum Pontifi. vel S. R. E. Vicecancellarium,seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Ro. Pont. signatarum, aut sub nomine eiusdem Rom. Pont. seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum signantes supplicationes easdem: Extendentes constitutionem fel. rec. Innocentij Papæ iij. quæ incipit. Ad falsariorum cum omnibus pœnis in ea contentis, ad falsificantes, seu mutantes supplicationes per nos, seu de mandato nostro signatas,& datas, sine nostra, aut Datarij nostri licentia.

6 In defeẽtes prohibita infidelibus, eosque certiores facientes de

6 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui Equos, Arma, Ferrum, Filum ferri, Stamnum, Chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipso canape, quam ex quacunque alia materia, & ipsam materiam aliaque huiusmodi, quibus Christianos impugnant, deferunt Saracenis,

rebus concernen statum rei Christianæ.

Turcis, & aliis Christi nominis inimicis: Necnon illos, qui per se, vel alium, seu alios de rebus Christianæ reip. statum concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos certiores faciunt, illisque auxilium, vel fauorem quomodolibet præstant: Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, & concessionibus quibuscunque Principibus, & Dominis, siue priuatis personis per nos, & sedem prædictam hactenus concessis, quæ illis nolumus in aliquo suffragari.

7 In impedientes eos, qui victualia ad Vrbem deferunt.

7 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, siue inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel deferantur, impediunt, seu perturbant, vel qui talia fieri faciunt, vel defendunt, cuiuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiam si Pontificali, vel Regali, aut alia quauis ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

8 In eos, qui peregrinos ad Vrbem venientes offendunt.

8 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes mutilantes, vulnerantes, interficientes, capientes, detinentes seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

9 In eos, qui venientes Romã, vel ibi cõmorantes offendunt.

9 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, necnon omnes illos, qui non habentes in eadem Curia iurisdictionem ordinariam, vel delegatam temeritate propria capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem, aut ex proposito deliberato verberare, mutilare, vel interficere præsumunt, vel qui talia fieri mandant.

10 *In eos,* 10 Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes

omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S.R.E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eosdem eiicientes à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis, eaque mãdantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

qui manus iniicĩũt in S. R. E. Cardinal. vel prælatos seu Nũcios.

11 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, quascunque personas Ecclesiasticas, vel seculares ad dictam Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, illasque in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Aduocatos, Procuratores ipsorum, seu etiam Auditores, vel Iudices, super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negociorum huiusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, seu bonis spoliant, vel qui per se, vel alium, seu alios directe, vel indirecte prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdẽ consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint, Ac illos, qui Literas Apostolicas, & in forma Breuis tam gratiã, quam iustitiã cõcernentes, ac etiã citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, processus executoriales, aliaq; decreta quæcunque à nobis, & Sede Apostolica, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Cameræ Apostolicæ Auditoribus, & Commissariis, aliisque iudicibus, & delegatis Apostolicis emanata, & quæ pro tempore emanauerint, simpliciter, vel sine eorum beneplacito consensu, vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi literarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant impediunt, vel prohibent, aut impediri, vel prohiberi procurant: ac Notarios, Executores, & subexecutores literarum, citationum monitoriorum, & aliorum prędictorum capiunt, carcerant, & detinent, vel capi,

11 In eos, qui causã tũ in Curia pendẽtiũ cursũ, & literarum Apostolicarum executionẽ impediũt, & personas eisdẽ causas pro sequentes offendunt.

car

carcerari & detineri faciunt. Quin etiam quibuſcunque perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſuis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis vtantur, directe, vel indirecte prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarium, ſeu Tabellionem, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

12 In officiales, & prælatos, qui ſpirituales cauſas à iudicibus Apoſtolicis auocant, & executionẽ literarũ, et mãdatorũ Apoſtolicorum impediunt.

12 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos Cancellarios, Vicecancellarios, & Conſiliarios ordinarios, & extraordinarios quorumcunque Regum, & Principum ac Præſidentes Cancellariarum, conſiliorum, & parlamentorum: necnon procuratores generales eorundem, vel aliorum Principum ſecularium, etiam ſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, quocunque nomine nuncupentur, alioſque iudices tam ordinarios quam delegatos, necnon Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Comendatarios, Vicarios, & Officiales, qui per ſe, vel alium, ſeu alios quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Literarum Apoſtolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias ſpirituales, & ſpiritualibus annexas cauſas ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque iudicibus Eccleſiaſticis auocant, illarumue curſum, & audientiam, ac perſonas, capitula, conuentus, collegia, cauſas ipſas proſequi volentes, auctoritate laicali impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam iudices interponunt, ac partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolui ſtatuunt, & compellunt, vel alias executionem literarum Apoſtolicarum, vel executorialium, proceſſuum, ac decretorum prędictorum etiam ſub prętextu violentiæ prohibendæ, vel quod ad

ad nos informandos, vt ipſi dicunt ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint, niſi ipſi ſupplicationes huiuſmodi coram nobis, & ſede Apoſtolica legitimæ proſequantur, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id fauorem conſilium, aut aſſenſum præſtant.

13 In eos, qui perſonas eccleſiaſticas, Capitula, Cõuentus, & Collegia eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad eorum tribunal, audientiam, cancellariam, ſticas ad conſilium, vel parlamentum, præter iuris canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quouis quæſito colore: Necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta in genere, vel in ſpecie ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, etiam ſub prętextu Literarum Apoſtolicarum vſu non receptarum, ſeu reuocatarum, vel cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo lædi-tur, vel deprimitur, aut alias quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ Sedis iuribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expreſſe præiudicatur.

13 Quiue ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiã quorumcunque perſonas eccleſiaſticas, Capitula, Cõuentus, & Collegia eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad eorum tribunal, audientiam, cancellariam, conſilium, vel parlamentum, præter iuris canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quouis quæſito colore: Necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta in genere, vel in ſpecie ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, etiam ſub prętextu Literarum Apoſtolicarum vſu non receptarum, ſeu reuocatarum, vel cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo lædi-tur, vel deprimitur, aut alias quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ Sedis iuribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expreſſe præiudicatur.

13 In eos, qui perſonas eccleſiaſticas ad tribunal trahunt, et qui ſtatuta cõtra libertatem eccleſiæ faciũt.

14 Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque ſuperiores, vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque Iudices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet impediunt, quo minus ſua iuriſdictione eccleſiaſtica contra quoſcunque vtantur, ſecundum quod canones, & ſacræ conſtitutiones eccleſiaſticæ, & decreta conciliorum generalium, & præſertim tridentini, ſtatuunt.

14 In impedientes iudicũ eccleſiaſticorũ iuriſdictionem.

15 Quiue iuriſdictiones, ſeu fructus, reditus, & prouentus, ad nos, & ſedem Apoſt. & quaſcũque eccleſiaſticas perſonas ratione eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum per eos obtentorum pertinentes vſurpant, vel etiã quauis occaſione, vel cauſa, ſine Rom. Pont. expreſſa licentia ſequeſtrant:

15 In eos, qui iuriſdictionẽ, et fructus, eccleſiaſticos vſurpant:

Universidad de Deusto Biblioteca

pāt, & decimas, aut taleas quascūque personis ecclesiasticis imponunt, aut exigūt, ac assensum, auxiliū, vel consilium præstant.

questrant: aut collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera clericis, prælatis, & aliis personis ecclesiasticis, ac eorum, & ecclesiarum, monasteriorum, aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, reditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Rom. Pont. speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt: necnon qui per se, vel alium, seu alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem, aut votum, seu suffragium palam, vel occulte præstare nō verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones Respublicæ, & alij potentatus quicunque etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & terris quoquomodo præsidentes, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti: Innouantes decreta super his per sacros canones tam in Lateran. nouissime celebrato, quam aliis conciliis generalibus edita, etiā cum censuris, & pœnis in eis contentis.

16 In laicos se intromittentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas ecclesiasticas.

16 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, Senatores, Præsidentes, Auditores, & alios Iudices, quocunque nomine vocentur, ac Cancellarios, Vicecancellarios, Notarios, scribas, ac executores, & subexecutores, & alios quoquomodo se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas banniendo, capiendo, processando, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, etiam prætextu quorumcunque priuilegiorum à sede Apostolica ex quibusuis causis, ac sub quibuscunque tenoribus, & formis, in genere & specie concessorum quibuscunque Regibus, Ducibus, Principibus, Rebuspublicis, Monarchiis, Ciuitatibus, & aliis quibuscunque potentatibus quocunque nomine censeantur, quæ nolumus illis in aliquo suffragari: illa omnia ex nunc in irritum reuo

reuocando.

17 In eos qui terras seu iura Ecclesiæ Rom. occupant, vel inuadunt, & in raptores bonorum palatij Apostolici.

17 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, directe, vel indirecte, sub quocunque titulo, vel colore de facto occupant, vel detinent, vel hostiliter destruunt, vel inuadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumunt in totum, vel in partem Almā Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuscia Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysimū, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas prouincias, illarumque terrras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, Ciuitatesque nostras Bononiam, Cesenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, & alias ciuitates, terras, & loca, vel iura ad ipsam Roman. Ecclesiam pertinentia, dictæque Rom. Eccle. mediate, vel immediate subiecta: quiue supremam iurisdictionem in illis nobis, & eidem Rom. Eccle. competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt: Necnon adhærētes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorē quomodolibet præstantes: Necnon omnes, & singulos supellectilium, librorum, scripturarum, & bonorum Cameræ, & Palatij Apostolici ex eodem Palatio, infirmitatis Rom. Pont. ac sedis Apostolicæ vacationis tempore, ablatores, raptores, & illorum detentores, ac quoscunque alios, ad quorum manus bona prædicta quocunque titulo, & ex quauis causa scienter peruenerint.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus à nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

18 Quod nulla so-

18 Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pont. nisi in mortis articulo con

lennis Pō tif. absolutio compre hendit super adictos, neceos, qui statuta præ fata libertatem ecclesiæ lædē tia, cōdūt.

constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis,& de satisfaciendo cautione præstita,absolui possit,etiam prætextu quarumuis facultatum,& indultorum,quibuscunque personis ecclesiasticis, secularibus,& quorumuis ordinum etiam Mendicantium, & Militiarum regularibus, etiam Episcopali vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque ordinibus & eorum Monasteriis, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus,Hospitalibus,& locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta,verbo,literis,aut alia quacunque scriptura in genere & in specie concessorum,& innouatorum, ac concedendorum & innouandorum.

19 *In absoluentes transgressores.*

19 Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate illaqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, & prædicationis, lectionis,administrationis sacramentorum,& audiendi confessiones officiis interdicimus, grauius contra eos spiritualiter & temporaliter,prout expedire nouerimus, processuri, Et nihilominus, quicquid egerint absoluendo,vel alias,nullius sit roboris,vel monti.

20 *Quod priuilegia,cō suetudines etiam immemorabiles, indulgentiæ, ac confessionalia nō suffragā tur contra præmissa.*

20 Declarantes, ac protestantes quamcunq; absolutionem etiam solenniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos,nisi prius à præmissis,cum vero proposito vlterius similia non committendi, destiterint, Ac quo ad eos, qui contra libertatem,vt præmittitur,statuta fecerint, nisi prius statuta,ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publice reuocauerint, & ex Archiuiis, seu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere,nec eis aliter suffragari. Quinetiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus

actus contrarios,tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam,& tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocunque tempore continuata, in præmissis omnibus & singulis,ac quibuscunque iuribus Sedis Apostolicæ,ac S.R.E. vndecunque,& quomodocunque quæsitis,vel quærendis nullatenus præiudicari posse,seu debere.

Non obstantibus priuilegiis, indulgentiis, & literis Apo.generalibus,vel specialibus, supradictis vel eorum alicui seu aliquibus, & aliis cuiuscunque ordinis,status,vel conditionis, dignitatis, præeminentiæ fuerint,etiam si,vt præmittitur,Pontificali,Imperiali,Regali, seu quauis ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate,vel eorum Regnis,Prouinciis, Ciuitatibus,seu locis,à prędicta sede sub quauis forma, vel tenore, & ex quauis causa etiam per viam contractus,aut remunerationis, ac cum quibuscunque clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus quod excommunicari anathematizari, vel interdici non possint per literas Apost. non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac de ordinibus,locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem : Necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus,ac prędscriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet obseruantiis scriptis,vel non scriptis,per quę contra hos nostros processus,ac sententias, quo minus includantur in eis,se iuuare valeant,vel tueri:quæ omnia quo ad hoc, eorū omnium,& singulorum tenores,ac si ad verbum nihil penitus omisso,insererentur,prędsentibus pro expressis habēres,penitus tollimus, & omnino reuocamus, cæteríque contrariis quibuscunque.

21 *Ordinarij, Curati, ac confessores debent*

21 Præcipimus autem in virtute sanctæ obedientiæ vniuersis,& singulis Patriarchis, Archiepiscopis,Episcopis, aliísque locorum Ordinariis,& ecclesiarum Prælatis,necnō Rectoribus,ac cæteris curam animarum exercentibus,ac presbyteris secularibus,& quo-

penes se habere trã sumptum præsentiũ, & diligenter legere.

rumuis ordinum regularibus, ad audiendum confessiones quauis auctoritate deputatis, vt transumptum harum literarum penes se habere, ac legere, & diligenter examinare procurent, ne de huiusmodi reseruatione ignorantiam prætendere valeant.

22 Quod literæ publicẽtur in valuis eccle. S. Io. Lateran. ac basilic. prin. apo. de Vrbe, &c.

22 Vt verò præsentes nostri processus ad communem omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe appendi faciemus, quæ processus ipsos quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, vt ij, quos processus huiusmodi contingunt, quod ad ipsos non peruenerint, aut quod ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare, cũ non sit verisimile, quòd ipsum remaneat incognitũ, quod tam patenter omnibus publicatur.

23 Quod literæ publicentur per locorũ ordinarios saltẽ semel in anno.

23 Insuper, vt processus ipsi, ac præsentes literæ, ac omnia, & singula in eis cõtenta eo fiant notoria, quo in plerisque ciuitatibus, & locis fuerint publicata, prædictis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, Prælatis, & Rectoribus vbilibet cõstitutis per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiã pluries in ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solenniter publicent, & ad Christifideliũ mentes reducant, nuncient, & declarent.

24 Quod fides adhibeatur trã sumptis.

24 Volentes earundem presentium transumptis, etiam impressis, Not. publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Rom. Curiæ, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nul

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, præcepti, commissionis, innodationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, M.D.LXXV. sexto Kal. April. Pontific. nostri anno tertio.

Cæsar Glorierius. M. Datarius.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

A. de Alexiis.

Publicatio literarum.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia, Die verò Iouis vltima mensis Martij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ xiij. anno tertio, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt ad valuas basilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum de vrbe, necnon Cancellariç Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Petrum Aloisium Gaitam, & Iulium Fontanam Curs. apost.

Ant. Clerici pro Mag. Curs.

Continuatio transsumpti.

QVibus quidem literis diligenter inspectis, illas ad requisitionem, & instantiam Magnifici D. Ioan. Felicis Saluatoris S.D.N. Papæ. & cameræ Apostolicæ Procuratoris Fiscalis, per D. Gasparem Reydettum dictæ Curiæ Notarium publicum infrascriptum transumpti, & exemplari, ac in hanc publicam transumpti formam redigi mandauimus. Decernentes, & volentes, vt huic præsenti transumpto, iuxta earundem literarum, & decreti in eis appositi formã, continentiam, & tenorem de cætero plena, & indubia fides adhibeatur vbique locorum, ac si ipsæ literæ originales exhibitæ, vel ostensæ forent. Quibus omnibus, & singulis auctoritatem nostram ordinariam, ac

Decretũ.

decretum interposuimus, & interponimus per præsentes. In quorum fidem præsentes literas, atque præsens publicum transumpti instrumentum exinde fieri, & per Impressores Camerales Imprimi, ac per eundem Dominum Gasparem Reydettum Notarium nostrum, & Curiæ nostrę coram nobis scribam infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus, nostrique soliti sigilli Impressione muniri iussimus, & fecimus. Datum Romæ in ædibus nostræ solitæ residen-

Data. tiæ, sub anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia, Die verò vltima Martij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouiden-

Testes. tia Papæ xiij. anno tertio præsentibus ibidem D. Ia-

Subscriptio Notarij. cobo Gerardo, & Antonio Guidotto dictæ Curiæ nostræ Notariis, & coram nobis scribis testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis, & rogatis.

Gaspar Reydettus Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Not. ss.

Eiusdem confirmatio literarum fe. re. Pij Papæ quinti de Terris, & locis S.R.E. in feudum, aut alium modum non dandis.

GREGORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

INter cetera, quæ ad Romani Pontificis curam, ac solicitudinem pertinent, illudquoque non mediocri studio prouidendum est, vt res ecclesiastica sarta tecta vsquequaque conseruetur: quod cum de aliis omnibus, tum præcipue de iis, quæ specialis iurisdictionis Romanæ ecclesiæ sunt, curare debet, ne vlla vsquam illorum imminutio fiat. Cuius rei causa felicis recordationis Pius Papa V. prædecessor noster, vt talium distractionibus omnem viam (quātum in ipso erat) in perpetuum præcluderet, literas edidit in hæc verba. Pius Episcopus seruus seruorū Dei, Ad perpetuam

tuam rei memoriam. Admonet nos suscepti cura regiminis vniuersalis ecclesiæ, cui, auctore domino, præsidemus, vt ciuitates, terrę, oppida, & loca nobis, & sedi apostolicæ in temporalibus mediate, & immediate subiecta perpetuo in iure, dominio, & proprietate, ac possessione dictæ sedis conseruentur. Sane licet nonnulli Romani pontifices prædecessores nostri per eorum constitutiones rerum ecclesiasticarum alienationes prohibuerint, & iam factas reuocauerint, & annullauerint, nihilominus cum retroactis tęporibus nonnulli nimiū ambitiosi, & dominandi cupidi sub variis prętextibus, coloribus, & causis sæpe etiā falsis (quod nō sine maximo animi nostri mœrore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus, & insinuationibus suis conati sint, ostendere, & persuadere magis vtile, & expediens S.R.E. & sedi prędictę fore, si aliquæ ciuitates, terræ, oppida, castra, arces, & loca ad ius, & proprietatem eiusdem sedis pertinentia in Feudum, Gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemuis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus concederentur, vel etiam ex eo, quod aliàs in feudum data, aut quouis alio titulo huiusmodi alienata fuerint, & propterea tanquam ad sedem prædictam deuoluta, vel deuoluenda, posse, & debere de iure iterum infeudari, & alienari, atque inde nonullas alienationes, infeudationes, & concessiones à sede apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solum patrimonij, sed etiam existimationis recepisse dignoscitur. Hinc est, quòd nos considerantes omnium ciuitatum, & locorum prædictorum singularem fidem, & promptam deuotionem eidem sedi exhibitam omni tempore valde vtilem, & salutarem fuisse, & esse, ac volentes non solum alienationes huiusmodi, quas tempore nostro omnino exulare intendimus, de medio tollere, & quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus ante Domini

nostri Iesu Christi in examine die magni aduentus Tribunal villicationis nostræ rationem reddituros nos esse: Sed, vt omnis alienationum huiusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur, quantum cum Deo possumus, per amplius prouidere, constitutionibus prædecessorum nostrorum huiusmodi etiam inhærendo, illásque innouando, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiã, sed ex mera animi nostri deliberatione, & de apostolicæ potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in consistorio nostro secreto consultatione matura, de eorum consilio, & vnanimi assensu, qui etiam iurauerunt præsenti constitutioni non contrauenire, nec Pontificibus, alienationes contra tenorem præsentium attentantibus, consentire, & absolutiones à iuramento huiusmodi non petere, nec acceptare, hac nostra perpetuo valitura constitutione decernimus, & declaramus, ciuitates, & loca prædicta etiam hactenus in feudum, aut quemuis alienationis titulum dari solita, vel consueta, ad nos, & sedem præfatam quomodolibet deuoluta, & pro tempore deuoluenda, absque alia vlteriori declaratione, & illorum possessionis apprehensione, eo ipso Sedi, & Cameræ apostolicæ incorporata, ac ad ius, & proprietatem, & dominium pristinum, ac possessionẽ rediisse cẽseri, perinde ac si per quadraginta annos, & vltra, Ciuitates, & loca præfata à nobis & sede præfata immediate possessa, & nunquam in feudum, aut aliumti tulum concessa fuissent. Statuimúsque, & decernimus, quòd omnes, & singulæ tam communitates & vniuersitates, quam ciues, & incolæ Ciuitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, aliæque quæcunque personę tam ecclesiasticę quam seculares cuiusuis dignitatis, & ordinis, etiam episcopalis, vel maioris existentes, ac S. R. E. Cardinales tam publicè in consiliis ciuitatum, & locorum præfatorum, quam priuatim alibi in quibusuis locis, etiam si ciuitatum, & terrarũ

carum

carundem Gubernatores, aut nostri, & sedis apostolicæ Legati, vel Prolegati existant, tractantes, consulentes, aut aliàs verba facientes de infeudationibus, & alienationibus de Ciuitatibus, & locis præfatis immediate ad nos & sedem præfatam spectantibus, & pertinentibus, etiam deuolutis, etiam in feudum communiter, & pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis, vel sub annuo cẽsu, aut canone, aut aliàs quo modolibet etiam contemplatione meritorum erga sedem præfatam, aut sub prætextu necessitatis, vel euidentis vtilitatis faciendis, seu de postulandis à nobis, & sede præfata quibusuis personis, cuiusuis dignitatis, status, gradus, etiam nobis, & successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam S. R. E. Cardinalibus, aut quauis alia temporali, vel Ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemuis alium titulum ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam ad sedis Apostolicæ beneplacitum, Ciuitatum, & locorum præfatorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad nos, & successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes, tam ipsi, quàm oratores munus huiusmodi recipientes, aut alij quicunque alienationes huiusmodi Roman. Pontifici pro tempore existenti per se, vel alium, seu alios insinuantes, vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi ab ipso Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolui nequeant. Et insuper S. R. E. & sedis Apostolicæ præfatæ rebelles etiã in primo capite læsæ Maiestatis, & proditores Ciuitatum, & locorum præfatorum, ac bona eorum fisco, & Cameræ nostræ Apostolicę, ipso iure deuoluta, & incorporata sint, & esse censeantur, omnibúsque Ecclesiis, Monasteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis ecclesiasticis, eo ipso priuati, & ad illa, ac alia in posterum obtinenda inhabiles existant, neque ad Ciuitates, & loca præfata vllo vnquam tempore remitti possint. Et si aliquando eos reintegrari contigerit,

nihilominus infames remaneant, illíſque bonorum, & dignitatum portæ perpetuo claudantur. Et quoniã intelleximus, aliquos etiam Cardinales, Ciuitates, Terras, Oppida, Caſtra, Arces, & loca ad vitam, ſeu tertiam, vel aliam generationem, aut alias à dicta ſede, etiam ex cauſa onerosa obtinere, habere, & poſſidere, cum facultate faciendi in illis melioramẽta, ita quod ab eis amoueri non poſſint, niſi reſtitutis prius pecuniis in melioramenta huiuſmodi expoſitis, omnes, & ſingulas facultates faciendi melioramenta prę fata quibuſuis perſonis, etiam Cardinalibus, per eoſdem prædeceſſores noſtros, aut alios ad id facultatẽ habentes quomodolibet conceſſas, harum ſerie reuocamus, & annullamus, & nemini deinceps ſuffragari poſſe, neque debere, ac cuicunque facultatem faciendi melioramenta huiuſmodi habenti illa etiam pro munitione, & tuitione, niſi ex cauſa neceſſarię conſeruationis locorum eorundem facta fuerint, poſt publicationem præſentium facere omnino interdicimus, ac prohibemus, & ſi ſecus à quoquam factum, attentatúmue fuerit, melioramenta quæcunque per eos contra tenorem preſentium facta locis ipſis cedere, & cameram ad illorum ſatisfactionem minime teneri, & obligatam eſſe volumus, & declaramus. Decernentes præſentes literas ſub quibuſuis reuocationibus, caſſationibus, derogationibus, & aliis cõtrariis diſpoſitionibus, ſub quibuſuis tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis minime comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinũ ſtatum reſtituras, & de nouo conceſſas eſſe, & cenſeri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ciuitatum, & locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteríſque contraris quibuſcunque.

que. Sic igitur deuotionis, & fidei conſtantia Ciuitatum, & locorum præfatorum erga nos, & ſucceſſores noſtros, & eandem Romanam Eccleſiam perſeueret, vt merito integritatis virtus maiora beneficia ab eadem ſede conſequi mereatur. Volumus autem, quòd ſicut omnes, & ſinguli Cardinales præſentes Conſtitutionẽ huiuſmodi quantũ in eis erit obſeruare, illíque non contrauenire, nec Pontificibus contrafacientibus conſentire, aut abſolutionem à iuramento præſtito non petere, nec oblatam, aut conceſſam accepta re in conſiſtorio noſtro ſecreto promiſerunt, & iurarunt, idem per abſentes Cardinales à Conſiſtorio in habitatione eorum, & à Romana curia, vt quandocunque ad eandem curiam ſe contulerint, ac per futuros pro tẽpore Cardinales in Aſſumptione Pilei promitti, & iurari debeat, ac promiſſionem, & iuramentũ huiuſmodi in formula iuramenti per eoſdem Cardinales præſtari ſoliti adiungi, & inſeri debere. Ac contrafacientes pœnam periurij, & perpetuæ infamię iuris, & facti eo ipſo incurrere decernimus. Præterea quòd ipſi Cardinales, occurente Apoſtolicæ ſedis vacatione in conclaui, quando de obſeruandis literis Iulij PP. ij. prædeceſſoris noſtri ſuper electione Romani Pontificis, & aliis conſtitutionibus iuramentum præſtare ſolent, etiam de inuiolabiliter obſeruanda præſenti conſtitutione noſtra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & poſtmodũ idem ad Summi Pontificatus faſtigium aſſumptus, poſt eius aſſumptionem hoc ipſum promittere, ac iurare, & deinde poſt coronationem ſuam promiſſionem, & iuramentum huiuſmodi per literas ſuas ſpeciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod ſi illud à Pontifice, quod credendum non eſt, recuſabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo conſiſtorio ſecreto, & præcipue eorum Decanus, & capita ordinum apud eum omni cum inſtãtia, & inſtantiſſime pro præſentiũ obſeruatione petere, & rogare, ac obteſtari non ceſſent, idque vt omnino ef-

ficiat, diligentissimè curare studeant, statuimus, & ordinamus. Quodque præsentes litteræ in libellum redigantur, & post prædictas Iulij literas, quæ in dicto conclaui legi solent, inter alias cõstitutiones nostras adiungantur, & etiam in quinterno Cancellariæ Apostolicæ cum aliis extrauagantibus nostris describantur, ac ad valuas Basilicę Beati Petri Principis Apostolorũ, & in Cancellaria nostra Apostolica, ac acie Campi Floræ publicentur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, decernimus etiam, & declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbique in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, reuocationis, decreti, statuti, interdicti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quarto Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Cum autem, eæ literę ad retinendam sedis Apostolicę dignitatem valde pertineant, nobis nihil optabilius fuit, cum primum ad summi Apostolatus apicẽ diuina nos clementia euocauit, quam vt ipsis, primo quoque tempore præsentium nostrarum robur adiũgeremus. Quocirca prædictas literas, & omnia in eis contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium comprobamus, confirmamus, & innouamus, volumúsque eas perpetuo obseruari, & ita iuramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ comprobationis, confirmationis, innouationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

tionem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis dominicæ, Millesimo Quingentesimo septuagesimo secundo, sexto Kalendas Iunij, Pontificatus Nostri Anno Primo.

M. Dat.

Cæ. Glorierius.

Anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Indictione decimaquinta, Die vero sabbathi, sexta mẽsis Septembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno primo, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis lateranen sis, & Beati principis Apostolorum Cancellariæ apostolicæ, & In acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Ioannem bella Guardia, & Scipionem de Octauianis prædicti Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Philibertus Chapusius Magist. Curs.

CONSTITVTIONES S. D. N. D. *Gregorij Papæ XIII.*

Regulæ Cancellariæ Apostolicæ.

Sanctissimus in Christo pater, & D. N. D. Gregorius diuina prouidentia Papa XIII. suorum prædecessorum vestigiis inhærẽdo, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens, in crastinum assumptionis suæ ad summi apostolatus apicem videlicet die quartadecima mẽsis Maij Anno ab Incarnatione Domini millesimo quingẽtesimo septuagesimo secũdo, Reseruationes, Constitutiones, & Regulas infrascriptas fecit, quas etiam extunc suo tempore duraturas obseruari voluit, & quas nos Alexander Episcopus Tusculanen. Cardinalis Farnesius nuncupatus sanctę Romanæ Ecclesiæ vicecancellarius vltima eiusdem mensis in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

Reser

Reseruationes generales,& speciales.

1 In primis reseruationes fecit similes illis, quæ in Constitutione fel. record. Benedicti Papæ XII. quæ incipit,Ad regimen,continetur,& illas locum habere voluit, etiam si officiales in eadem constitutione expressi Apostolicæ sedis officiales ante obitum eorum esse desierint,quo ad Beneficia,quæ tempore,quo officiales erant,obtinuerãt. Ac reseruauit beneficia,quę per constitutionẽ Ioannis Papæ vigesimisecundi,quę incipit,Execrabilis,vacant,vel vacare contigerit.

Reseruatio Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum.

2 Item reseruauit generaliter omnes ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, necnon omnia Monasteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia,& voluit, quòd excessus huiusmodi in litteris exprimatur.

Reseruatio dignitatum,necnon suorum,& S.R.E. Cardinalium familiarium beneficiorum.

3 Itẽ reseruauit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates maiores post Põtificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis Ecclesiis,necnon, valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedẽtes,principales in collegiatis. Reseruauit etiam Priorratus,Præposituras,Præpositatus, ac alias dignitates conuentuales,& præceptorias generales ordinũ quorumcunque,sed non Militiarum. Ac quæcũque beneficia, quæ sui etiam, dum Cardinalatus fungebatur honore,existentes,ac S. R. E. viuentium nunc, & qui erunt suo tempore Cardinalium familiares, continui commensales, obtinent, & in posterum obtinebunt, eorum familiaritate durante,ac in quibus,seu ad quę ius eis competit,aut competierit, etiam si ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem, vel alias recesserint,declarans dignitates, quæ in Cathedralibus

dralibus etiam Metropolitan. post Pontificales non maiores existunt, & quæ ex Apostolicæ sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta,vel alias quouis modo in collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur, sub reseruatione prædicta comprehendi debere.

Reseruatio beneficiorum Collectorum,& Subcollectorum.

4 Itẽ reseruauit generaliter omnia beneficia ecclesiastica quorumcunque collectorum, & vnitorum inquacunque ciuitate,vel diœcesi, qui suo tempore eorum officia exercuerint,subcollectorum fructuum,& prouentuum camerę apostolicæ debitorum,illa videlicet beneficia duntaxat, quæ durante eorum officio obtinuerint,& in quibus,seu ad quæ ius tũc eis competierit.

Reseruatio beneficiorum Curialium, dum curia transfertur.

5 Item reseruauit omnia, & singula beneficia ecclesiastica quorumcunque curialium, quos, dum Curia Romana de loco ad locum transfertur,eam sequẽdo, decedere contigerit in quouis loco,quantumcunque etiam à dicta curia remoto.

Reseruatio beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

6 Item reseruauit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suæ omnia beneficia Cubiculariorum, & Cursorum suorum.

Reseruatio beneficiorum ecclesiarum S. Petri,& S. Ioannis Lateranen.ac beatæ Mariæ maioris de Vrbe, ac beneficiorum titulorum Cardinalium à curia absentium.

7 Item reseruauit dispositioni suæ generaliter quæcunque canonicatus,& prębendas,ac dignitates,personatus,& officia in principis Apostolorum, & sancti Ioannis

Ioannis Lateranen. ac beatæ Mariæ maioris de vrbe ecclesiis, nec non ad collationem, prouisionem, & præsentationem, seu quamuis aliam dispositionē S.R.E. Cardinalium à Romana Curia absentiū ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum spectantia, quandiu absentia sua durauerit, canonicatus, & præbendas, dignitates, personatus, administrationes, & officia, cæteráque beneficia ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, vacantia, & inantea vacatura, tam in eadem Vrbe, quam in ecclesiis, ciuitatibus, & diœcesibus dictorum Episcopatuū consistentia, ac decreuit irritum &c.

De literis in forma Rationi congruit expediendis.

8 Item voluit idem D. N. Papa, quòd concessa per fel. record. Pium Papam Quintum prædecessorem suum, & de eius mandato expediantur in forma Rationi congruit, sub die coronationis suæ, vt moris est, & idem quo ad concessa per piæ mem. Pium Papam quartum etiam prædecessorem suum ad ses mensesduntaxat ab ipso die coronationis incipiendos obseruari voluit.

Declaratio reseruationis Ecclesiarum, & Beneficiorum per prædecessores reseruatorum.

9 Item declarauit omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum prouisiones, quas prædicti prædecessores sui ordinationi, & dispositioni eorum, Necnon omnia, & singula beneficia ecclesiastica, quæ dicti prædecessores etiam præfatæ dispositioni cum interpositione decreti reseruauerāt. Quæ quidem Ecclesiæ, & Monasteria, necnon sic reseruata beneficia tempore obitus eorundem prædecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel Monasteria huiusmodi si commendata, vel eis administratores deputati non fuissent, etiā tunc vacassent, remansisse, & remanere per huiusmodi reseruationem, & decretum affecta, nullúmque de illis præter Romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse

tuisse quoquomodo. Decernens irritum, & inane, si secus super illis attentatum forsan erat tunc, vel in posterum contigerit attentari.

Reualidatio literarum prædecessorū gratiæ, & iustitiæ infra annum concessarum.

10 Item, prædictus D.N. omnes, & singulas ab ipso Pio V. prædecessore suo infra annum ante diem obitus eius concessas gratiæ, vel iustitiæ literas, temporibus debitis eorum executoribus non præsentatas, omnino reualidauit, & in statum pristinum (in quo videlicet ante fuerant, & eorum vel pro quibus erant obtentæ) quo ad hoc plenarie restituit: ac decreuit per executores prædictos, vel ab eis subdelegandos, perinde ad ipsarum executionem prœcedi posse, & debere, ac si executio huiusmodi temporibus prædictis inchoata fuisset.

Reuocatio vnionum.

11 Item rationabilibus suadentibus causis, ipse D. N. omnes vniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, & dismembrationes etiam perpetuas de quibusuis Cathedralibus, necnon aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis ecclesiasticis, eorumue domibus, prædiis, & locis percessū, vel decessum, aut quamuis aliam dimissionem, vel amissionem, qualiacunque fuerunt, inuicem, vel aliis ecclesiis, monasteriis, & mensis, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, ac piis, & aliis locis, vniuersitatibus etiam studiorum generalium, & collegiis etiam in fauorem S. R. E. Cardinalium, seu ecclesiis, monasteriis, & beneficiis per eos obtentis quomodolibet apostolica, vel alia quauis, non tamen Concilij Tridentini auctoritate factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum, Ac quæcunque concessiones, & mandata super vnionibus, annexionibus, incorporationibus, ac aliis præmissis taliter faciendis reuocauit, cassauit, & irritauit, nulliúsque decreuit existere firmitas

firmitatis,nec alicui quaſcunque clauſulas, vel adiectiones in quibuſuis apoſtolicis, etiam quæ Motu proprio,aut ex certa ſcientia, & conſiſtorialiter proceſſerant,& emanauerant literas,etſi in eis decretum eſſet,illas extunc effectum ſortitas eſſe,aut ius quæſitum fore,quomodolibet contenta, aduerſus reuocationem, caſſationem, & irritationem huiuſmodi voluit aliquatenus ſuffragari.

Reuocatio facultatum quibus conceſſarum.

12 Item reuocauit quaſcunque facultates conceſſas quibuſuis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis prælatis, & perſonis, necnon Apoſtolicæ ſedis Nunciis,ac fructuum,& prouentuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum collectoribus, de diſpenſando cū quibuſuis perſonis ſuper matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito,ac natalium,& ætatis defectibus, & de incompatibilibus beneficiis eccleſiaſticis inſimul retinendis. Necnon de Notariis publicis creandis, ac de diſponendo quomodolibet de quibuſuis beneficiis eccleſiaſticis,& alias à premiſſis officia ipſorum Nunciorum, & Collectorum directe non concernentes,Necnon facultates, & indulta quibuſuis Cardinalibus, ac aliis perſonis, etiam ad vitam de quibuſuis Beneficiis Eccleſiaſticis certarum ciuitatum,& diœc.in quibus ipſi non erant,nec vnquam fuerant veri ordinarij collatores, ſed de ipſorum ordinariorum conſenſu, aut etiam ſine ipſorum conſenſu,ſeu ſede Epiſcopali, vel etiam Archiepiſcopali vacan. diſponendi, au Vicarios perpetuos, ſeu etiam temporales,qui etiam Cardinalibus,au perſonis huiuſmodi Beneficia conferrent, vel commendarent,deputandi, aut ipſi Vicarij per quoſcunque Roman.Pont.prædeceſſores ſuos deputati fuiſſent, etiā perinde ac ſi veri, & non ficti inibi ordinarij collatores eſſent. Ac etiam cum decreto quòd diſpoſitiones de eiſdem beneficiis abſque eorundem Cardinalium, vel perſonarum conſenſu,etiam per ſedem apoſtolicam

cam pro tempore factę nullius eſſent roboris,quomodolibet conceſſa, etiam ſi in literis deſuper confectis ſint clauſulæ reſtitutoriæ, reintegratoriæ,& derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores, quas pro expreſſis haberi voluit,quo ad omnia in quibus facultates ipſæ non ſunt ſortitę effectum etiam ſi Nunciis eiſdem, dictæ ſedis legatis de latere, competens ſit conceſſa poteſtas. Decernes irritum &c.

Reuocatio facultatum conferendi Beneficia reſeruata.

13 Item reuocauit quaſcunque facultates, & literas deſuper confectas,per quas quicunque ſui prædeceſſores Romani Pont. quibuſuis perſonis ordinariā collationem, ſeu aliam diſpoſitionem Beneficiorum Eccleſiaſticorum de iure, vel conſuetudine habentibus,& quauis etiam Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali,vel alia dignitate,vel alio,non tamen Cardinalatus,honore fulgentibus, quauis conſideratione, vel intuitu,etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicę poteſtatis plenitudine conceſſerant, aut quandiu viuerent,vel ſuis eccleſiis, ſeu Monaſteriis præeſſent aut ad aliud tempus de Beneficiis Eccleſiaſticis generaliter reſeruatis ſeu affectis, ad eorum collationem, prouiſionem preſentationem,electionem,& quamuis aliam diſpoſitionem communiter, vel diuiſim ſpectantibus diſponere libere, & licite valerent, aut etiam ad id per eoſdem prædeceſſores Vicarij perpetui, vel ad tempus cōſtituti forent.

De actionibus numeralibus.

14 Item vt in apoſtolicis literis committendi crimen falſi peramplius tollatur occaſio,voluit,ſtatuit, & ordinauit, quod dictiones numerales, quæ in dictis literis ante Nonas & Idus immediate poni conſueuerunt, per literas, & ſyllabas extenſe ſcribantur, & illæ ex præfatis literis, in quibus huiuſmodi dictiones aliter ſcriptæ fuerint, ad Bullariam nullatenus mittantur.

De concurrentibus in data.

15 Item voluit, quòd de concurrentibus super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis illis, quibus gratiæ Motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias nõ habentibus, alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati, necnon colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas alias in Curia præsentes absentibus ab ea, ac inter presentes nõ beneficiati beneficiatis, & similiter inter absentes cæteris partibus oriundus non oriundo, & diœcesanus non diœcesano. In reliquis verò singuli, qui prius apostolicas desuper literas eorum executoribus præsentauerint, aliis in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione præferatur.

De non tollendo ius quæsitum.

16 Item ne per varias, quæ pro commissionibus seu mandatis, & declarationibus habendis in causis plerunque fiunt suggestiones, iustitia postponatur, idem D. N. decreuit, & declarauit suæ intentionis esse, quòd deinceps per quamcunque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel literas apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus huiusmodi, etiam si motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à Sanctitate sua emanauerint, vel de eius mandato faciẽdas, nulli ius sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

Regula de viginti.

17 Item voluit, quòd si quis infirmitate constitutus resignauerit aliquod beneficium, siue simpliciter, siue ex causis permutationis, vel alias dimiserit, aut illius Commendæ cessent, seu ipsius beneficij vnionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea infra viginti dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quauis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio huiusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

18 Item voluit, quòd si contingat ipsum alicui personæ de Parochiali Ecclesia, vel quouis alio beneficio exercitium curæ animarum parochianorum quomodolibet habente prouidere, seu mandare prouide ri, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat Idioma loci, vbi ecclesia, vel beneficium huiusmodi consistit, prouisio, seu mandatum, & gratia desuper, quo ad parochialem ecclesiam, vel beneficiũ huiusmodi, nullius sit roboris, vel momenti.

De non impetrando beneficium per obitum viuentium.

19 Item si quis supplicauerit sibi de beneficio quocunque tanquam per obitum alicuius, licet tunc, viuentis, vacante prouideri, & postea per obitum eius vacet prouisio, & quæuis alia dispositio dicto supplicanti per obitum huiusmodi denuo faciendæ nullius sint roboris, vel momenti.

De vnionibus & vnionum confirmatione.

20 Item voluit, quòd petentes beneficia ecclesiastica aliis vniri, teneantur exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem, tam beneficij vniendi, quam illius, cui vniri petitur, alioquin vnio non valeat: & semper in vnionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest: & idem voluit obseruari in confirmationibus vnionum factarum.

De mendicantibus transferendis.

21 Item de mendicantibus, qui ad alios ordines transierint pro tempore, voluit constitutionem fel. rec. Martini Papæ Quinti prædecessoris sui desuper factam, & in libro Cãcellariæ Apostolicę descriptam,

quæ incipit: Viam ambitiosæ cupiditatis &c. firmiter obseruari.

De male promotis.

22 Item de Clericis extra tempora à iure statuta, siue ante ætatem legitimam, aut absque dimissoriis literis ad sacros ordines se promoueri facientibus pro tempore, etiam voluit constitutionem piæ mem. Pij secundi similiter prædecessoris sui desuper editam, & in dicto cancellariæ Apostolicæ libro descriptam, quæ incipit, Cum ex sacrorum ordinum, &c. pari modo obseruari.

De Moneta.

23 Item declarauit idem D. N. quòd libra Turonen. paruorum, & florenus auri de Camera pro æquali valore in concernentibus literas, & Cameram Apostolicam, computari, & æstimari debeant.

De beneficijs vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

24 Item præfatus D. N. Papa voluit, decreuit, & ordinauit, quòd quæcunque concessiones, gratiæ, & mandata etiam Motu proprio, & cum derogatione huius constitutionis, quæ ab eo pro quibusuis personis emanauerint, de prouidendo eis de quibusuis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcunque ad Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, si huiusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promouendorum ipsorum præcesserint, Necnon quæcunque collationes, prouisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, ac quibusuis aliis beneficiis ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus, quæ per promouẽdos, vel assumẽdos ad quascunque præfaturas inter illarum vacationis, & huiusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis vbicunque resignari, vel aliàs dimitti contigerit, cum inde secutis pro tempore sint cassæ, & iritæ, nulliúsque roboris, vel momenti. De

De non iudicando iuxta formam supplicationum, sed literarum expeditarum.

25 Item cum ante confectionem literarum gratiá apostolica sit informis, voluit, statuit, & ordinauit idem D. N. quòd Iudices in Romana Curia & extra eam pro tempore existentes, etiam si sint S. R. E. Cardinales, causarum Palatij Apostolici Auditores, vel quicunque alij, non iuxta supplicationum signaturam super quibusuis impetrationibus, nisi in dicta Curia duntaxat sint commissiones iustitiam concernentes per Placet, vel per sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium iuxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ, sed iuxta literarum super eisdem impetrationibus, & concessionibus confectarum tenores, & formas iudicare debeant, Decernens irritũ &c. Et si literæ ipsæ per præoccupationem, vel alias minus bene expeditæ reperiantur, ad illorum quotum interest, instantiam ad apostolicam Cancellariã remitti poterunt per eius officiales, quibus huiusmodi tenores, & formas restringere conuenit, ad formas debitas reducendæ.

De regulis Cancellariæ producendis.

26 Item attendens D. N. Papa, quòd super habendis de Cancellaria Apostolica regulis, & constitutionibus inibi descriptis, faciliter per eos, qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi possit, ne consultum foret, quòd super earundem regularum, & constitutionum, quas iuxta varietatem occurentium causarum, & negotiorum aliquoties immutari conuenit, probando tenore, vel effectu testium plerunque tenacem desuper memoriã non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, & ordinauit, quòd deinceps quilibet ex Auditoribus causarũ Palatij apostolici, & alij etiam si sanctæ Romanæ Ecclesiæ sint Cardinales, in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate apostolica iudicibus etiam in causis actu pendentibus super huiusmodi tenore, vel effectu probando, dũtaxat stet, fidem-

que adhibeat cedulæ, seu scripturæ desuper à duobus de maiori parte quod danda sit, a tergo signatæ, & etiam duobus aliis literarum apostolicarum Abbreuiatoribus in ipsa Cancellaria auscultatę, & domini Vicecancellarij, seu dictam Cencellariam Regentis manu subscriptæ, vt moris est, quicquid autem secus fieri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti.

De surrogandis collitigantibus.

27 Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, & ne noui collitigantibus aduersarij dentur, prouidere, voluit, statuit, & ordinauit, quòd quoties deinceps aliquem super quouis ecclesiastico beneficio collitigantem in iure, vel ad ius, si quod forsan eius aduersario in dicto beneficio competierit, surrogari concesserit (dummodo præfatus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum aduersarium, postquam illud per triennium pacifice possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso iure, siue tunc vacet, vel cum vacauerit, impetrationes, vel concessiones etiam Motu proprio infra mensem ante concessionem huiusmodi factæ nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obuiare, qui viuentium beneficia, illorum præsertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum, impetrant, vt illis decedentibus, tanquam collitigantes in eorum iuribus facilius subrogentur, voluit, vt deinceps nullus in iure, vel ad ius in beneficio defuncti, quod illo viuente in casibus præmissis, vel simiilibus impetrauerit, aliquo modo subrogetur, ac subrogatio, vel gratia, si neutri, si nulli, seu nouę prouisionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur, quod etiam strictissime obseruari mandauit in impetrationibus beneficiorum per priuationem, & amotionem ex quibusuis criminibus, & excessibus forsan perpetratis, etiam si vsque ad diffinitiuam sententiam, quæ tamen in rem non

non transiuerit iudicatam, processum foret.

De verisimili notitia.

28 Item voluit, & ordinauit, quòd omnes gratiæ, quas de quibusuis beneficiis ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, sæcularibus vel regularibus per obitum quarumcunque personarum vacantibus, inantea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, & ante datam gratiarum huiusmodi tantum tempus effluxerit, quòd interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam eiusdem domini nostri verisimiliter potuerint peruenisse.

Non valeant commissiones causarum, nisi literis expeditis.

29 Item quòd omnes, & singulæ commissiones causarum, quas inantea fieri contigerit, obtentæ, vel occasione concessionum dumtaxat apostolicarum de beneficijs ecclesiasticis gratiarum, super quibus literæ apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi, nullius sint roboris, vel momenti, nisi ipsæ literæ infra terminum ad articulandum expediantur, & interim non sit vera lis, nec sit locus regulæ de subrogandis collitigantibus.

De impetrantibus beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

30 Item voluit, quòd impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicuius Cardinalis, teneatur exprimere nomen, & titulum ipsius Cardinalis, & si ille in Curia fuerit, eius ad id accedat assensus, alias desuper gratia sit nulla, & idem seruari voluit, si dicti familiares eorundem Cardinalium familiares esse desierint, seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint, quo ad beneficia quæ familiaritate priori durãte, obtinuerint, & in quibus priori ipsa familiaritate durante, ius eis competierit. Ita quod quo ad illa Cardinales, quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere concensum. Declarans præsentem constitutionem locum non habe-

re in illis beneficiis, quæ non solum ratione familiaritatis continuæ commensalitatis huiusmodi, sed etiam ratione officiorum, quæ familiares ipsi tempore obitus eorum in dicta Curia, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent dictæ dispositioni generaliter reseruata, vel affecta fuisse apparerent. Necnon illos, quo ad deffectum dictæ constitutionis, familiares eorundem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses fuisse probarentur. Decernens irritum &c.

Super eadem familiaritate.

31 Item idem D.N. ad euitendas lites, & contentiones, quæ ex præcedenti sua constitutione exoriri possent, vestigiis prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit, & ordinauit, quòd si beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum commensalium eorundem Cardinalium in futurum vacabunt, cessantibus apostolicis reseruationibus, ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta præcedenti constitutione non comprehendantur, quo ad hoc, vt in prouisionibus talium beneficiorum super expeditionibus literarum illius Cardinalis, cuius familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat, sed beneficia huiusmodi ad collationem, seu quamuis aliam dispositionem Cardinalis ordinarij collatoris, vt præfertur, libere spectare censeantur, & si apud Sedem Apostolicam beneficia huiusmodi per obitum dictorum familiarium vacauerint, tunc in prouisione talium beneficiorum super expeditione literarum illius Cardinalis exigatur consensus, si in Romana Curia præsens fuerit, ad quem eorundem collatio, vel dispositio, vt præfertur, pertinere deberet.

Signatura per Fiat præferatur alteri per Concessum.

32 Item voluit idem D. N. quòd concurrentibus eadem die super quocunque beneficio per Fiat, & concessum Signaturis, ex eis, per fiat etiam, vt petitur

titur, habens, alteri per concessum etiam Motu proprio habenti præferatur, etiam si in illa per concessum prægnantiores, & quantumlibet priuilegiatæ essent clausulæ.

De annali.

33 Item S.D. N. vt improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, & ordinauit, quòd quicunque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate præcedentem pacifice possessum, & quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetrauerit, nomen, gradum, & nobilitatem possessoris eiusdem, & quot annis illud ipse possederit, ac specificam, & determinatam, ex qua clare poterit constare, quòd nullum ipsi possessori indicto beneficio ius competat, causam in huiusmodi impetratione exprimere, & infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium euocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum vsque ad sententiam diffinitiuam inclusiue prosequi debeat, & teneatur. Alioquin impetratio prædicta, & quæcunque inde secuta nullius existant firmitatis, & idem impetrans de damnis, & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus, ei satisfacere: &, si possessorem ipsum iniuste, friuole, & indebite, molestasse repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persoluere Cameræ Apostolicæ sit astrictus, nec alius quam præmissæ vacationis modus etiam per literas, si neuri, aut surrogationis, aut alias sibi, quo ad hoc vt beneficium huiusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus inantea litigiosum propterea censeatur, quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cuiuscunque qualitatis per priuationem, & amotionem, vel alias propter commissa, excessus, & crimina vacantia, vel vacatura, & similiter ad impetrantes beneficia tanquã vacantia per deuolutionem.

De triennali possessore.

34 Item statuit, & ordinauit idem D.N. quòd si quis

quæcunque beneficia ecclesiastica qualiacunque sint absque simoniaco ingressu, ex quouis titulo apostolicâ, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis huiusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, prouisio, electio, & præsentatio, seu quæuis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit (dummodo in beneficiis huiusmodi, si dispositioni apostolicæ, ex reseruatione generali, in corpore iuris clausa reseruata fuerint, se non intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat. Necnon impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis possessis factas, irritas, & inanes censeri debere decreuit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

De non appellando ante diffinitiuam sententiam.

35 Item idem D.N. vt finis litibus celerius imponatur, & litigantium parcatur sumptibus, & expensis, suorum prædecessorum constitutionibus, & statutis inhærendo, statuit, & ordinauit, quòd in causis in Romana Curia pendentibus, & quas in posterum contigerit agitari, nulli ante diffinitiuam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitiuæ, vel à grauamine minime concernente negotium principale, quod non possit per appellationem à diffinitiua sententia reparari. Nullæque causæ appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quòd interlocutoria vim diffinitiuæ habeat, vel grauamen sit tale, quòd in appellatione à diffinitiua non valeat reparari. Alioquin appellationes, & commissiones in posterum, & quicquid inde secutum fuerit, nullius sit roboris, vel momenti, commissionibus appellationum iam iudicibus præsentatis, & exhibitis in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis secundo, vel vlterius ab eis non liceat appellare. Appellantes vero, & appellationes etiam ab interlocutoriis, & grauaminibus huiusmo

huiusmodi suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, vltra expensas, & damna, ad quæ resarcienda de iure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna mulctetur.

Non stetur commissioni post conclusionem.

36 Item statuit, & ordinauit, quod in commissionibus de iustitia, seu mandatis etiam consistorialibus per eum, seu de eius mandato, vel auctoritate in causis, in quibus conclusum existat, in posterum concedendis, etiam si in eis de conclusione huiusmodi implicite, vel explicite mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem commissioni huiusmodi derogetur expresse.

De literis religiosorum expediendis.

37 Item voluit, & ordinauit, quòd si aliqui religiosi petunt aliquod beneficium ad nutum amouibile, cum clausula, quòd exinde pro solo nutu Abbatis, vel superioris amoueri non possint, literæ quo ad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in signatura, quòd non possit amoueri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

De clausula ponenda in literis permutationum beneficiorum.

38 Item si committatur alicui beneficij resignationis receptio, ponatur clausula, Attente quoque prouideas &c. Et, si ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula, quòd neuter permutantium ius acquirat, nisi quilibet ipsorum ius habuerit in beneficio per ipsum resignato.

De supplendis defectibus.

39 Voluit, quòd si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus literæ desuper concedantur, nisi in petitione desuper huiusmodi defectus exprimantur, vel per fiat, vt petitur supplicatio signata fuerit.

De derogatione iurispatronatus.

40 Item voluit, quòd super quouis beneficio ecclesiastico, de iurepatronatus laicorum, non expediantur literæ, nisi ponatur expresse, quòd tale beneficium

tanto

tanto tempore vacauit, quod eius collatio ad Sedem Apostolicam legitime est deuoluta, vel quia tempus patronis laicis ad præsentandum à iure præfixum, lapsum existat, aut ad id patronorum ipsorum accedat assensus. Et, si per ipsum iuripatronatus huiusmodi derogari contigerit, si ius huiusmodi ad aliquē Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat, & de hoc in literis prouisionis, vel mandati de prouidendo de dicto beneficio mentio facta nō fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De commendis.

41 Item voluit, quòd nulli sæculari de regulari, nec religioso de sæculari beneficiis commenda detur, nisi in signatura per clausulam ad partem super petitione commendæ huiusmodi de commenda ipsa mentio fiat.

De reformationibus.

42 Item voluit, statuit, & ordinauit, quòd super quibuscunque reformationibus signatis super impetrationibus quorumcunque beneficiorum vacantium vel certo modo vacaturorū, in quibus petitur, quòd literæ super prima data expediri possint, si ex huiusmodi expeditione sub tali data cuiquam videatur posse fieri præiudicium, literæ huiusmodi sub ipsa prima data nullatenus expediantur, nisi reformationes huiusmodi per fiat sub prima data signatæ fuerint.

De consensu in resignationibus, & pensionibus.

43 Item voluit, & ordinauit, quòd super resignatione cuiuscunque beneficij ecclesiastici, seu cessione iuris in eo quam in manibus suis, vel in Cancellaria apostolica fieri contigerit, apostolicæ literæ nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in Romana Curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum expeditioni huiusmodi in eadem Cancellaria expresse consenserit, & iurauerit, vt moris est, & si ipse resignantem, vel cedentem pluries super vno & eodem

eodem beneficio in fauorem diuersarum personarū successiue consentire contigerit, voluit Sanctitas sua, quòd primus consensus tenere debeat, & alij posteriores consensus, ac literæ illorum prætextu etiā sub priori data expeditæ, pro tempore nullius sint roboris, vel momenti. Nec literæ reseruationis, vel assignationis etiam Motu proprio cuiusuis pensionis annuæ super alicuius beneficij fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolucre tunc habebit.

De ingressu Religionis.

44 Item non dentur literæ super beneficiis vacaturis per ingressum Religionis, nisi ille præcesserit data desuper petitionis.

Non valeat impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

45 Item voluit, quòd si petatur aliquod beneficium vacans per modum in Cancellaria apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec literæ desuper expediantur.

De executione facienda.

46 Item voluit, & statuit, & ordinauit, quòd quotiescunque per signaturam suam, vel de eius mandato factam super exequendis aliquibus cum adiectione proprij nominis, vel dignitatis cuiusuis iudex datur, literæ desuper expediantur, cū expressione, quòd idem iudex executionem faciat per seipsum.

De dispensationibus in gradibus consanguinitatis.

47 Voluit, quòd in literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut alias prohibito, ponatur clausula, si mulier rapta non fuerit, Et si scienter, ponatur clausula addita in quaterno.

Super defectu natalium.

48 Voluit, quòd in dispensationibus super defectu natalium, quòd possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula, quòd non præiudicetur illis, ad quos successio bonorū ab intestato pertinere debeat.

Super dispensationibus.

49 Item, quòd per quamcunque signaturam in quibus gratia nullatenus dispensatio veniat, nisi dicta gratia totaliter effectum huiusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.

Nulli suffragetur dispensatio, nisi literis confectis.

50 Item cum concessiones super gratiis dispensationum quarumcunque quibusuis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per regulas Cancellariæ apostolicæ sint prouide limitatæ, licet aliquando petitionibus super huiusmodi concessionibus collatis multa sint petita, ne quis talium concessionum prætextu id dispensatiue tenere, aut facere præsumat, ad quod concessiones huiusmodi se non extendant, voluit idem D.N. quòd nulla talis dispensatio cuiquam in iudicio, vel extra suffragetur, antequam super eis literæ apostolicæ sint confectæ.

De clausulis ponendis in literis indulgentiarum.

51 Item voluit, quòd in literis indulgentiarum ponatur, quòd si Ecclesiæ, vel capellæ, vel alias aliqua indulgentia fuerit per ipsum concessa, de qua inibi specialis mentio facta nõ sit, huiusmodi literæ sint nullæ.

De indulgentiis concessis ad instar.

52 Item voluit idem D.N. quòd literæ super indulgentiis non expediantur ad instar, nisi specificentur.

De exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus.

53 Item voluit quòd in gratiis, quas quibusuis personis de beneficiis vacantibus seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit prouisum, vel eõcessum, aut mandatũ prouideri, verus annuus valor per Marchas argenti, aut sterlingorum, vel libras Turonenſiũ paruorum, seu florenorum auri, aut ducati, vel vncias auri, seu aliam monetam secundum communem æstimationem exprimatur, nisi personæ prædictæ beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ ius

ius eis competit, iuxta ipsarum oblationes, aut alias dimittere teneantur, alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ. Et idem seruetur in gratiis, quas à sanctitate sua Motu proprio emanare contigerit, quo ad beneficia, de quibus per Sanctitatem suam pro tempore prouidetur, seu prouideri mandatur, aut alias disponitur, Ac literis, per quas pro tempore ad ecclesiarum patriarchalium, & cathedralium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur, quòd Monasteria, & alia beneficia ecclesiastica secularia, & regularia per eos obtenta, & in quibus, & ad quæ ius eis competit, retinere possint.

De clausulis in beneficiis vacantibus ponendis.

54 Voluit, & ordinauit, quòd quando prouidet, seu mandat prouideri alicui de beneficio ecclesiastico vacãte tunc dari poterũt clausulæ, si petãtur, etiam si illud quouis modo, &c. seu per constitutionem execrabilis vacet, ac specialiter reseruatum inter aliquos litigiosum sit, & eius collatio deuoluta fuerit. Et si pro collitigãte, vel surrogationem, aut si neutri, vel si nulli &c. petente, si tunc lis specifice exprimatur. Nec detur aliqua generalis reseruatio dispositiuè, nisi desuper in concessione specialis, & expressa, ac pure, & nõ sub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reseruationes ibi contentæ veniant. Si vero tempore expeditionis inde literarum generalis reseruatio huiusmodi probari non possit, aut in nouis prouisionibus, seu pro collitigantibus, si neutri, vel si nulli, &c. sit expressum, quod ab aliquibus asseritur, illum, cuius beneficium conceditur, collectorem, vnicum subcollectorem, abbreuiatorem, vel familiarem, notarium, aut dictæ sedis officialem fuisse, clausula ponatur. Etiam si dictum beneficiũ ex eo quòd talis collector, vel vnicus subcollector, abbreuiator, vel familiaris, notarius, aut dictæ sedis officialis fuit, dispositioni apostolicæ generaliter reseruatum existat, dũmodo non sit in eo alicui specialiter ius quæsitum. In reliquis vero nulla clausula detur, vnde reseruatio generalis

Universidad de Deusto Biblioteca

ralis elici possit, nisi desuper signatura per duplex fiat signata sit, aut reformatio, vel aliàs specialiter habeatur.

De expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus.

55 Item voluit, quòd super beneficiis ecclesiasticis de qualitatibus illorum, videlicet an dignitates, personatus, vel officia sint, eisque cura immineat animarum, & ad illa consueuerint, qui per electionem assumi, mentio fiat, alias gratiæ desuper factæ sint nullæ, & si qualitates huiusmodi affirmatiue, vel conditionaliter non exprimantur, negatiua expresse desuper fiat in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueuerint habere.

De beneficijs vacantibus per contractum matrimonij.

56 Item si reseruetur beneficium per contractum matrimonij, non dentur alij modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reseruatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium, sedia beneficiis per promotionem, aut ingressum religionis, vel assecutionem vacaturis ponatur clausula, etiã si non petatur. Cum beneficia huiusmodi præmisso, vel alias quouis modo &c. præterquam per obitum obtinentis vacare contigerit, etiam si vacent.

De clausulis ponendis in literis Religiosorum.

57 Item voluit quòd si petatur aliquem in religiosum recipi, & sibi de quouis beneficio ecclesiastico prouideri per simplicem signaturam fiat, receptio huiusmodi duntaxat detur, adiecto, si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat, & exprimatur si certus numerus regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur. Et, si numerus iste non existat, ponatur, dummodo receptionis locus huiusmodi nimium propterea non grauetur.

De translatione Religiosorum.

58 Item si regularis petat sibi de beneficio ab aliquo monasterio, vel alio regulari loco dependente prouide

prouideri, & appareat ex petitione huiusmodi, quòd alterius monasterij, vel loci Religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominus illa veniat.

De clausula, si est ita.

59 Item quòd in literis super beneficiis per constitutionem execrabilis, vacantibus, ponatur clausula, si est ita, similiter de quibuscunque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti prouideri de vacaturo dentur literæ de vacaturo, & è conuerso.

60 Item petenti sibi prouideri de vacaturo, dentur literæ de vacaturo, & è conuerso, prout expedierit impetranti.

De mandatis Apostolicis, & executorialibus.

61 Voluit, & ordinauit, quòd mandata apostolica super sententiis in Romana Curia latis executioni demandandis sub bulla expediantur, alias sint nulla.

Reuocatio decimarum, & aliarum impositionum.

62 Item reuocauit quascunque decimarum, subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones, quæ à prefato Pio V. prædecessore suo ex quauis causa, etiam in subsidium expeditionis contra Turchas, & Orthodoxæ fidei hostes emanarunt, & quascunque facultates super decimarum, vigesimæ, & onerũ huiusmodi exactione quibusuis fructuum, & prouentuum Cameræ Apostolicæ debitorum collectoribus, & apostolicæ sedis Nunciis ab eodem prædecessore concessas. Suspendit quoque ad suæ sanctitatis, & sedis Apostol. beneplacitum quascunque plenarias indulgentias ab eodem prædecessore ex quauis causa etiam expeditionis huiusmodi concessas, si quæ per Nuncios, vel Quæstores deferebantur, Necnon deputandi, & eligendi confessores, qui plenarie absoluant, & alia faciant ad earundem indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates ipsas indulgentias quomodolibet concernentes, præterquam quo ad ea, in quibus indulgentiæ, & facultates in aliqua sui parte sint fortitę effectum, ita vt illis qui

implentes iniuncta eis in literis indulgentiarũ huiusmodi iam consecuti sunt, facultatem eligendi confessores, qui absoluant eos plenarie in mortis articulo, per huiusmodi suspensionem non præiudicetur, quin facultate ipsa vti possint in futurum. Decreuit quoque irritum, & inane quicquid facultatum reuocatarum eorundem prætextu in posterum contigerit attentari.

Reuocatio facultatum percipiendi pretium officiorum.

63 Item reuocauit, cassauit, & annullauit, ac irritas declarauit quascunque facultates percipiendi pretium officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium in toto, vel in parte, ac quasuis concessiones, & collationes, aliasque dispositiones per fel. record. Pium Papam V, prædecessorem suum de dictis officiis, etiam ex die collationum, concessionum, & dispositionum earundem inantea vacaturis in fauorem quarumcunque personarum, ecclesiarum, monasteriorum, piorum locorum, collegiorum, seu eorum mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, & ex titulo oneroso, & sub alia quauis verborum forma, quam, & præmissorũ tenores pro expressis haberi voluit, concessas, & factas, quo ad officia, quæ post obitum ipsius prædecessoris vacauerunt, & in posterum quomodolibet vacabunt.

Quod fructus in tertia parte augeri possit vigore clausulæ.

64 Item cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore vacantium, & certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus &c. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant à Sanctitate sua, vt huiusmodi valorem annuum augere possint, vt verius possit in confessione literarum super huiusmodi impetrationibus summa, ac valor ipse annuus exprimi pariter desuper non specificato, ne de virtute huiusmodi concessionis in posterum hæsitari contingat, declarauit prætextu concessionis huiusmodi valorem

lorem ipsum vsque ad tertiam partẽ valoris expressi, & in prima, quæ desuper fiet, literarum expeditione dumtaxat augeri posse, & eas, quas literis iam expeditis, cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto denuo desuper expediri contigerit literas cũ aliquo augmento valoris huiusmodi nullius esse roboris, vel momenti, etiam si Motu proprio beneficiales gratiæ, & dispositiones cumque à Sanctitate sua emanarent.

De insordescentibus.

65 Item ne personis, pro quibus literæ suæ sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem à censuris ecclesiasticis, quibus ligatæ forent, ad eorundem effectum indifferenter concedi, & in literis Apostolicis apponi solita præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insordescendi in illis, statuit, & ordinauit huiusmodi absolutionem, & clausulam in literis quas in futurũ, cum illa concedi continget, nõ suffragari non parentibus rei iudicatæ, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, falsificari procurantibus literas, & supplicationes apostolicas, & illis vtẽtibus, receptatoribus, & fautoribus eorum, acres vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti, ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel executores apostolicæ sedis, & eius officialium eis commissa exequẽtes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à iure, vel ab homine, per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam huiusmodi sustinuerint, & generaliter quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus, etiam alias, quam, vt præfertur, quomodoliber ligati, in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant vltra debitum.

66 Item idem D. N. exactionibus, quas sanctitas sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per officiales Romanæ Curiæ, qui constitutis sibi

emolumentis pro exercitio officiorum, quæ obtinẽt non contenti, vltra à prosequentibus negotiorum quorundam expeditionem in eadem exigere non verentur, obuiare volens, Districte præcipiendo inhibuit omnibus, & singulis quæuis officia in eadem Curia obtinẽtibus, ne de cętero quicquam prætextu officiorum, quæ obtinent, quouis colore etiam eclerioris expeditionis, vltra emolumenta huiusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorumque eis incumbunt, malitiosę differre, sub excommunicationis, & præter illam suspensionis à perceptione emolumentorum huiusmodi pro prima ad semestre, & pro secunda ad annatam, & pro tertia vicibus, quibus sic excederent, priuationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint pœnis. Ac voluit, quòd S.R.E. Vicecancellarius, Camerarius, & Maior Pœnitentiarius excedentes ipsos respective, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorundem, ac alias, vt præmittitur, compellant, & huiusmodi illicitis exactionibus abstinere, & contra eos per prædictas pœnas, & alias, prout melius expedire viderint, procedant.

Quòd Cardinales non comprehendantur sub regulis faciendis.

67 Item cum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales ipsi sanctissimo D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogatiuis, & priuilegiis gaudere, Idem D.N. statuit, ordinauit, decreuit, & declarauit, quòd in quibuscunque constitutionibus, & regulis per sanctitatem suam in posterum post hanc primam editionem, & suarum constitutionum, & regularum publicationem faciendis non includantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorundem Cardinalium fauorem concernant, vt ipsæ constitutiones edendæ, de eorundem Cardinalium, vel maioris partis eorum consilio editæ fuerint.

De potestate Reuerendissimi D. Vicecancellarij, & Cancellariam regentis.

68 Pri

68 Primo, quòd possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in literis apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item quòd possit corrigere nomina, & cognomina personarum, & beneficiorum, dumtamen de corpore constet.

Item, quòd possit omnes causas beneficiales etiam non deuolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item, quòd processus apostolica auctoritate decretos aggrauare possit cum inuocatione brachij sæcularis, & sententias executioni demandari facere contra intrusos, & introducendos per literas apostolicas desuper conficiendas, & non alias.

Item, quòd possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas de beneficiis ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus, dispositioni apostolicæ generaliter non reseruatis, quorum cuiuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen. paruorum, seu totidem in alia moneta secundum communem æstimationem valorem annuum non excedat.

Item, quòd possit signare supplicationes, etiam duorum Referẽdariorum manibus signatas de nouis prouisionibus si neutri, & subrogationibus pro colitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reseruationem importans.

Item, quòd possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus vsque ad proxima tunc à iure statuta tempora, in quibus sic arctati successiue ad ipsos ordines promoueantur.

Placet, publicentur, & describantur V.

Lectæ, & publicatæ fuerunt suprascriptæ regulæ, ordinationes, & constitutiones Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnatiõis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, die vero sab-

bathi vltima mensis Maij, Pontificatus S.D.N.Gregorij diuina prouidentia Papæ decimitertij, Anno primo.

Claudius Ceccholinus Custos.

Reseruatio mensium Apostolicorum, & alternatiua pro Episcopis residentibus.

69 Sanctissimus in Christo pater, & Dominus noster Dominus Gregorius diuina prouidentia Papa XIII. cupiens pauperibus clericis, & aliis benemeritis personis prouidere, omnia beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumuis ordinum regularia qualitercunque qualificata, & vbicunque existentia in mensibus Iulij, Augusti, Octobris, Nouembris, Ianuarij, Februarij, Aprilis, & Maij, vsque ad quinquennium à die publicationis præsentis constitutionis computandum, extra Romanam Curiam alias quam per resignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, & quamuis aliam dispositionem quorumcunque collatorum, & collatricum sæcularium, & quorumuis ordinum regularium (non tamen S.R.E. Cardinalium, aut aliorum sub concordatis inter sedem apostolicam, & quoscunque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & obseruare debuerunt, acceptatis, & obseruatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni suæ generaliter reseruauit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus etiam Motu proprio fient, de mense in quo vacauerint dispositiue mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse. Ac priuilegia & indulta apostolica disponendi de huiusmodi beneficiis, aut quod illa sub huiusmodi reseruationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusuis derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis quibusuis personis, & collegiis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis,

dinis, & conditionis existentibus quomodolibet concessa, aduersus reseruationem huiusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis, quandiu apud Ecclesias, aut diœceses suas personaliter residerint duntaxat, de omnibus, & quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus, & regularibus, ad liberam ipsorum dūtaxat, non autem aliorum cum eis, dispositionem, seu præsentationem, vel electionem pertinentibus, quæ inantea mensibus Iunij, Augusti, Octobris, Decembris, Februarij, & Aprilis extra curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni apostolicæ reseruata, vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem concessit: Ac etiam voluit quòd, si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus videlicet Iulij, Septembris, Nouembris, Ianuarij, Martij, & Maij vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, vt præfertur, reseruauit) seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ sedis alias quomodolibet reseruatorum, vel affectorum sese intromiserint, aut quominus prouisiones, & gratiæ Sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo præstiterint, vsu, & beneficio prædictæ facultatis eo ipso priuati existant, ac collationes, & aliæ dispositiones de beneficiis illius prætextu deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi verò, qui gratiam alternatiuæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem huiusmodi per patētes literas suo sigillo munitas declarare, & literas ipsas huc ad Datariū Sāctitatis suę transmittere teneantur. Quibus ab eo receptis, & recognitis, tunc demum, & non antea vti incipiant gratia supradicta, Decernens in prædictis omnibus per quoscunque &c. iudicari debere. Ac irritum &c.

Placet, publicetur, & describatur. V.

Lecta, & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancellaria apostolica Anno Incarnationis

Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, die vero Iouis vigesima sexta mensis Iunij, Pontificatus Sanctissimi D.N.D.Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Primo.

Claudius Ciccholinus Apostolicæ Cancellariæ Custos.

Prorogatio expeditionum fe.rec. Pij Papæ IIII.

70 Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Gregorius diuina prouidentia Papa XIII. qui in crastinum suæ assumptionis ad summi Apostolatus apicem per certam constitutionem suã voluerat, quòd concessa per fe.rec. Pium Papam V. prædecessorem suum, & de eius mandato expeditentur in forma, Rationi congruit, sub die coronationis suæ, vt moris est: Et idem quo ad concessa per piæ memoriæ Pium Papam Quartum etiam prædecessorem suum ad sex menses duntaxat ab ipsa die coronationis incipiendos, obseruari voluerat: Volens ipsorum, qui literas super concessis per eundem Pium Quartum prædecessorem nondum expediuerint, indemnitati consulere, dictos sex menses ad alios sex menses à fine primo dictorum sex mensium computandos, prorogauit.

Placet, publicetur, & describatur. V.

Lecta, & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancellaria Apostolica Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, die verò Sabbathi octaua mensis Nouembris, Pontificatus præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ Anno primo.

Claudius Ciccholinus Custos.

Eiusdem pro Hospitali Corcyrense ad subleuationem militum Christianæ Classis infirmorum, ac sauciorum nouiter erecti.

GRegorius Papa XIII. Vniuersis & singulis Christifidelibus ad quos præsentes nostræ literæ peruenerint, salutem, & apostolicam benedictionem.

Cum, sicut accepimus, fe.rec. Pius Papa V. prædecessor noster cupiens, vt omnes milites, & aliæ personæ classis confœderatorum Principum Christianorum contra Turcas instruendæ, ob morbos, & vulnera curatione indigentes, commode iuuarentur, ac sanarentur, opportune prouidere, per suas in forma breuis literas omnes Christifideles hortatus fuerit, vt pro subuentione Hospitalis Corcyrensis, in quo eiusdē classis infirmi, & vulnerati benigne, & charitatiue recipiēbantur, & curabuntur, aliquod subsidium de bonis sibi à Deo collatis, prompte errogare vellent, aliaque tunc expressa, ad hoc pertinentia fecerit, & ordinauerit, prout in dictis literis plenius continetur. Nos pro nostri pastoralis officio, nobis diuinitus iniuncti sollicitudine, pro animi affectu considerantes, quam necessarium sit ad dictorum infirmorum, & sauciorum subuentionem liberale dicto Hospitali benefaciendi Christifidelium studium, sperantesque bonos, & pios homines id libenter, & alacriter esse facturos, præsertim animaduertentes quicquid per eos ad tam sanctum opus erogatum fuerit, id omne vel propinquorum, vel conterraneorum suorum, vel aliorum saltem christianorum commodum, qui in ipsa classe sunt, facile esse redundaturū. Idcirco dicti Pij prædecessoris vestigiis inhærentes, nos quoque omnes, & singulos christifideles tam in Italia, & Sicilia, quam alibi vbicunque locorum christiani orbis existentes, per immensam, & ineffabilem domini nostri Iesu Christi pietatem, ac misericordiam paterne, & ex animo, quantum possumus, hortamur, monemus, & enixe requirimus, vt pro dicti Hospitalis Corcyrensis subuentione pia subsidia, larga, & benigna manu quãprimum præstare, & conferre velint, confidentes in eo, qui hilares datores diligit, & remunerat, se ab ipso centuplum accepturos. Quocirca in virtute sanctæ obedientiæ mandamus omnibus, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum ordinariis, vt has nostras literas in eorum ciuita-

tibus,& diœcesibus diligenter publicari curent,& faciant,personasque primarias sæculares, vel ecclesiasticas fide,& facultatibus idoneas,ad petendas,quærendas,& colligendas pro præmissis eleemosynas, constituant,& circummittant, quæ in manibus Metropolitanorum statim tradi, & consignari debeant, vt illi eas quamprimum, prout vnicuique magis commodum fuerit,ad Bailum Reipublicæ Venetæ, Corcyræ existentem, transmittere possint. Qui ipsas in hospitalis subuentionem, & infirmorum prædictorum sustentationem,& non alios vsus, exponere omnino teneatur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Præsentibus, quarum transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis,eandem fidem haberi volumus, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ,vel ostensæ, ad triennium proxime futurum duraturis. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo, piscatoris, die decimatertia Iunij, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæ.Glorierius.

Thomas Gilius Soræ Episcopus, & Thesaurarius Apostolicus, deputatur Collector Generalis spoliorum ecclesiasticorum in vniuersa Italia.

GRegorius Papa XIII. Venerabilis frater salutē, & apostolicam benedictionem. Cum(sicut accepimus)nonulli res, & bona mobilia, & immobilia,ac se mouentia, ex fructibus beneficiorum ecclesiasticorum acquisita per obitum Prælatorum, & aliarum quarumcunque personarum ecclesiasticarum sæcularium, & quorumuis ordinum regulariū, quæ extra hanc almam Vrbem decesserunt, remanentia, & relicta, quæ tanquam spolia alias fe.re.Paulus Papa iij. prędecessor noster ad Cameram apostolicam spectare,& pertinere decreuit,& declarauit, necnō fructus, redi

reditus,& prouentus mensarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum cathedralium ecclesiarū, & monasteriorum in tota Italia consistentium, & per obitum illorum Prælatorum vacantium indebite occupare,& spoliis,ac fructibus reditibus, & prouentibus huiusmodi dictam Cameram defraudare præsumpserint,& præsumant, in animarum suarum periculum ipsiusque Cameræ præiudicium non paruum: Nos pro nostri pastoralis officij debito talium personarum ausus temerarios reprimere, & ne spolia, ac fructus huiusmodi in posterum dissipentur,opportune prouidere volentes,ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine omnes,& quascunque dictorum spoliorum, & fructuum per totam Italiam ad hunc vsque diem, quomodolibet deputatos collectores,& subcollectores primum, & ante omnia reuocantes, omnemque illis desuper attributam potestatem, & auctoritatem abdicantes, te, de cuius fide, integritate, & diligentia plurimum in Domino confidimus, nostrum, & dictæ Cameræ, in vniuersa Italia spoliorum ad ipsam Cameram pertinentium, necnon fructuum,redituum, & prouentuum mensarum huiusmodi collectorem generalem auctoritate apostolica,tenore præsentium,quoad vixeris,& quādiu Thesaurariatus nostri generalis officium obtineris,constituimus, & deputamus:Dantes tibi plenam,& omnimodam potestatem,& auctoritatē omnes,& singulas res, & bona quæcunque mobilia, & immobilia, ac se mouentia spolia nuncupata huiusmodi, & etiam illa, quæ ex fructibus, reditibus, & prouentibus ecclesiasticis empta, ædificata, refecta, & restaurata fuerint,seu alias ex eisdem fructibus, & prouentibus, quomodolibet prouenerint, per obitū quarumcunque personarum ecclesiasticarum, sæcularium,& beneficia non simplicia, sed administrationem habentia obtinentium, & quo ad beneficia simplicia, nisi ex priuilegio apostolico eis concesso, seu ex consuetudine legitime præscripta,in loco vigente testari

testari valentium, & quorumuis ordinum regularium, quauis etiam Pontificali dignitate fulgentium, in vniuersa Italia extra tamen dictam Vrbem, pro tempore descedentium remansura, & relicta, cuiuscunque qualitatis, generis, & speciei fuerint, etiam gemmas, & alia pretiosa, & pecuniarum summas, necnon etiã fructus, reditus, & prouentus mensarum huiusmodi à die ecclesiarum, & monasteriorũ vacationis huiusmodi, vsque ad diem præfectionis, ac prouisionis seu commendæ de illis faciendis, quos omnes, & singulos, fructus, reditus, & prouentus ad nos, & dictã Cameram spectare, & pertinere volumus, & decernimus, & eidem Cameræ appropriamus, & applicamus, nostro, & prædictæ Cameræ apostolicæ nomine colligendi, percipiendi, exigendi, & recuperandi, tam super illis quam aliis quibuscunque spoliis, quæ hactenus in ipsa Italia, per similium personarum obitum, aut alias remanserunt, & indebite vsurpantur, omnibus viis, & modis inquirendi, & inuestigandi, & pro faciliori inquisitione quascunque personas cuiuscunque dignitatis, status gradus, ordinis, & præeminentiæ fuerint, etiam exemptas, ac præteritos collectores, & subcollectores ad coram te, vel alio, seu aliis à te deputandis, comparendum, necnon de administratis exactis, & receptis per eos computum, & rationem reddendum, illosque quorum restimonio indigere cognoueris, ad se examini subiiciendum, ac spoliorum, necnon fructuum, redituum, & prouentuum huiusmodi occupatores, & detentores ad spolia, fructus, reditus, & prouentus eadem relaxandum, & tibi consignandum, & soluendum, sub censuris, & pœnis ecclesiasticis per te infligendis, ac etiam pecuniariis, tuo arbitrio moderandis, & applicandis, monendi, & compellendi, ac contradictores quosliber, & rebelles ac renitentes censuras, & pœnas prædictas incurrisse declarandi, & illas aggrauandi, & reagrauandi, auxiliumque brachij sæcularis ad hoc, si opus fuerit, inuocandi, & super eisdem spoliis, & fructibus, reditibus,

tibus, & prouentibus pro dicta Camera, prout tibi videbitur, componẽdi, & concordandi, soluentesque de compositis ac solutis per eos, ac receptis absoluendi, & liberandi, necnon ad cor reuersos, si id humiliter petierint à censuris, & pœnis, si quas inciderint præuia satisfactione, absoluendi, & liberandi, ac in præmissis omnibus & singulis summarie simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, procedendi: Vnum quoque, vel plures loco tui cum simili, vel limitata potestate substituendi, & alia præmissa faciendi, subcollectores deputandi, & subdelegandi, illosque, quoties tibi videbitur, renocandi, cæteraque omnia, & singula faciendi, gerendi, & exequendi, quæ in præmissis & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna. Et insuper vt exactio spoliorum, ac fructuum, redituum, & prouentuũ huiusmodi celerius, & facilius fiat, quod de cætero omnes, & singulæ lites, causæ, & controuersiæ super quibusuis ipsorum spoliorum, ac fructuum, reddituum, & prouentuum negotiis, nunc, & pro tempore pendentes, à nullo alio quam à te, seu aliis super dictis spoliis, ac fructibus, reditibus, & prouentibus pro tempore deputatis collectoribus, aut subcollectoribus, aut particularibus delegatis cognoscí, nec alteri nisi per commissionem manu nostra signatam, vel per nostras literas committi, aut delegari possint, & citato moderno, & pro tempore existente dictæ Cameræ Apostolicæ Commissario generali: Quodque citationes, inhibitiones, vel mandata, quæ aliàs quàm ex commissionibus, vt præfertur, manu nostra signatis, eodemque commissario citato, vel literis nostris emanauerint, quo ad earumdem causarum introductionem, & litis pendentiam, seu tuorum ministrorum per te ad id deputandorum iurisdictionis, & processuum impedimentum, vel retardationem, nullius sint roboris, vel momenti, Quodque à sententiis per te, seu tuos ministros præfatos super præmissis pro tempore latis, nullatenus appellari, seu earum

execu-

executio differri aut suspendi nullatenus possit, aut debeat, nisi data prius bancharia cautione in forma depositi dicta auctoritate per easdem præsentes statuimus, & ordinamus, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, & ordinum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis ecclesiis, monasteriis, & ordinibus prædictis, eorumque Superioribus, Prælatis, & personis, ac quibusuis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dunxat, ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab apostolica sit sede indultum quòd interdici, suspèdi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die decima octaua Iunij, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem

Eiusdem constitutio contra famigeratores & menantes.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Ea est rerum humanarum infœlicitas, vt non vetera tantum vitia pertinaciter aduersus omnem legum latorum solertiam luctentur, & quamuis acribus compressa supplitiis renascantur, sed noua etiam in dies, & superioribus sæculis ignota succrescant. Quo nos, pro iuncto nobis diuinitus munere, diligentius adniti par est, vt & illa coerceamus, & horum, quæ se nunc primum efferunt, antequam se corroborent, radices ipsas si qua ratione possumus, amputemus. Cum igitur haud ita pridem in vrbe nostra secta quædam emerserit hominũ improbe curiosorum, qui quæcunque de publicis, priuatisque negotiis, vel alicunde rimari possunt, vel ipsi etiam pro sua libidine comminiscuntur, domi forisque facta, infecta, vera, falsa, nullo discrimine proponunt, recipiunt, & scriptitant, ita vt eius rei iam artem quasi quandam instituerint, ac plerique eorum, vili mercedula conducti, harum rerum cõmentariolos ex falsis plerumq; vulgi rumoribus, incerto auctore collectos, huc illuc missitent, aut etiam tanquam primum ex Vrbe ad diuersa loca missos, deinde iisdem illis ex locis in vrbem remissos circumferant, ac venditent, quibus non tantum de præteritis arbitratu suo nugantur, sed etiam quid ex hac, aut illa re euenturum sit, stolide vaticinantur. Nos, qui & facile prospicimus, & rerũ experimentis edocti sumus, quę, quantaque mala ex eo proueniãt, cum & sæpius spargũtur falsa pro veris, seu directe, seu oblique, ac quodam quasi colore quæsito, multorum existimatio, & fama violatur: his, ac talibus incommodis occurrere cupientes, huius constitutionis auctoritate prohibemus, ne quis in posterum tales commentarios conficere, néve ab aliis confectos recipere, describere, spargere, aut ad alios mittere audeat. Qui horum quid fecerit, ipso facto perpetua ignominiæ nota affectus, si-

ne vlla

ne vlla spe veniæ ad triremes aut perpetuo, aut ad tẽpus pro admissi qualitate damnetur. Qui vero huiusmodi commentariorum, aut scriptorum quicquam vndecunque, & à quocunque receperit, id quamprimum Vrbis nostræ gubernatori significare, & eidem omnia consignare debeat: quod si non fecerit, ipsum pœnis prædictis decernimus subiacere: Antiquis iuribus contra scribentes, aut emittentes libellos famosos editis nihilominus in suo robore duraturis. Volentes præsentiũ exemplis etiã impressis Notarij publici manu, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis eadem illam vbique fidem in iudicio & extra adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæ. Glorierius.
M. Datarius. H. Cumyn.

Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, indictione decimaquinta, die vero sabbathi, sexta mensis Septembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Primo, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt Romæ ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Beati Petri Principis Apostolorum Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Ioannem della Guardia, & Scipionem de Octauianis prædicti sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Philibertus Chapusius Mag. Curs.

Eiusdem de frumentorum, & leguminum extractione, ac solutione, eiusque per totum statum ecclesiasticum extensione.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam. Inter varias, & multi-

plices curas, quæ animo nostro infixæ hærere debent, ea non parum est momenti, vt ciuitatum, & locorum, quæ nostræ, & S. R. E. temporali ditioni subiecta sunt, defensioni, populorumque saluti, & securitati diligenter prospiciamus. Proinde attendentes ciuitatem nostram Anconitanam propter maris, & portus commoditatem, atque hostium propinquitatem præcipua cura, & vigilantia custodiendam esse, illius munitionem optimo consilio à prædecessoribus nostris ceptam absoluere, & validis eam militum præsidiis firmare decernimus. Sed cum & huius rei causa, & tuendæ totius oræ nostræ maritimæ ingentes necessario sumptus facere in dies cogamur, aliqua nobis conficiendæ pecuniæ ratio ineunda fuit, vnde aliqua ex parte subleuari possimus. Nihil autem in præsens commodius esse censuimus, quam si vectigal, quod ante id tempus exigi consueuit in certis status nostri ecclesiastici locis, ac præsertim in prouinciis, Marchiæ, & Romandiolæ, pro extractione frumenti, in reliquis eiusdem status locis æquata omnium con dizione soluatur. Quare volumus, & auctoritate præsentium statuimus, vt, quicunque posthac de prouincia ad prouinciam intra fines ditionis nostræ temporalia in omnibus locis, & terris nobis, & Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectis, frumentum, & alia grana minuta extrahere, & importare voluerint, pro singulis frumenti, & grani quinque iulios argenteos monetæ Romanæ, aliorum vero bladorũ, seu leguminum salmis, siue rubris iulios duos cum dimidio similes: qui vero de loco ad locum intra eandem prouinciam asportabit, pro quolibet grani iulium vnum, & dimidium pro aliorum bladorum, & leguminum rubro Cameræ nostrę Apostolicæ soluere teneãtur. Quocirca dilecto filio Thesaurario nostro generali mandamus, vt ipse per se, vel alium, seu alios per ipsum deputandos vltra facultatem, quam habet concedendi licentiam extrahendi huiusmodi bladorum genera extra statum ecclesiasticum cõcor-

dato cum ipso de eo quod extractionis nomine soluendum fuerit, specialem & præcipuam in præmissis curam habes, præsentes nostras literas, ac in eis contenta quamprimum exequatur contradictores per censuras, & pœnas ecclesiasticas, cæteraque iuris, & facti remedia opportuna appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachrij sæcularis. Et, vt præmissa omnia idé Thesaurarius discrete, & absque locorum dispendio, & incõmodo exequi possit, eorũdé locorũ necessitatib⁹ consulendo plenam eidem facultatem, & auctoritaté tribuimus inquibuscunque locis nobis, & S.R.E. mediate, vel immediate & subiectis frumenta, & leguminа cuiusuis qualitatis, & quantitatis adnotandi, & describendi, adnotarique, & describi faciendi, & quascunque personas tam ecclesiasticas quam sæculares quauis mundana, vel ecclesiastica dignitate fulgétes ad veram frumentorum, & leguminum, quę ipsos habere contigerit, etiam in scriptis medio iuraménto, etiam per edicta, & bannimenta, sub censuris, & pecuniariis etiam corporalibus eius arbitrio imponendis, & infligendis pœnis monendi, & inquirendi, inobedientes, seu contrauenientes quoscunque puniendi, & coercendi: Necnon omnes quacunque dignitate præditos, & cuiusuis ordinis, gradus, & conditionis existant, qui absque solutione dicti vectigalis frumẽta, & blada huiusmodi tam extra statum ecclesiasticum, quam de prouincia ad prouinciam, & de loco ad locum extrahere ausi fuerint, simpliciter, & de plano, necnon manu regia, & sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, inquirendi, & procedendi, & ad pœnas contra extrahentes inflictas rẽ per literas felicis recordationis Pij iiij. & Pij v. aliorumque Roman. Pontificum prædecessorum nostrorum, quam per proclamata ipsius Thesaurarij, seu anonæ præfecti edita, & edenda condemnandi, ac in eas incidisse declarandi, & etiam dictas pœnas quoties, & quando iuxta facti qualitatem ei videbitur, remit

remitttendi, seu componendi, cæteraque opportuna, & necessaria gerẽdi commissariosque cum simili, vel limitata potestate constituendi, & destinandi, cætera que omnia faciendi, & exequendi in prẹmissis, & circa necessaria, & opportuna. Inhibentes propterea omnibus legatis etiam de latere, eorumque vicelegatis, ac tam almæ Vrbis nostræ, quam aliarum prouinciarum, ciuitatum, & locorum nobis, & S.R.E. media te, vel immediate subiectorum Gubernatoribus, cæterisque officialibus per ditionem nostram ecclesiasticam constitutis, ne posthac super præmissis omnibus, & singulis absque dicti nostri Thesaurarij licentia sese ingerere, seu interponere debeãt, nec eundem Thesaurarium nostrum, seu deputandos ab ipso ministros, & commissarios circa præmissa impediant, vllóue modo vel obtẽtu remorentur, vel molestẽt, immo eius, & eorum nomine requisiti, illi, & illis desuper opportune faueant, & assistant, eiusque, & eorum mandata, aut alias ordinationes seruari, & ad effectũ perduci procurent. Ac decernentes irritum, & inane, Siquid secus super his per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus cõstitutionibus, & ordinationibus, regulisque apostolicis, ac prouinciarum, ciuitatum, & locorum prædictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel qualuis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, exemptionibus, & indultis apostolicis illis, eorumque personis per quoscunque Roman. Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem apostolicam etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac ex causis quantumuis grauibus, & onerosis, ac cum quibusuis irritãtibus, & aliis decretis quo modolibet concessis, confirmatis, & innouatis (quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permãsuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, (cæterisque contrariis quibuscunque) aut si aliquibus communiter, vel diuisim à prædicta sit sede in-

dultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo ipsius Thesaurarij, aut alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis originalibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nullii ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ voluntatis, statuti, mandati, tributionis, inhibitionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæ. Glorierius.
M. Datarius. A. de Alexiis.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Eiusdem ampliatio Indulgentiarum à Pio V. societatibus ad pueros, & rudes in bonis operibus, & doctrina Christiana erudiendos deputatis, concessarum.

GRegorius Papa XIII. Vniuersis christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem. Illius, qui pro gregis Dominici salutione in ara crucis immolari non abnuit, vices licet immeriti gerentes in terris, omni studio circa salubrem reipublicæ Christianæ directionem, & augmentum intendimus, & vt ad ea Christifidelium vota facilius concurrant, ipsos christifideles spiritualibus muneribus inuitamus. Cum itaque, sicuti nuper accepimus, dudum fel. rec. Pius Papa V. prædecessor noster per suas literas omnibus, & singulis vtriusque sexus

sexus Christifidelibus tunc expressis, qui essent descripti in Societatibus, seu confraternitatibus ad pueros, & alios christifideles rudes in bonis moribus, & doctrina Christiana erudiendos in quocunque loco deputatis, seu deputandis, ac pueros, & christifideles rudes huiusmodi in præmissis bene instruerent, & qui ab eis instruerentur in eisdem certis diebus, & temporibus tunc expressis, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis apostolica auctoritate relaxauerit, prout in dictis literis, quas idem prædecessor perpetuo valere decreuit, plenius continetur. Nos tam pium, & nunquam satis laudandum opus amplioribus etiam gratiis, & spiritualibus muneribus prosequi volentes, dictos quadraginta dies, ad centum dies auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus, ita quòd personæ supradictæ præmissa adimplendo, non solum dictos quadraginta dies, sed centum dies indulgentię prędictis diebus, & temporibus, vt prędicitur, in totum consequantur, & consequi possint. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, vt præsentium transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die xxi. Octobris, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Pontificatus nostri anno primo.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem reductio vectigalis quaterni quinquaginta librarum Carnis Suinæ ad scuta triginta millia, & eiusdem incorporatio triennali subsidio, ac restitutio in integrum dictarum quinquaginta librarum carnis.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Si præsentis tempo-

ris,& rerum huius sedis conditio pateretur, libentissime facturi fuimus & naturæ, & cõsilij nostri ductu, vt non modo nullis nouis impositionibus nostros, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditos grauaremus, sed vetera potius,& ab aliis imposita onera demeremus. Quoniam vero propter grauissimas eiusdem sedis necessitates id agere nobis non licet, illud saltem attente volumus opportuna ratione prouidere, vt, quæ imposita sunt onera leuiora, & minora, redantur, & ita æqualiter sint inter omnes distributa, vt ne plus cęteris pauperes grauarẽtur, quos in primis oportet omni industria subleuare. Proinde, cum felicis recordationis Pius Papa V. prædecessor noster cogitans pro conseruatione, & progressu sacri fœderis Deo auctore contra Turcas initi, ingentes sumptus faciendos esse, vt aliquam ad eum vsum pecuniæ summam conficeret, immunitatem quinquaginta librarum carnis suinæ antea cuilibet personæ in statu ecclesiastico concedi solitam cassauerit, & reuocauerit decernens tam pro huiusmodi quinquaginta libris, quã pro aliis omnibus animalibus (hœdis duntaxat, exceptis) vectigal quatreni carnis solui in posterum debere: Et deinde dictum vectigal quatreni carnis simul cum augmento ex ea reuocatione immunitatis prouenientę, quibusdam mercatoribus, sub certis modo, & forma concesserit, & locauerit, ea tamen conditione, quod anno primo locationis elapso Camera Apostolica posset dictum augmentum per seipsam recuperare, ac alias prout in instrumento contractus in Camera Apostolica desuper confecto latius continetur. Nos dicto iam anno elapso confidentes si augmentum prædictum, eo modo, quo impositum fuit, remaneat exigẽdum, in hoc rusticos, & alios pauperes valde grauatum iri, qui eiusmodi carnibus vt plurimum sustentãtur: deinde vero eosdem conductorum, commissariorum, & aliorum huiusmodi exactorum non paruis expensis, ac molestijs assidue subiacere: nullũ opportunius ei rei remediũ adhiberi

adhiberi posse censuimus, quam si prædictum augmentum quadraginta millium scutorum excedens ad minorem summam reducatur, & sic reductum, cum triennali subsidio coniungatur. Itaque de nobis attributæ potestatis plenitudine augmentum ipsum ratione librarum quinquaginta carnis, ad triginta millia scutorum monetæ auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo reducimus, & in subsidiũ triennale trãsfundimus, eique perpetuo applicamus, & incorporamus. Ita vt simul cum ipso subsidio triẽnali ab iis, à quibus debetur iuxta taxam in eadem Camera apostolica factam, vel faciendam, posthac per eiusdem subsidij exactores exigatur. Volentes, ac præsentium auctoritate iubentes, immunitatem carnis suinæ, quoad quinquaginta libras prędictas omnibus in integrum restitui debere: necnon irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca mandamus dilecto filio nostro S.R.E. Camerario, ac eiusdem Cameræ Apostolicę Clericis, & Præsidentibus, vt has nostras literas in acta, & libros eorum referri, & describi, ac omnia in eis contẽta obseruari inuiolabiliter faciant, taxamque omnibus, ad quos pertinet ad modum triennalis subsidij constituant, & adscribant: contradictores quoslibet, & rebelles, ac soluere recusantes per ecclesiasticas sententias, censuras, & pœnas, ac alia iuris, & facti remedia in similibus adhiberi solita, appellatione post posita, compescendo. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon quibuscunque etiam dictæ Cameræ iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis quibuscunque personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoris alliisque efficacioribus, [& insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie

quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innouatis: quibus omnibus (etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mẽtio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruãda foret tenores huiuſmodi ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris) hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reductionis, transfuſionis, applicationis, incorporationis, voluntatis, iuſſionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, kalendas Februarij, Pontificatus noſtri Anno Primo.

M. Datarius. Cæ. Glorierius.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

A. de Alexiis.

Die trigeſimo Martij milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Ex decreto Cameræ Apoſtolicæ admiſſæ, & regiſtratæ fuerunt libro primo ſignaturarum ſanctiſſ. D. N. Papæ apud me infraſcriptum eiuſdem Cameræ Notarium. fol. cxxxxiiij.

Andreas Martini.

Eiuſdem applicatio eleemoſynarum pro Hoſpitali Corcyrenſi iam factarum, aut faciendarum, magno Magiſtro, & Conuẽtui Hieroſolymitano.

GRegorius papa XIII. Ad futuram rei memoriam. Cum dilecti filij Magnus Magiſter, & Conuentus Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, qui inſulam Melitam Italiæ propugnaculum aduerſus

ſus Turcas defendendam ſuſceperũt, eamque hactenus ſtrenue, & conſtanter, vt omnibus notum eſt, tutati ſunt, maximis neceſſitatibus premantur, & grauiſſimis periculis, quæ ab ipſis Turcis eis imminere videntur, expoſiti ſint, decreuimus eos, quibus poſſumus modis, & rationibus adiuuare. Itaque cum Dux, & Dominium Venetorum cum Turca pacẽ inierint, nec amplius Hoſpitali Corcyrenſi pro Chriſtianorũ militum ſubuentione opem, & auxilium fere opus ſit: Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque de liberatione noſtra quaſcunque eleemoſynas, ſuffragia, & ſubſidia, quæ à Chriſtifidelibus pro dicto Hoſpitali Corcyrenſi hactenus ſunt erogata, & in poſterum erogari contigerit, dictis magno Magiſtro, & Conuentui Hieroſolymitano in eorum neceſſitates exponenda, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentiũ donamus, concedimus, & elargimur: Ac dilectum Hieronymum de Guette dictæ Religionis Conſeruatorem, & ad nos oratorem deſtinatum Collectorem generalem omnium pecuniarum, quę ex eleemoſynis prædicto Hoſpitali Corcyrenſi iam factis, aut faciendis hactenus prouenerunt, & prouenient in futurum, cum facultate deputandi per ciuitates, terras, & loca quæcunque ſubcollectores ſibi beneuiſos tam ordinis ſui Hieroſolymitani, quam alias perſonas eccleſiaſticas, vel ſæculares, cum facultate ad hoc opportuna, de qua ſibi videbitur, harum ſerie conſtituimus, & deputamus: Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus locorum ordinariis, quibus curam colligendi eleemoſynas pro dicto Hoſpitali Corcyrenſi dedimus, vt, viſis præſentibus, ſeu earum tranſumptis autenticis, pecunias, & eleemoſynas præ dictas ſubcollectoribus ipſius religionis Hieroſolymitanæ ſub debita quietantia cum effectu tradant, & conſignent, ſeu tradi, & conſignari mandent, & faciant, quas ſic traditas bene ſolutas eſſe volumus, & mandamus. Non obſtantibus literis in fauorem dicti Hoſpitalis Corcyrenſis per fe. re. Pium V. prædeceſ-

sorem nostrum, ac nos, vt præfertur, emanatis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quę originalibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vndecima Aprilis, millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem institutio Collegij Germanici in Vrbe.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Postquam Deo placuit omnipotenti, qui ex summa misericordia, & bonitate sua vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, humilitatem nostram ad vniuersalis Ecclesiæ regimen vocare, ex eo tempore nos, eiusdem adiuuante gratia, ea cogitare, & vrgere non destitimus, quæ sicut officij nostri ratio postulat, ad diuinum vbique cultum, & ecclesiasticam disciplinam restaurandam, & augendam, animarumque salutem procurandam maximè cognouimus pertinere. In primis vero animo recolentes amplissimam Germaniæ Prouinciam, quæ perpetuis superioribus sæculis inter cęteras fortissimæ ipsius nationis laudes, atque virtutes, tanto syncerę fidei, & christianæ religionis cultu eminere solebat, vt reliquis christianæ Reipublicæ partibus non minori exemplo, quàm ornamento, atque decori esset, nunc tot tantisque in ea instinctu Sathanę excitatis de religione dissidiis, ita miserandum in modum afflictam, & deformatam esse, vt nemo vel mediocri pietate præditus sine lachrymis tam grauem animarum iacturam recordari, ne dum intueri queat: eam precipuè curam suscepimus, vt quibuscunque possimus modis, nullis laboribus, nullisue sumptibus parcentes, apta sanandis illius vulneribus remedia

adhibeamus.

adhibeamus. Ac præter alia, quæ & literis scribendis, & Nunciis in quasdam Germaniæ partes hac ipsa de causa mittendis, agere aggressi sumus, considerantes fe. recordationis Iulium Papam iij. prædecessorem nostrum optimo quidem consilio Collegium in Vrbe alendorum, & latinis, græcis, hæbraicisque literis, Logica, Physica, aliisque liberalibus disciplinis, & sacra demum Theologia, ac piis, & christiano homine dignis moribus instituendorum Germanicæ nationis puerorum causa erexisse, vt ij non per se solum boni, doctique euaderent, sed ad patriam remeantes, habendis concionibus, ac disputationibus, refellendis hæresibus, fideique orthodoxæ veritati dilucidandæ, ac præterea exercendæ animarum curæ, aliisque piis, & sanctis operibus apti, & idonei essent, & quam maximum in Ecclesia Dei fructum ex se proferrent: tamen id eius cœptum, atque conatum, tum propter obitū ipsius, tum ob varias, quæ postea sequutæ sunt, temporum, & rerum difficultates, parum processisse, nullumque incrementum suscepisse, quin potius quasi destitutū, ac prætermissum esse, quoniā nec reditus vllus, necquicquam ferè certi attributum ei Collegio fuerat, & ob id exiguum admodum puerorum huiusmodi numerum præ magnitudine Prouinciæ, & messis, quæ in ea est, hoc tempore ali, & institui: Nos propterea ad opus hoc eidem nationi adeo vtile, & salutare totis viribus promouendum, animum, & mē tem nostram conuertimus. Quocirca ad Dei omnipotentis laudem, sanctæque ipsius Ecclesiæ incrementum, præcipuamque Germanicæ nationis salutem, & commodum, Motu proprio, & ex certa scientia nostra auctoritate apostolica Collegium prædictum Germanicum appellandum renouantes, illud rursus, ac de integro in alma Vrbe nostra erigimus, & instituimus, volumusque in eo posthac non minus, quàm centū pueros ex vniuersa Germania, septentrionalibusque illi adiacentibus regionibus colligendos, dictis scientiis, ac disciplinis, necnon sacris canonibus

iusticui,

institui, atque erudiri: ad quorum sustentationem reditus annuos decem millium Aureorum ipsi collegio attribuim⁹, quos ex Camerę nostrę apostolicę pecuniis quotannis volumus numerari, distributa in menses singulos pro rata solutione quoad de totidē redituum summa in bonis stabilibus eidem Collegio à nobis fuerit prouisum. Cæterū cum societatis presbyterorum Iesu in hoc educandorum, instituendorumque puerorum munere, diligentia, fides, integritas, & in aliis huiusmodi Collegiis, & in hoc ipso satis cognita sit, atque perspecta: Volumus idem Collegium, atque Scholares sub ipsorum, sicut adhuc fuit, regimine, institutione, doctrina, atque obedientia esse: Necnon Collegium ipsum, illiusque Rectores, Gubernatores, Magistros, Præceptores, atque Scholares pro tempore in eo existentes, eorumque bona mobilia, & immobilia, cuiuscunque qualitatis, & quantitatis in dicta Vrbe, vel extra, ac alias vbique locorum consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate pro tempore existentis Senatoris, & consulum, ac Conseruatorum, & Reformatorum dictæ Vrbis, necnon Rectoriis Studij generalis, aliorúmue quorumcūque Iudicum, & Officialium in ipsa Vrbe, vel aliàs vbilibet constitutorum, illaque, ac in propriis eorum rebus, & bonis cum eis contrahentes à solutione, & exactione quorumcunque pedagij, gabellæ, bollettini, decimarum, & cuiusuis alterius tam ordinarij, quam extraordinarij oneris, ex quacunque causa impositorum, & imponendorum eximimus, & prorsus liberamus, ac sub beati Petri, & Sedis apostolicæ, atque nostra protectione suscipimus, nobisque, & dictę sedis immediate subiicimus, ac liberos, immunes, & exemptos declaramus. Atque insuper eidem Collegio, & scholaribus, rectoribusque, & gubernatoribus, vt omnibus, & quibuscunque priuilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis, quibus studium generale almæ Vrbis, & illius Rector, Doctoresque, & in eo legentes quouismodo vtūtur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorū instar, sed æqualiter, & pariter vti, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia concedimus, & indulgemus, illaque eis communicamus. Necnon Senatori, Consulibus, Conseruatoribus, Reformatoribus, Rectorique, & aliis Iudicibus, Officialibus, & personis prædictis, ac pro tempore existenti S. R. E. Camerario, Præsidentibusque, & Clericis Cameræ apostolicæ, ac quibusuis Commissariis ad exactionem onerum præfatorum pro tempore deputatis, ne quarumcunque literarum eis sub quibuscunque tenoribus, & formis concessarum prætextu, Collegium, scholares, rectores, & gubernatores prædictos, seu eorum aliquem in præmissis quomodolibet molestent, seu molestari permittant, districtius inhibemus. Et præterea Regentibus, ac Superioribus dicti Collegij, cum assistentia tamen Cardinalium Protectorum, qui pro tempore constituti fuerint, seu alterius eorum, vel de ipsorum consilio, & expresso concensu, illos quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus studuisse, ac scientia, & moribus idoneos esse repererint, in prædictis facultatibus ad Baccalaureatus, Licētiaturæ, Doctoratusq;, & Magisterij gradus, seruata forma Concilij Viennen. iuxta vniuersitatis eiusdem vrbis cōsuetudinem, seu alias pro mouendi, & ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi: Quodque in facultatibus supradictis sic promoti illas legere, & interpretari, ac de eis disputare, & quoscunque gradui, seu gradibus huiusmodi conuenientes actus exercere: Ac omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, fauoribus, prærogatiuis, & indultis, quibus alij in prædicta, seu aliis vniuersitatibus, & alibi iuxta illius, & aliarum vniuersitatum huiusmodi constitutiones, & mores, ad gradus prædictos pro dicti de iure, vel consuetudine vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet

dolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere possint, ac debeant, perinde ac si gradus prædictos in ipsa vniuersitate iuxta consuetudines, & mores prædictos sucepissent, concedendi, & indulgendi, liberam eadē auctoritate damus facultatē, & potestatē. Prętrerea vt eiusdem Collegij conseruationi, bonoque regimini tā in iis, quæ ad scholarium institutionem, & disciplinam, quam quæ ad victum, vestitum, aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, & promptum eis, paratumque auxilium sit, Venerabiles fratres nostros Ioānem Moronum Ostien. & Alexandrum Farnesium Prænestin. Episcopos, ac dilectos filios Marcum Sācti Georgij ab Alta Emps, Ptolemæum Comen. Sanctæ Agathæ, ac Lodouicum Madruccium sancti Honofrij titulorum S. R. E. presbyteros Cardinales, eiusdem Collegij Protectores, & defensores constituimus, & deputamus, quorum consilio, & ope tam supradicta, quam quæcunq; alia ad eosdem in Collegio admittendos Scholares, retinendosue, atque de beneficiis ecclesiasticis prout dendos spectantia agantur, statuantur, & ordinentur: Dantes eisdem, & pro tempore existentibus Protectoribus plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem pro salubri directione, & conseruatione dicti Collegij, illiusque bonorum, & rerum, ac iurium tam temporalium, quam spiritualium, Oeconomos, Aduocatos, Procuratores, aliosque ministros, & officiales in eo deputandi, amouendique, & alios eorum loco sufficiendi, ordinationes prętrerea, & statuta (æque tamen, & honesta, sacrisque canonibus, & Concilio Tridentino non repugnantia) faciendi, & edendi, eaque, cum opus visum fuerit, reuocādi, immutandi, corrigendi, aliaque de nouo cōdendi, quæ postquam facta, edita, reuocata, immutata, & correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac si auctoritate apostolica approbata, & confirmata essent, illaque ab omnibus Rectoribus, Magistris, Scholaribus, aliisue personis in Collegio seruientibus, & ministrantibus inuiolabiliter

biliter obseruari, ac iuxta eorundem dispositionem à quibusuis Iudicibus, sublata quauis aliter iudicandi facultate, iudicari, & diffiniri debere: & si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, & dictæ Vrbis iuramento, cōfirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis eisdem Senatori, Consulibus, Conseruatoribus, Reformatoribus, Camerario, Vniuersitatibus, ac earum Collegiis, Rectoribus, & personis, aliisque prædictis, necnon prædictæ Vrbi, & Populo Romano sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Vt vero etiam temporalibus commodis spiritualia munera addamus, quibus fidelium deuotio, & merita crescere magis, & augeri possint: De omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate nostraque confisi, omnibus, & singulis Scholaribus, qui in id Collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, ac deinde in exitu, si quidem confessi, & contriti sacram communionem deuote perceperint, atq; etiam si in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur. Volumus insuper, vt præsentium tran sumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo communi dicti Collegij, aut alicuius curiæ ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra, ac alias, vbicunque opus fuerit, habeatur, quæ haberetur eis-

dem

dem præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ renouationis, erectionis, istitutionis, attributionis exemptionum, dationum, constitutionis, deputationis, derogationis, elargitionis, decretorum, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, octauo Id. Augusti, Pontificatus nostri Anno secundo.

M. Datarius. Cæ. Glorierius. A. de Alexiis.

Eiusdem breue S.D.N. Gregorij XIII. In quo exponitur Breue S.D N. Pij V. de electionibus & quomodo moderatur circa ordinem Minorum de obseruantia.

Gregorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriam.

COnsueuit Roman. Pontifex, cui vniuersi Christi fideles curæ sunt, de religione adscriptis viris, vt in regularis obseruantiæ candore iidem conseruétur, specialem cogitationem suscipere, quod si aliqua per prædecessores suos ad eum finem statuta sunt, quæ, experientia docente, minime expedire cognoscit, declarationibus, aliisque rationibus non desinit prospicere. Accepimus nuper fel. rec. Pium Papam V. prædecessorem nostrum per suas in forma Breuis literas quarum seriem præsentibus pro expressis habemus, circa ordinem Fratrum Minorum de obseruantia salubriter in via Domini dirigendum, inter alia de Ministro Generali, Commissario, & procuratore etiam generalibus, & prouincialibus, vt in eo Capitulo, quo absolui debent, diffinitores non essent, neque vocem haberent statuisse. Nos eam prædecessoris ordinationem nonnullis de causis, quæ rationi maximè consonæ sunt, adducti, ad eum actum coarctamus, dum in officio, quod gesserunt, successor eligitur. Dictarum vero literarum partem, quæ antedictæ proxima est, in qua cauetur, vt iidem omnes minister generalis, & alij prædicti, facta successoris electione, discedant, nos ita declaramus, vt statim facta renunciatione officij, discedere debeant, vt, si qui eos accusare velint, durante tempore syndicatus, libere id facere possint, eo autem finito, iuxta seriem dicti ordinis generalium statutorum in diffinitorio, recipiantur. Ac dum per easdem literas præcipiebatur, quòd prouincialium Ministrorum electio liberè per vota secreta fieret, ita vt commissarius generalis, vel qui electioni præsideret, si formam prædictam transgredi, seu electores, quominus liberè eligerent, quouis modo impedire conuinctus fuisset, officio priuatus existeret: qui vero in electionibus omnibus, vel ante eas per sex mēses pro se vel pro alio subornasset, excommunicationis sententiam, à qua non nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo, absolui posset, & voce activa, & passiua perpetuo careret, facultatem quoad casus prædictos Romano Pontifici duntaxat per dictū prędecessorem reseruatam, etiam ministro, & cōmissario generalibus, quando de ipsis non agitur, in omnes euentus prædictos impartimur: quod autem de subornato, & eo, pro quo subornatio fieret, qui subornantem non detulisset, vt eandem excommunicationis pœnam incurreret, per dictum prædecessorem statutum fuit, penitus abolemus, & quod disponebatur de officio generalis ministri, quod per octo annos duraret: commissarij vero, ac procuratoris generalis, necnon prouincialis per quatuor, ipsique semel officio functi, ad idem eligi non possent, nisi post sex decim annos, nos ad statutorum generaliū dicti ordinis seriem, & formam reducimus, quibus dicitur

expresse, quòd officia semel exercentes, ab eis, quæ gesserunt, per duplum temporis vacare debent, ita vt duæ electiones celebrentur, antequam ad eadem officia iterum eligantur. Corrigimus etiam literarum prædictarum eam partem, in qua statuitur, quòd nec commissarius generalis in ministrum, seu procuratorem generales, nec procurator generalis in ministrũ, vel commissarium generales, nec minister generalis in procuratorem, vel cõmissarium generales, nisi post dictos sexdecim annos eligi possint: dantes, & concedẽtes eis, ad quos spectat, facultatem commissarium generales, nisi post dictos sexdecim annos eligi possint: dantes, & concedentes eis, ad quos spectat, facultatem commissarium generalem in ministrũ, seu procuratorem generales, & è conuerso etiam immediate postquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, etiã lapsu temporis prædicto non expectato, pro tempore eligendi. Præterea ex eisdem literis quod de duobus discretis, quorum consilio generalis minister vti deberet, mandatum fuerat, cum expertum sit dictos discretos habere, nequaquam ordini prædicto expedire. Quodque de sacro Thæologiæ lectore, qui quatuor cursus absoluisset, vt actiua, & passiua voce in prouinciali capitulo vteretur, in eisdem statuebatur, tollimus. Decernentes de nouo, quòd quo ad illos, qui ex Mahumetanorum, Iudæorum, vel hæreticorũ damnatorum descendunt origine, seruetur, quod piæ memoriæ Paulus Papa IIII. prædecessor noster, per suas in forma breuis literas sub dat. videlicet xxiiij. Aprilis 1559. Põtificatus sui anno quarto statuit. Non obstan. literis prædecessoris nostri prædictis in partibus per nos alias declaratis, & reformatis, quas in reliquis firmas esse volumus, cæterisque contrariis quibuscũque. Dat. Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, Die viij. Septembris 1573. Pontificatus nostri anno secundo.

Cæ. Glorierius.

Vniuersis & singulis præsens transumptum inspecturis,

nos Franciscus Alciatus S. R. E. Presbyter Cardinalis, ac totius ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci de obseruantia nuncupatorum viceprotector, omnibus notum facimus, & attestamur, quatenus literas originales sanctissimi in Christo patris, & D. N. Gregorij XIII. in forma breuis sub annulo Piscatoris impressi pro parte Reuerend. Patris Fratris Francisci de Visono eiusdem ordinis obseruantiæ in Curia Romana Commissarij nobis exhibitas, sanas, integras, authẽticas, non vitiatas, omnique prorsus vitio, & suspitione carentes vidimus, & diligẽter inspeximus, ac coram nobis per notarium infrascriptum collationari, & auscultari audiuimus cum præimpresso exemplo, quod eum per omnia ipsis originalibus concordari reperiretur, ad eius vbique fidem faciendam per modum authentici transumpti auctoritatem nostram pariter, & decretum interposuimus, ac sigillo nostro muniri mandauimus. Actum, & datum Romæ in Domo nostræ solitæ habitationis, Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, Die vero vndecima Septembris, Pontificatus eiusdem Sanctissimi D. N. Gregorij Papæ XIII. Anno secundo.

Eiusdem confirmatio indulgentiarum Confraternitatis sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia domus Beatæ Mariæ supra Mineruam ordinis Prædicatorum in Vrbe Romæ.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Pastoris æterni, qui, vt humanum genus ab illius inimici manibus liberaret, in ara Crucis immolari, & in peccatorum nostrorum remissionem precioſissimum sanguinem suum effundere non dubitauit, ac in vltima cœna, quam cum Discipulis suis Pascha celebrans manducauit, in tanti beneficij memoriam, eis carnem suam in cibum, & sanguinem suum in potum, diuina & incomprehẽsibili ordinatione exhibuit dicens. Hæc quotiescun-

que feceritis, in mei memoriam facietis, vices licet immeriti gerentes in terris, & profunda meditatione recolentes, eam esse huius sacrosancti Sacramenti sublimitatem, & excellentiam, vt nunquam satis plene coli, nunquam digne (quæ nostra est imbecillitas) adorari valeat: facere nullo modo possumus, quin Christifideles, quos omnem operam impendere, omnemque diligentiam adhibere conspicimus, vt Christi corpus huiusmodi honorificentissime in Ecclesiis custodiatur: & in processionibus deducatur, ac ad infirmos deferatur, piéque à Christifidelibus suscipiatur; & frequentetur, ad præmissorum feruentius exercitium, indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus crebro inuitemus, vt ij quorum gubernium nobis est commissum, tanti beneficij memoriã sæpissime recolentes, illiusque institutioni gratias sinceris agentes affectibus, quod ex se ipsis agere non possunt per huiusmodi exercitia facilius consequantur. Ad quod peragendum etiam nos ipsos magis incitat, dum agnoscimus hac ratione per motum felicis recordationis Vrbanum Papam Quartum prædecessorem nostrum, perpetuam sanctissimi Corporis Christi huiusmodi festiuitatem indixisse, & ad illius celebrationem eosdem Christifideles indulgentiarum concessione inuitasse. Cupientes itaque piam Christifidelium confraternitatem, sub inuocatione eiusdem Corporis Christi in Ecclesia domus Beatæ Mariæ supra Mineruam, Ordinis Prædicatorum rite institutam, & à Piæ memoriæ Paulo Papa tertio, etiã prædecessore nostro, approbatam, & confirmatam, ex qua, sicut accepimus, vberes fructus prouenerũt, spetialibus fauoribus, & gratiis exornari: De omnipotentis Dei misericodia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate cõfisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, dictam Confraternitatem intrantibus, qui tempore ingressus sui, ac iis ex Confratribus, qui in die festo Corporis Christi, aut eius octauæ, vere pœnitentes, peccata sua confessi fuerint,

si fuerint, & Sacramentum huiusmodi sumpserint, & similiter eisdem Confratribus, etiam pœnitentibus, & confessis, in ipsorum mortis articulo, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiã, & remissionem, misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præterea eisdem Confratribus vtriusque sexus extra Vrbem existentibus, qui in diebus, in quibus Stationes in Ecclesiis in Vrbe, & extra illam existentibus habentur, Altare, seu locum, in quo Sacramẽtum custoditur, visitauerint, & septies orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitantes, pro exaltatione fidei Catholicæ, & extirpatione hæresum, & in fidelium orauerint, easdem indulgentias, quas consequerentur, si ea die illam Ecclesiam in Vrbe, & extra eam visitarent, in qua ipsa Statio habetur, Insuper eisdem Confratribus huiusmodi Altare, seu locum visitantibus, & vt supra orantibus, sexta quaque feria, centum dies: Singula vero die in Cœna Domini eisdem Confratribus vere pœnitentibus & confessis, septem annos, & totidem quadragenas, Rur eisdem Confratribus, qui ad altare ipsius, in tertia Dominica, cuiuslibet mensis, & in feria quinta in Cœna Domini, Eucharistiam pie susceperint, decem annos, & totidem quadragenas: Vlterius tam ipsis Confratribus, quam aliis Christifidelibus vtriusque sexus dictum Sacramentum, dum ad ægrotos defertur, associantibus, & iis, qui facere impediti, ad sonum paruæ campanæ genuflexi semel orationẽ Dominicam, & salutationem Angelicam recitauerint, & pro infirmo orauerint, quoties id fecerint, centum dies: Is vero Confratribus, qui Sacramentum ipsum in processione post maiorem Missam eadem tertia Dominica fieri consueta associauerint, centum dies: Et similiter iis Confratribus vere pœnitentibus, & confessis, qui Sepulchrum Dominicum in dicta Ecclesia beatæ Marię feria quinta in Cœna domini construi solitum, visitauerint, septem annos, & totidem quadragenas de iniũctis sibi, seu alias quomodolibet

debitis pœnitentiis relaxamus. Postremo quia difficile esset certum locum, in quo Sacramentum reponatur, vbique vniformiter constituere, idcirco Sacramentum ipsum vel in medio Altaris maioris, vel in alio commodiori loco arbitrio loci ordinarij, si Ecclesia, in qua Confraternitas celebratur, sæcularis, si vero regularis fuerit, arbitrio eiusdem Ecclesiæ Superioris, reponatur, & constituatur. Et, vt huius sanctissimi Sacramenti celebritas tanto in maiori veneratione habeatur, quanto per diuersas orbis partes latius diffundetur, vt gratias, & indulgentias prædictas (præterquam eas, quæ ratione Stationum Vrbis lucrifiunt) aliis sanctissimi Sacramenti Confraternitatibus extra Vrbem erectis, & erigendis, per transumpta manu vnius saltem ex Ministris ad id deputatis, qui in sacro presbyteratus ordine cõstitutus existat, subscripta, gratis communicare valeat, eidem Confraternitati concedimus: literis super præsentibus conficiendis perpetuo duraturis. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, cæterisque cõtrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd si dictæ Confraternitati aliqua alia indulgentia per nos perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum concessa fuerit, præsentes nostræ nullius sint roboris, vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ largitionis, relaxationis, vltimo dictæ concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Marcum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, octauo Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno secundo.

Eiusdem

Eiusdem indictio sancti Iubilei, & plenissimæ remissionis pro visitantibus Basilicas beatorum Petri, & Pauli, necnon ecclesias sancti Ioannis Lateranensis, & Beatæ Mariæ Maioris de Vrbe proximo anno M. D. L X X V.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Dominus, ac redemptor noster Iesus Christus, qui pro ineffabili charitate sua serui formam accipiens, acerbissimam crucis mortem subire dignatus est, vt Deo patri genus humanum reconciliaret, atque in sortem hæreditatis æternæ vocaret, volens nostræ plenius succurrere imbecillitati, & donum hoc pretiosissimo ipsius sanguine acquisitum copiosius communicare, ne lapsis post regenerationis lauacrum opportunum eiusdem diuinæ misericordiæ deesset subsidium, beato Petro Apostolorũ principi, eiusque deinceps successoribus suis in terris Vicariis Sãctæ Catholicę Romanę Ecclesiæ (quæ cęterarũ omnium caput, mater, & magistra est) potestatẽ dimittẽdi peccata plenissimam reliquit, ac thesauro præterea immẽso meritorũ eiusdẽ passionis (cui etiam gloriosissime semper virginis Mariæ, omniumque sanctorum merita accedunt) idcirco ditauit ecclesiam sponsam suam, eumque prædictis beato Petro, & successoribus dispensandum commisit, vt eo cęteri fideles pro temporalibus pœnis ex remissis culpis sepius remanentibus ad satisfaciendum adiuti, ad percipiendos cœlestis gratię fructus expeditiores redderentur. Quarum rerum consideratione adducti, diuinæque bonitatis exuberantia confisi Romani Pontifices prædecessores nostri animarúmque saluti toto animi sensu prospicientes, pro facultate dispensandi thesaurum prædictum illis credita, Sanctum Iubileum statis annis, priores quidem longioribus interuallis, alij vero breuioribus, & posteriores vigesimo quinto quoque anno celebrandum decreuerunt, quo scilicet tempore idem Ecclesiæ thesaurus ad salutarem eorum lætitiam depromeretur, qui ea causa

almam inuiserent Vrbem, quam prædictus Princeps Apostolorũ,& doctor gentiũ, torque deinceps Christi Martyres suo sanguine consecrarunt. Quocirca nos dictorum prædecessorum pium saluberrimumq; institutum secuti,de fratrum nostrorum assensu, Iubilei celebrationem proxime sequenti anno millesimo quingentesimo septuagesimoquinto, à primis vesperis,quæ vigilia est dicifesti proxime futuri Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, incipiendam ,& per totum annum ipsum finiendam,vniuerso christiano populo quanto maiore possumus animi gaudio indicimus. Quo quidem anno durante qui vere pœnitentes,& confessi beatorum Petri,& Pauli Apostolorum basilicas,& Sancti Ioannis Lateranensis, ac sanctæ Mariæ Maioris in Vrbe ecclesias triginta continuis vel intermissis diebus semel saltem in die, si Romani,vel Vrbis incolæ fuerint,si vero peregrini,quindecim diebus deuote eodem modo visitauerint, ac pro ipsorum totiusque Christiani populi salute pias ad Deum preces fuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem,quemadmodum etiam prædecessores nostri concesserunt, consequentur. Et qui post iter ad Vrbem huius deuotionis causa susceptum,illud perficere ob aliquod legitimum impedimentum non potuerunt,aut in morbum inciderint,& siue in via, siue in Vrbe ipsa ab humanis excesserint vere pœnitentes, & confessi, hos quoque pro eorum pia, ac prompta voluntate ipsius indulgentiæ,ac doni participes fieri volumus.Monemus itaque,& hortamur omnes Christifideles,qui sacro huic cœtui interesse poterunt, vt humanæ vitæ miserias,sæculi huius vanitatem, dierumque paucitatem, qua ad mortem, & districti examinis diem assidue properamus, contra vero immensa cælestis vitæ gaudia,summam felicitatem, perpetuam æternamq; beatitudinem attente considerantes, & animo reuoluentes, ita conscientias suas examinare, & ab omniũ peccatorum,vitiorumque maculis,& sordibus purgare

re studeant, simulque bonis, & sanctis operibus,atque orationi adeo intenti sint, vt tanti huius gaudij, & ecclesiasticorum munerum largitionis vere participes fieri, & in altero postea sæculo præmium vberrimum consequi mereantur. Quare mandamus omnibus Patriarchis,Archiepiscopis,Episcopis, cæterisque ecclesiarum Prælatis,vt suos quisque populos diligenter curent ea omnia edocendos, quæ ad remissionis, & indulgentiæ prædictæ adipiscendæ præparationem fuerit opportuna, debita in eos pietatis, & misericordiæ opera exercendo. Rogamus quoque in Domino charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum Rom. Regem in Imperatorem electum, ac Reges,& Principes omnes Christianos,quo magis merita ipsorum in fouenda hac peregrinantium pietate apud Deum crescant, & tanti tamque boni operis participes efficiantur, vt viarum securitati ad eorundem peregrinorum commodum prospicere,egẽtibusque beneficentia, & eleemosynis succurrere velint. Vt autem præsentes literæ in omnium notitiam facilius perferantur, volumus earum exemplis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, ac personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo munitis eandem prorsus fidem haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus si exhibitæ forent, & ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis,monitionis, hortationis, mandati, rogationis,& voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Sexto Idus Maij, Pontificatus nostri Anno Secundo.

M. Datarius. Cæ. Glorierius.
A. de Alexiis.

Eiusdem priuilegia, exemptiones, & gratiæ Militum legionariorum, seu ordinantiarum.

GRegorius Papa XIII. Dilecto Filio nobili viro Iacobo Boncompagno totius nostræ, & sanctæ Romanæ militiæ tam equestris quam pedestris Gubernatori generali &c. Dilecte filij, nobilis vir, salutem, & apostolicam benedictionem. Volentes dilectos filios milites legionarios batalliarum, seu ordinantiarum nuncupatos specialibus fauoribus, & gratiis prosequi: Motu proprio, & ex certa nostra scientia, milites præfatos, qui pro tempore descripti, & matriculati reperientur, ab omnibus, & singulis oneribus, & exactionibus, tam realibus quam personalibus, & mistis, qualescunque sint, & quocunque nomine nuncupentur, per nos, & sedem apostolicã, ac eius Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, & alios officiales in posterum quomodolibet imponendis, exceptis duntaxat subsidiis trecentorum millium scutorum, ac quatreni pro libra carnis, etiam porcinæ, & datiis, quæ per communitates ciuitatum, aut vniuersitates terrarum pro soluendis eorum debitis antiquis, & salario medici, ac magistri scholarum pro tempore impositis, pro portiõe personas ipsas militum tantum, & non eorum familiam contingente, eos videlicet qui cum thorace, corsaleto nuncupato, militabunt, aut ipsarum batalliarum, & ordinantiarum officiales erunt in totum, cæteros vero pro medietate tantum, penitus, & omnino Apostolica auctoritate per præsentes eximimus, & liberamus, ac liberos, immunes, & exemptos fore, & esse volumus, & decernimus. Ac insuper quibusuis status ecclesiastici incolis, & habitatoribus, cuiuscunque sortis existant sub pœna ducentorum scutorum auri Cameræ Apostolicę eo ipso applicandorum, ne etiam prætextu quorumuis priuilegiorum, & indultorum apostolicorum eis quouis tempore ex quacunque causa in genere, vel in specie concessorum, quibus quo ad hoc specialiter, & expresse derogamus, aliquod genus armorum, tam offensiuorum

uorum, quam defensiuorum, gestare præsumant. Districtius inhibentes eisdem militibus, quod eorum colonelli, centuriones, & alij officiales, qui matriculati fuerint, dummodo nisi sint seruientes, aut cancellarij, vel depositarij, seu pulsatores tympanorum, alias tamburorum, aut piferorum, cum thorace prædicto militent, & eum domi proprium habeant. Necnon quicunq; alij milites, vt præfertur, descripti, & matriculati, qui thoracem habebunt, & cum eo militabunt, per terras, & loca eorum domiciliorum, ac totum statum ecclesiasticum, ensem, cum vero iter facient, quodlibet genus armorum prœlio aptorum, archibusum videlicet, alabardam, lanceam pedestrem, picam nuncupatam, & thoracem gestare possint. Cæteri vero nõ officiales, aut thoracem non habentes aliquod genus armorum in loco eorum domicilij, præterquam in die eorum lustrationis resignæ, alias monstræ nuncupatæ, gestare nequeant. Possint tamen in quibusuis status ecclesiastici terris, etiam si inibi bannimenta in contrarium emanauerint, ensem solum deferre, & ex una terras eorum domicilij tam ad eorum recreationem, & voluptatem, quam pro eorũ securitate, quodvis genus armorum prœlio, vt præfertur, aptorum deferre (archibusetis à rota qui sub pœna quingentorum scutorum similium, & exilij à toto statu ecclesiastico, gestari, aut domi haberi, seu teneri non possint, duntaxat exceptis) Et quod contra eos super armis, seu instrumentis, aut vestibus militaribus pro quouis debito, executio fieri, aut tempore quo in nostris, & dictæ sedis seruitiis extra terras eorum domicilij institerint, & per quindecim dies post, in quauis tam ciuili, quam (dummodo non sit crimẽ læsæ maiestatis) criminali causa procedi nequeat. Quodque omnes rixæ inter ipsos milites etiam cum sanguinis effusione pro tempore facta (dummodo mors, aut membri mutilatio secuta non sit) infra tres dies per Capitaneum eorundem militum componi, & decidi possint, nec interim Iudices maleficiorum, aut alij officiales

inpræ

in præmissis, alias quam in cogendis eorum consanguineis, & affinibus ad præstandum cautiones de se non offendendo, intromittere valeant. Et, si rixæ huiusmodi infra dictum triduum compositæ, & decisæ fuerint, illi qui eas commiserint, ab omni eo quod ratione maleficij ad dictam Cameram spectaret, non autem à pœnis communitatibus, seu vniuersitatibus prædictis debitis, quas eis omnino persolui volumus, liberi sint penitus, & exempti. Si vero eędem rixæ infra dictum triduum non compositæ, & decisæ, aut inter militum matriculatum factæ fuerint, iudices ordinarij contra eos, qui rixas commiserint, inquirere, & procedere possint in omnibus, & per omnia, perinde ac si aliter ipsorum rixantium miles legionarius matriculatus non esset. Et quod durante dicta militia, milites legionarij matriculati prædicti in terris, & ciuitatibus eorum domicilij quoscunque magistratus, honores, munera, & officia, quæ eorum antecessores habere consueuerint, assequi, & tempore solito gerere & exercere valeant, & eo tempore, quo magistratu gesserint à munere militiæ sint immunes, & exempti. Et, si contingat officiales batalliarum, seu ordinantiarum huiusmodi aliquos milites legionarios, pro eo quod eorum ordinationes militates no adimpleant, castigare, iudices ordinarij non cõtra eosdem solum, sed etiam eorum affines, & consanguineos super præstatione cautionum de se non offendendo procedere possint. Túque vel à te pro tempore deputatus, eos omnes punire, corrigere, & absoluere, ac ordines, & capitula, pœnalia, per eos inuiolabiliter obseruanda eis assignare, & contra eorum transgressores pœnas in eis contentas aggrauare, minuere, & annullare, ac in quos volueris vsus pro ipsius militiæ conseruatione, prout tibi melius visum fuerit, conuertere libere, & licite valeas, dicta auctoritate per præsentes concedimus, & indulgemus. Mand antes omnibus, & singulis prouinciarum, ciuitatum terrarum, oppidorum, & locorum prædictorum Legatis, etiam si eiusdem Ro

Romanæ Ecclesiæ Cardinales fuerint, & Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, Communitatibus, Vniuersitatibus, Barisellis, & Capitaneis, pro tempore existentibus, & aliis, ad quos quomodolibet spectabit, quatenus ipsi, & eorum singuli, sub nostræ indignationis, & eorum amotionis ab officiis suis, per eos, & eorum quemlibet eo ipso irremissibiliter incurrendis pœnis, præmissis omnibus intendant, & ea firmiter & inuiolabiliter obseruent, & ab aliis opseruari mandent, & faciant, nec præmissis contrauenire, aut contra presentium tenorem aliquem condemnare, aut absoluere præsumant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesimatertia Martij, millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Cæ. Glorierius.

Breue Sanctissimi D.N.D. Gregorij Papæ XIII. contra Religiosos, & Religiosas ordinis Sancti Francisci de obseruantia, recurrentes ad seculatia tribunalia, & contemnentes ordinationes commissariorum sui generalis Ministri.

Gregorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriam.

QVoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, vt ea, quæ ausu temerario ab ecclesiasticis præsertim regularibus personis plerunque attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compescamus, & remoueamus, Idcirco cum referente dilecto filio fratre Christophoro de Capite Fontium fratrum Minorum de obseruantia, ordinis Sancti Francisci Generali Ministro, non sine animi nostri molestia, nuper intellexerimus nonnunquam quosdam religiosos, & religiosas ordinis sui huiusmodi, Dei timore postposito, & suæ professionis

nis immemores, vt in eorum malefactis, & inobediē tia se diutius confoueant, ab iis, quæ per prælatos eiusdem ordinis etiam guardianos, siue prouinciales, vel commissarios ab ipso generali Ministro pro tempore deputatos acta sunt, & decreta, ad tribunalia secularia appellare, & ad ea temere confugere. Auctoritate apostolica, tenore præsentium præcipimus, & inhibemus sub excommunicationis latæ sententię, à qua non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolui possint necnon priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcunque dicti ordinis officia exercenda, ac vocis tam actiuæ, quam passiuę, eo ipso incurrendis pœnis, ne quis prouincialis, aut alius cuiuscunque dignitatis, status, gradus, & conditionis ordinis huiusmodi religiosus, aut religiosa ad ipsa tribunalia secularia quouis prætextu, aut quæsito colore, vt prefertur, appellare, vel illa propterea quoquo modo adire audeant, vel præsumant: sed si se à prælatis suis grauari prætendant, ad generalem ministrum ipsius ordinis, seu illius protectorem, aut viceprotectorem in Romana Curia, vel ad nos, siue Romanum Pontificem successorem nostrum, supremum in Ecclesia Dei iudicē, sicut antiquitus semper consuetum fuit, recursum habeant, vnde illis breui manu iustitia ministrabitur. Declarantes nihilominus non modo eosdem religiosos, & religiosas contrafacientes in dictas pœnas incidere, verum etiam eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores, & consultores illas quoque incurrere. Præterea sub pœnis prædictis prohibemus, ne quis prouincialis, aut guardianus, vel cuiuscunque alterius gradus religiosus, aut religiosa eiusdem ordinis ab ipso ministro generali missis pro visitandis prouinciis, commissariis resistere, nec eis se opponere, aut contradicere, seu se rebellem exhibere: ipsos quacunque de causa, vel quæsito colore non recipiendo, audeat, neque debeat. Volentes eundem ministrum generalem

generalem, quotiescunque sibi expedire videbitur, quos voluerit commissarios ad quascunque sui ordinis vtriusque familiæ prouincias quibusuis consuetudinibus, ac statutis per quaslibet personas in contrarium factis, non obstantibus, liberè mittere posse. Insuper, quia, vt etiā accepimus, aliquando nonnulli ministri ex visitatis prouinciis per commissarios ad hoc ab ipso generali ministro deputatos, quę à dictis cōmissariis rectè, & salubriter ordinata, & gesta fuerūt, rescindere, mutare, aut contemnere solent, sub omnibus, & singulis pœnis, supradictis expressè prohibemus, ne quisquam ab eisdem commissariis facta, & ordinata mutare, alterare, aut peruertere sine expressa licentia, & permissione ipsius ministri generalis, qui solus ea mutare valeat, vllo modo præsumant. Decernentes irritū, & inane quicquid secus super his à quo quam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter cō tigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis: ac quibusuis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, & confirmatis, quibus omnibus eorum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, Die octaua Aprilis, Millesimo quingentesimo septuagesimo quinto. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem confirmatio priuilegiorum ordinis Minorum de obseruantia.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Exbeni

EX benigna Sedis Apostolicæ prouisione prouenire dignum est, vt personæ Deo deuotę sub regulari castimonia Domino militantes pia deuotione proficiant, vnde Romanus Pontifex quandoque per prædecessores suos pro religionis conseruatione, & augmento, ac personarum earundem quiete, & commodo concessa approbat, & innouat, ac approbata, & inuouata apostolica auctoritate communit. Sanè pro parte dilecti filij Christophori de capite fontium moderni Generalis Ministri ordinis fratrum minorum de obseruātia nobis nuper expositum fuit, quòd, cū inter operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth Dei gratia ordo ipse fratrum minorum magnos probitatis, & doctrinæ, ac animarum salutis fructus semper olim attulerit, & quotidie afferre conetur, & exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum ab Apostolica Sede, cuius continue pacem, & dignitatem ordo idem fortiter tutatus est, tam spiritualia quàm temporalia subsidia, ornamentaque acceperit, & accipiat, quibus & sua sancta officia, ac vitā suam regularem facilius, atque magis expeditè transigere possint, & cæteræ religiosæ personæ, ordinesque alij exemplo ipsorum promptiores, alacrioresque ad sua officia persoluenda reddantur, cumque etiam ex ipsius sedis prouisione, ac benigna dignatione prouenire dignoscatur, vt Romanus Pontifex quandoque prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innouet, ac apostolica auctoritate innouata, & restaurata muniat, & fulciat, & in pristinum statum reponat, ac reducat, necnon propterea nōnulli Romani Pontifices prædecessores nostri nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, ac omnia, & singula priuilegia, & indulta tam spiritualia, quam temporalia etiam per solam signaturam, aut per oracula viuæ vocis tam pro foro conscientiæ, quam

quam foro fori tam prędictis fratrum minorum, quā Sanctæ Clarę, ac tertio de pœnitentia nuncupato ordinibus, illorumque superioribus fratribus, monialibus, & sororibus, ac vtriusque sexus personis, & Monasteriis, Domibus, ecclesiis, & locis quibuscumque dictorum ordinum nunc, & pro tempore existētibus in genere vel in specie, etiam per modum communicationis siue extensionis priuilegiorum inter se, ac etiam cum aliis quibuscumque ordinibus mendicantibus, & non mendicantibus concesserunt, aut iam cō cessa confirmarunt, & approbarunt, prout in singulis concessionibus, & literis eorundem prædecessorum desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, illa, quæ sæpius apostolica auctoritate præfata munita existunt, maiorem obtineant roboris firmitatem, dictusque Christophorus Minister Generalis cupiat priuilegia, facultates, concessiones, indulta, dispensationes, & singulas alias gratias huiusmodi etiam per nos approbari, innouari, & confirmari, pro parte eiusdem Christofori nobis fuit humiliter supplicatum, vt eisdem priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, fauoribus conseruatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, & indultis pro illorum obseruātia nostræ approbationis robur adiicere, aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui omnium votis præsertim illis, quib° sub suaui religiōis iugo diuinis laudibus, & Christianæ religiōis augmento incumbentium personarum tranquilitati, commoditati consulitur, libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis, huiusmodi supplicationibus inclinati, præmissa, ac omnia, & singula alia priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spirituali, & temporalia, etiam per modum communi-

cationis, & extensionis inter se, & cum aliis ordinibus mendicantibus, & non mendicantibus, eisdē fratrum minorum regularis obseruātiæ, ac Sanctæ Claræ, & de pœnitentia tertio ordinibus etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione, & eorundem superiorum ordinis minorum regularis obseruantiæ huiusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum fratribus, monialibus, sororibus, ac vtriusque sexus etiam singularibus personis, necnon Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscunque in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam viuę vocis oraculo, vt prędfertur, aut aliàs tam per præfatos, ac quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedē prædictam quàm Imperatores, Reges, & alios principes sub quacunque forma, & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus singulas desuper confectas literas, & in eis conta, & inde secuta quęcunque, illorum omnium tenores, & formas, datas, effectus, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum inserentur præsentibus pro sufficienter expressis habētes, dicta auctoritate apostolica tenore prędsentium exceptа nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, quatenus sint in vsu, & sacris canonibus, & decretis, sacri concilij Tridentini non aduersentur, approbamus, & confirmamus, & innouamus, perpetuāque roboris firmitatem obtinere, & firmiter obseruari, necnon ordinibus fratrum minorum regularis obseruantiæ, & Sanctæ Claræ, ac tertio de Pœnitentia nuncupato etiam in congregatione sub obedientia fratrum minorum de obseruantia huiusmodi degentibus Superioribus, fratribus, monialibus etiam tertiaris nuncupatis, sororibus, personis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis præfatis, etiam per modū communicationis, & extensionis huiusmodi suffragare, illisque frui, vti, & gaudere quādo, & quoties opus fuerit, posse, & debere in iudicio, & extra, ac etiam in foro conscientiæ in omnibus, & per omnia, perinde ac si specialiter, & expresse eisdem fratrum minorum, ac Sanctæ Claræ, & tertio de pœnitentia nuncupato ordinibus concessa fuissent, decernimus, supplentes omnes, & singulos iuris, & facti ac solemnitatum etiā de iuris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum forsan omissarum, & alios quoscūque defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. Quocirca venerabilibus fratribus Corduben. & Leodien. Episcopis, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra prędsentes literas, & in eis cōtenta quæcunque plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui, & gaudere. Non permittentes quemquam desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascunque de quibus eis videbitur censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac alia oportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiā ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus prædmissis, ac constitutionibus Super cathedram, Bonifacij, & Dudum Viennen. concilij, ac Clementinæ Religiosi, de priuilegiis, & Dudum. de sepulturis, ac etiam Ex frequentibus. de sententia excommunicationis, ac extrauagante, Ad conditorem. Ioannis vigesimi secundi, cum aliis constitutionibus eandem prædictæ materiam extrauagantis tangentibus, seu concernentibus, ac regulis cancellariæ apostolicæ, editis, & in futurum edendis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui etiā prędecessoris nostri de vna, & in concilio generali de duabus diætis editis, dummodo non vltra tres diætas aliquis, prædsentium vigore ad iudicium extrahatur, aliisque apostolicis cōstitu-

tionibus,ac prouincialibus, capitularibus, generalibus, & specialibus constitutionibus, & ordinationibus etiam in vltimo generali Lateranen. concilio celebrato, aliisque conciliis editis, necnon statutis, & consuetudinibus,etiam iuramento,confirmatione apostolica,vel quauis firmitate alia roboratis, & priuilegiis quoque indultis,& literis apostolicis, etiam in forma breuis per Leonem decimum Clementem septimum,Paulum tertium,Iulium etiam tertium, Paulum Quartum, Pium etiam Quartum prædictos, ac etiam Pium Quintum, & quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, & sedem eandem etiam Motu proprio,ac scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusuis irritatiuis,annullatiuis,cassatiuis,etiam priuilegiorum eorundem reuocatiuis, restrictiuis,reseruatiuis, exceptiuis,restitutiuis, declaratiuis,mētis attestatiuis, ac derogatoriarum derrogatoriis, aliisque efficaciorib⁹;efficacissimis,& insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis,cōfirmatis,& innouatis. Quibus omnibus,etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis,eorumque totis tenoribus specialis,specifica,expressa,& individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes,mentio,seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret;etiā quòd in eis caueatur expresse, quòd illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari possit,tenores huiusmodi,ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes,illis etiam in suo robore permansuris,hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus:Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem,cæteriſq; contra

contrariis quibuscunque. Verum,quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus fortè opus esset,deferri,volumus, & pariter Apostolica authoritate decernimus, quòd illarum transumptis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, seu curiæ ecclesiasticæ munitis eadem prorsus fides in iudicio & extra illud adhibeatur,quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris Die xxi. Maij. M. D. LXXV. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Cæ. Glorierius.

Nos Franciscus Alciatus nuncupatus, ac Viceprotector ordinis Sancti Francisci miseratione diuina, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ,tituli Sanctæ Mariæ in portico Mediolanensis Cardinalis Omnibus, & singulis præsens transumptum literarum Apostolicarum confirmationis, & innouationis priuilegiorum fratrum minorum de obseruantia per Sanctissimum Dominū Gregorium Diuina prouidentia Papam tertium decimum factæ visuris,lecturis pariter, & audituris, notum facimus, & in verbo veritatis attestamur, qualiter cum originalibus Apostolicis literis, quas non cassas,non abolitas, nec in aliqua sui parte suspectas vidimus, concordare:in quorum omnium fidem, & testimonium, ad instantiam admodum.R.P.F. Christophori à Capite fontium totius ordinis Sancti Frā cisci de obseruantia Generalis Ministri, has præsentes nostras attestationis literas,etiam imprimi, & nostri soliti sigilli(quo in similibus vtimur)impressione communiri,& per notarium infrascriptum, subscribi fecimus. Actum, & Datum Romæ in ædibus nostris, Anno à natiuitate Domini 1575. Indictione tertia, Die vero xxv.Maij. Pontificatus eiusdem Sanctissimi D.N. Gregorij tertij decimi Anno Quarto.

F.Card.Alciatus Viceprotector.

Eiusdem confirmatio prohibitionum apostolicarum, ne alumna infidelium importentur ad partes Christianorum.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Muneris nostri debito incumbit, vt quæ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris pro Christianæ reipublicæ vtilitate statuta, & decreta fuerunt ea rata & firma manere, atque ab omnibus diligēter obseruari curemus. Quo circa cum fel. rec. Iulius Secundus, Paulus Tertius, & Iulius etiã Tertius, Pius Quartus prędecessores prohibuerint, ne infideliũ Alumina ad Christianorũ regiones, & loca adueherētur, & importarētur, grauissimis censurarũ anathematis, amissionis bonorũ, aliisq; cōtra inobedientes eorúmue socios, fautores, & auxiliatores propositis pœnis, idque propter iustas ratiões, & causas fecerint: Nos volentes quæ ab ipsis antecessoribus ita sancita fuerunt, ad debitum effectum perduci, omnes eorum hac de re editas literas, & constitutiones tenore præsentium approbamus, & innouamus cum eisdem censuris, & pœnis, ac omnibus Christifidelibus cuiuscunque status, gradus, & conditionis existentibus præcipimus, & interdicimus, ne aduersus prædicta agendo, Alumina ipsa infidelium ad Christianorum partes quouis modo audeant importare, aut importantibus præbere consilium, auxilium, vel fauorem. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, statutisque, & consuetudinibus etiam municipalibus, iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis quibusuis personis publice, vel priuatim sub quibuscunque tenoribus, & formis concessis, approbatis, & innouatis, cæterisque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes literæ in omnium notitiam facilius perueniãt, volumus earum exemplis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prosus fidem haberi

beri in iudicio, & extra illud, quæ ipsis originalibus literis haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, præcepti, interdicti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

M. Datarius. Cæ. Glorierius.
A. de Alexiis.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, die quarto mensis Octobris, Pontificatus sanctissimi in Christo patris, & domini nostri domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Retroscriptæ literæ apostolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt, in valuis ecclesiæ sancti Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Scipionem de Octauianis, & Camillum Cherubinum Cursores.

Eiusdem de Doctoribus Romanis ad lecturam in studio, seu gymnasio almæ Vrbis in quacunque facultate eligendis.

GRegorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes vniuersos almæ Vrbis nostræ origine ciuium filios ad bonarũ literarum cognitionem, & doctrinam pro communi, & publica vtilitate, dictæque Vrbis ornamento, & honore paterna charitate, & Sedis Apostolicæ munificentia, atque liberalitate allicere, vt ipsis & etiam cæteris ad virtutem calcar honorificum, & fructuosum addatur: Motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatæ peti

tionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de mera nostra liberalitate dilectis filiis Senatui, & Populo Romano, quod ex nunc deinceps, & perpetuis futuris temporibus omnes, & singulos adolescentes & iuuenes doctores ex patre, & auo Romæ natis Romani excedentes vigesimum secundum suæ ætatis annum, qui in studio, seu gymnasio publico dictæ Vrbis in quacunque facultate pro tempore, legere voluerint, ad lecturam huiusmodi, facta tamen prius per eos coram dilectis filiis nostris S. R. E. Cardinalibus super eodem studio, seu gymnasio deputatis, ac illius Rectore, & Reformatoribus pro tempore existentibus, vna lectione, admitti debeant, cum salario viginti-quinque scutorum quolibet anno pro vnoquoque, qui, vt præfertur, legere voluerint, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & elargimur. Necnon eisdem doctoribus, vt præfertur, qui in eodem gymnasio munus legendi subibunt, dicti salarium annuum viginti quinque scutorum ipsis, & eorum cuilibet debitis, & consuetis in eodem studio, seu gymnasio temporibus, ac de, & ex eiusdem studij, seu gymnasij reditibus, prouentibus, vectigalibus, & aliis emolumentis vniuersis per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, persoluendum, Motu & auctoritate similibus constituimus, & assignamus, ipsosque ad lecturam huiusmodi recipi, & admitti, ac salarium eis, & eorum singulis persolui debere, vt præfertur, decernimus. Mandantes propterea dilectis filiis Conseruatoribus Cameræ dictæ Vrbis, ac Rectori, & Reformatoribus dicti studij, seu gymnasij, præsentibus, & futuris, aliisque omnibus, & singulis, ad quos id quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit, quatenus præsentes nostras literas recipiant, & admittant, ac inuiolabiliter obseruent, & ab omnibus, quos ea quomodolibet concernunt, & concernent, obseruari mandent, & faciant: necnon doctoribus legentibus huiusmodi de dicto salario debitis, vt præfertur, temporibus annuatim respondeant, & etiam

etiam faciant ab aliis responderi, realiter, & cum effectu: & si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritū, & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac studij, seu gymnasij, necnon vrbis huiusmodi iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis apostolicis quibusuis superioribus, & personis in genere, vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiam motu simili ac cōsistorialiter, & alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mētio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcū sub annulo Piscatoris, Die duodecimo Octobris millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem Suspensio omnium Indulgentiarum plenariarum ad beneplacitum, causa proximi Anni Iubilei.

GRegorius Episcopus seruus seruorum dei, ad futuram rei memoriam. Quoniam Sancti Iubilei celebrationem proximo anno millesimo quingētesimo septuagesimo quinto à primis vesperis, quæ vigilia est diei festi proxime futuri Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, incipiendam, & per totum illum annū finiendam, vniuerso populo Christiano de fratrum nostrorum assensu indiximus, quemadmodum

literis nostris desuper confectis plenius continetur: Nos pro consequenda eo anno indulgentia, quæ dictis literis expressa est, multorum Romanorum Pontificum morem secuti, De Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum omnes, & quascunque indulgentias plenarias etiam ad instar Iubilei, & earum causa facultates cõcessiones, & indulta quęcunq; à nobis, & dicta sede, eiusq; auctoritate quibuscũque ecclesiis, locis, necnõ ordinibus, etiam Mendicantium, ab Militiarum, necnon Confraternitatibus, & Vniuersitatibus, earũque & aliis cuiuscunque dignitatis, gradus & conditionis personis ecclesiasticis, & secularibus per vniuersum orbem constitutis, etiam per modum communicationis, extensionis, & alias quomodocunque perpetuo vel ad tẽpus quibusuis modis, & ex quibusuis causis cõcessas & cõcessa, quibuscũque illa sint concepta formulis, ac restitutiõibus, reuocationibus, mẽtis attestationibus, aliisque clausulis, & decretis communita. Decernẽtes interim illa, & literas desuper confectas nulli prorsus suffragari debere; Necnõ irritũ, & inane quicquid secus per quoscunque contigerit attẽtari; Indulgentiis basilicarum, & aliarum ecclesiarum vrbis nihilominus in suo robore duraturis. Præcipimus igitur, atque interdicimus, ne vllę aliæ quã prædicti à nobis indicti Iubilei indulgẽtiæ, siue publice, siue priuatim vbique locorum, & gentium interim publicentur, prædicentur, vel nuncientur, aut in vsum demandentur: qui secus fecerint, in excõmunicationis sententiam eo ipso incurrant, & ab Ordinariis locorũ pro cuiusque arbitrio puniãtur. Non obstãtibus præmissis, ac cõstitutionibus, & ordinationibus, apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum Cõuẽtuum, Ordinum, Congregationum, & Hospitalium, & locorum prædictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cõsuetudinibus, priuilegiis quoque, exemptionibus, & indultis apostolicis, illis, eorumque superioribus, & personis, ac quibuscunque aliis per quoscũque Rom. Pont. prædecessores nostros, ad nos, & dictã sedem, eiusque Legatos, & alios sub quibuscũque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis ex quibusuis causis concessis, confirmatis, extẽsis, restrictis, & innouatis, quibus omnibus, eorum tenores ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque cõtrariis quibuscũque. Et quia difficile nimis esset, præsẽtes quocũque illis opus eric, perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, notarij publici manu, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis eandem prorsus fidem in iudicio, & extra vbique locorum ad hiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, decreti, præcepti, interdicti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo-septuagesimo quarto, Idibus Nouembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

M. Datarius.

Cæ. Glorierius.
A. delexiis.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, die vero Martis decimaseptima mensis Nouembris, Pontificatus autem sanctissimi in Christo patris, & domini nostri domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Tertio, retroscriptæ literæ apostolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt in valuis Ecclesiarum sancti Ioannis Lateranensis, Principis,

pis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, vt moris est, per nos Scipionem de Octauianis, & Ioannem Freyle prædicti S.D.N. Papæ Cursores,

Petrus Sperengerius Magister Cursorum.

Registrata apud Cæsarem Secretarium

Eiusdem reformatio Curiæ de Sabellis.

GRegorius Episcopus seruus seruorum dei, Ad perpetuam rei memoriam. Dum recte administrandæ vbique iustitiæ rationes omnes bene constitutas & cupimus, & pro nostro munere, veterique studio, quo possumus enitimur, haud postrema esse debet minorum huius Vrbis tribunalium cura, in quibus quicquid delinquitur, eo deterius contingit, quo pauperiores afficit, quibus in re tenui, & acrius ex iniuria damnum, & difficilius remedium afferri solent. Cum igitur nuper officium Marescallatus sedis apostolicæ dilecto filio nobili viro Bernardino de Sabellis Marescallo dictæ sedis concesserimus, volentes eidem officio non minus de legum præstantia, quam de viri solertia esse prospectum, vt in illius curia de Sabellis nuncupata tum iudica, tum cætera ad id munus pertinentia, ad iusti, & recti normam directa fine sorde peragantur, infrascripta hæc, quorum aliqua pridem à Iulio II. & à pio IV. fel. rec. prædecessoribus nostris, licet prudenter constituta, iam in vsu non erant, ibi deinceps inuiolate seruanda perpetuo statuimus, & ordinamus, atque etiam innouamus.

Iudex ibi ius dicturus gratuito à Marescallo deputetur, adeo, vt neque iudici dare, neque Marescallo accipere propter hoc quidquã liceat, etiam mutui alióue nomine, quauis de causa, vel ante, vel post deputationem, etiam auctoritate, siue prætextu cuiuscunque consuetudinis, aut etiam indulti à sede apostolica concessi, illam enim improbamus, hoc autem reuocamus expresse.

Deputatio vero fiat ad annum duntaxat, quo finito, finitum etiam sit eius Iudicis officium, nisi propter aliquam rationabilem causam prorogandum visum fuerit, sed prorogatio alium annum omnino nõ excedat semel tantum fieri possit.

Antequam incipiat exercere officium, caueat idoneis fideiussoribus de stando sindicatui, finito officio, etiam si nec querelatus, nec requisitus fuerit, offerat se sindicatui coram Gubernatore Vrbis, & Auditore Camerę, illi vero quadraginta diebus sindicatum absoluant, iudicemque, prout iure faciendum erit, vt liberent, vel condemnent, & puniant, quod si intra dictorum dierum numerum non fecerint, Camerarius S. R. E. qui tunc erit, duos viros deputet, qui intra alios viginti dies huiusmodi sindicatum peragant. Lapsis autem dictis terminis, pro absoluto habeatur.

Commentariensis, & Capitanei, necnon executoris eiusdem curiæ munia per idoneos, & fidos ministros gerantur, neque vendantur neque locentur vllo modo, neque quidquam pro illis habendis, aut exercendis quouis nomine, & prætextu soluatur, siue respondeatur, qui aliquid soluerint, siue responderint, officio priuari sint, & publice fustigentur.

Notariorum officia ibi duo tantummodo habeantur, quodque soli notarij sint, neque is numerus aliquo prætextu augeri vnquam possit.

Cæterum de causis criminum capitalium, item de illis criminibus, pro quibus pœna corporis afflictiua vel iure, vel statutis, vel bannimentis à maioribus magistratibus promulgatus est imposita, neque Marescallus, neque iudex ab eo deputatus cognoscant.

Sed de aliis minoribus delictis, nisi iam in alio tribunali iudicium de illis finitum, aut prius cæptum fuerit, cognoscere possint.

Nunquam tamen saluum conductum aut significationem, vt vocant, vel in leuissimis delictis, & prætextu cuiusuis dependentiæ concedãt, nisi forte reus, data fideiussione, relaxatus esset, aliter cõcessum, vel concessam cæteri iudices non seruent.

In

In quacunque autem causa criminali, quæ in hac curia cœpta fuerit, citetur, procurator fisci in omnibus illis terminis, & actis, in quibus tolet in aliis curiis Vrbis citari.

Præterea in quacunque causa ibi cœpta proferatur omnino sententia, siue absoluendo, siue condemnando. Et si quæ solutiones pœnarum in eadem curia recipientur, scribantur in libro ad hoc ordinato, singulisque solutionibus subscribat ipsemet reus, vel si is nesciuerit, ipsius procurator, vel alius in causa defensor.

In ciuilibus vero causis, à grauaminibus in dicta curia illatis, appelletur ad Auditorem.

Postremo exactiones illas, quæ à mulieribus inhonestis singulis annis singulisque sex mensibus, aut alias sub nomine tributi fieri solebant, omnino prohibemus, proposita Marescallo illas attentanti pœna priuationis officij ipso facto incurrenda.

Non obstantibus dictæ curiæ etiam longissimi, & immemorabilis temporis obseruantia, ac confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, & stilo, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis illi, vel pro tempore existenti Marescallo ex quauis causa concessis, & etiã sæpius confirmatis, quibus omnibus, illorum tenores hic pro integre expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam nostrorum statuti, ordinationis, innouationis, improbationis, reuocationis, prohibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ milesimo quingentesimo septuagesimo quarto, sexto Calendas Februarij, Pontificatus nostri Anno Ter

Tertio.

Cæ. Glorierius.

M. Datarius.

A. de Alexiis.

Anno à Natiuitate Domini milesimo quingentesimo septuagesimo quinto, indictione tertia, die vero vltima mensis Ianuarij, Pontificatus sanctissimi in Christo patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Tertio, retroscriptæ literæ apostolicæ originaliter affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateranen. basilicæ Prinprincipis Apostolorum de Vrbe, & valuis Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, vt moris est per, nos Camillum Cherubinum, & Guilelmum Maechs Curs.

Marcus antonius Brutus Magister Curs.

Eiusdem Indulgentia Sancti Iubilei pro catholicis Anglis tam in Anglia, quam extra eam existentibus.

GRegorius Papa XIII. Vniuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem. Saluator Dominus noster Iesus Christus Dei filius, qui sui pretiosissimi sãguinis effusione de manibus aduersarij nostri, quæ̃tis, quem deuoret, nos eripere dignatus est, ad hoc nobis licet immeritis vices suas committere, ac ligãdi, & soluendi potestatem tradere voluit, vt pro gregis Dominici salute hoc potissimũ accepto remissionis tẽpore, & anno Iubilei apostolicos cogitatus plenius effũdamus. Hinc est, quòd cum, sicut accepimus, christifideles, & catholici Angli, tum existẽtes in Anglia, tũ extra Angliã p varias regiões dispersi, ad percipiẽdos præsẽtis anni Iubilei fructus Romã venire nequeãt, illi, quia non habẽt liberã ex Anglia egrediẽdi potestatẽ, hi quia pro fide catholica exules, & bonis priuati, non possunt tam longi itineris impẽsas, & labores sustinere, vel alia habent, eaque iuxta impedimente

menta: Propterea nos pro vniuersalis pastoris officij debito, paternaque erga christianos omnes charitate illorum animarum saluti prospicere volentes, ōnibus vtriusque sexus Angliscatholicis prædictis vere pœnitentibus, & confessis, quod in locis, vbi eos esse cōtigerit quatuor ecclesias, si tot adfuerint, sin minus tres, vel duas, & earum singulas, vel vnam tantum, vbi plures non fuerint, quindecim vicibus religiose visitauerint, ac omnipotēti Deo preces deuote effuderint, & alia in literis nostris indictionis anni Iubilei cōtenta adimpleuerint: qui vero in Anglia, vbi in nulla Ecclesia, vt accepimus, publice permittitur catholico more Deum adorari, vel alibi, vbicunque fuerint, quo uis legitimo impedimento detenti, iuxta præscriptū prudentis confessoris pro cuiuslibet, & statu, conditione, ac loci, & temporis ratione habita, faciendo, & operando, vel si confessoris copia haberi non poterit cum vera cordis contritione rosarium, seu coronam quindecies beatæ Mariæ Virginis deuote recitando omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones etiam plenarias consequantur, & eorum quilibet consequatur, quas consequerentur, & consequi possent, si in hoc præsenti anno Iubilei diebus statutis quatuor ad id deputatas basilicas, & ecclesias almæ vrbis, & extra illius muros, pro quibus visitandis Iubileum, & indulgentiæ prædictæ cōcessæ sunt, personaliter visitarent, & eorum quilibet visitaret, & ad effectum huiusmodi confessores presbiteros seculares, vel cuiusuis ordinis regulares, qui confessionibus eorum diligenter auditis eos, & eorum quemlibet à quibusuis peccatis, criminibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus etiam apostolicæ sedi reseruatis, etiam in Bulla cœnæ Domini cōtentis iniuncta eis pœnitentia salutari, absoluere possint, eligere valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod

quod præsentium literarum exemplaribus etiam impressis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsētibus adhiberetur, si forent exhibitę vel ostēsę. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die trigesima Martij millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem Indictio sex decimarum super omnibus fructibus & pensionibus ecclesiasticis Italiæ.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam. Quo in statu respublica christiana sit hoc tempore, quot quantisque calamitatibus oppressa, adeo aperte res ipsa testatur, vt nihil magis certum, magisque perspicuum esse possit. Nemo enim fere Christianorum est, cui non aut dolendum de propriis damnis, aut non de vicinorum ærumnis sit commiserescendū. Galliæ regnum quondam opulentissimum per multos annos intestinis bellis, exagitatum, & attritum, nouis nunc discordiis (antiquo humani generis hoste faciente) in maximum discrimem adductum est: Belgium adhuc bello flagrat, nec finis malorum cernitur: Poloniæ Regno, propter exorta inter nobiles de electione Regis dissidia, & studia in diuersas partes diuisa, non parua pericula impendere timentur: Sed ad hæc interna, & grauissima Christiani populi vulnera accedunt externa crudelissimi hostis nostri Turcarum tyranni, nunc qui ingentem comparare, & ornare dicitur classem, ad inuadenda, & oppugnanda quæcunque ipsi libuerit ditionis Christianæ loca. Itaque cum harum rerum causa ad Auenionensem ciuitatem, & comitatum Venayssinū contra hæreticos defendēdū, ad munienda oppida nostra maritima, & validis præsidiis

aduesus Turcarum impetus firmanda, ad subuenien
dum Principibus Christianis, qui in rerum suarum
periculis opem, & auxilium nostrum implorarunt, in
gentes hucusque sumptus fecerimus, & maiores post
hac faciendi sint, nec Fisci nostri angustia tot neces
sitatibus supplere possit. Et si statueramus nullus
Populum, aut Clerum nouis exactionibus impositio
nibusue grauare, idque in hoc vsque tempus præstite
rimus, tamen multitudo impensarum, & onerum a
liis super alia crescentibus, ab huiusmodi proposito,
& instituto aliquantulum recedere nõ coegit. Quod
vt nos inuiti facimus, ita speramus eam æquitatem
animorum fore, vt quod in publicam vtilitatem ne
cessario impendendũ vident, haud grauate etiam con
ferant. Habita igitur super his omnibus cum vnera
bilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus delibe
ratione matura, de eorum concilio, & assensu ad pecu
lium ecclesiarum quarum in primis salus agitur, con
uersi, indicimus, & imponimus sex integras decimas
omnium, & quorumcunque fructuum, redituum, pro
uentuum, iurium, obuentionum, distributionum quo
tidianarum, & emolumentorum, ordinariorum, & ex
traordinariorum omnium, & quarumcunque eccle
rum Patriarchalium, Metropolitanarum, cathedra
lium, collegiatarum, & parochialium, necnon Mona
steriorum, & Conuentuum, ac etiam mensarum Pa
triarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Ab
batialium, Capitularium, & Conuentualium, Prio
tuum quoque, Præpositurarum, Præceptoriarum, Ca
nonicatuum, Præbẽdarum, Dignitatum, Personatus
administrationum, & officiorum, cæterorumque be
neficiorum ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, s
ecularium, ac sancti Benedicti, sancti Augustini, Cis
niacensium, Cisterciensium, Præmonstratensium, san
cti Basilij, Siluestrinorum, & qui proprietates, redi
tusque certos ex priuilegio, vel alias possident, men
dicantium, ac quorumcunque aliorũ ordinum vtrius
que sexus, necnon Congregationũ regularium, (exceptis

ceptis duodecim illis congregationibus, quę cum Ca
mera apostolica tempore fel. rec. Pij Papæ V. præde
cessoris nostri de subsidio ordinario concordarunt, ac
etiam exceptis prædictis S.R.E. Cardinalibus ob assi
duos, magnosque labores, quos ipsi Ecclesiæ vniuer
sali impendunt, & grauissima, quæ tuendæ dignitatis
causa, sustinent onera) Et præterea Hospitalium etiã
pauperum, hospitalitatem non exercentium, seu bo
na, & reditus vltra infirmorum necessitates, & alia pro
quibus instituta sunt, pia officia exercenda possiden
tium, necnon beatæ Mariæ Theutonicorum, sancti
Lazari de Altopassu Templi Dominici, & aliarum mi
litiarum (hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani,
quæ pro sui tutela contra dictos Turcas, & alios infi
deles alienis auxiliis continuo eget, dumtaxat excep
ta) in omni Italia (præter Dominium Venetorum,
cuius clerũ vniuersũ pro cõtributione in Triremium
classem, & præsidia, quæ variis in locis ipsius Dominij
magna cum impensa custodiæ, & defensionis causa
sustentari necesse est, iam onerauimus) cõsistentium,
secundum verum annuum valorem fructuum, redi
tuum, prouentuum, & aliorum prædictorum. Ac etiã
indicimus, & imponimus sex alias decimas omnium,
& quarumcunque pensionum annuarum, super fructi
bus, reditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus,
emolumentis, & distributionibus supradictis assigna
tarum & assignandarum percipiendas, exigendas, &
leuandas ab omnibus & quibuscunque Episcopis, Ar
chiepiscopis, & Primatibus, Patriarchis, & aliis Eccle
siarum Prælatis, ac cæteris cuiuscunque dignitatis,
status, & conditionis personis prædicta quocunque
iure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, Necnon
Oeconomis, & Administratoribus perpetuis, & tem
poralibus, vsufructuariis, ac fructus, pensiones, res, &
alia huiusmodi iura ex quacunque causa sibi apostoli
ca auctoritate in toto, vel in parte reseruata habenti
bus, & habituris, secularibus, & regularibus, ordinum,
congregationum, militiarum, & hospitalium prædi

ctorum, necnon ab ipsis Ecclesiis, Capellaniis, Conuentibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, Mensis, Massis, & locis quocũque priuilegio, & exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua sultis. Quos omnes ad hoc efficaciter obligatos, pro vna intra proximum diem festum sancti Michaelis Archangeli, qui mense Septembri incidit, & pro alia intra eundem festum anni proximi futuri, & pro tertia partibus æqualibus intra illum ipsum diem festũ consequentis protinus anni, Cameræ prædictæ, & illius procuratoribus ad id constituendis omnino volumus persoluisse. Quicũque vero decimas huiusmodi nullo modo, vel non integre, scienter, aut non secundum verum annuum valorem fructuum, redituũ, prouentuum, iurium, obuentionum, distributionum, & emolumentorum, siue non terminis constituendis exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam cõmiserint, siue fraudem, ecclesiarum Antistites suspendimus à diuinis: Capitula vero, conuentus, & collegia quæcunque Ecclesiæ interdicto supponimus, ac singulares personas Antistite inferiores, excommunicationis sententia innodamus. Cæterum ad prædictas decimas consequendas præcipimus etiam omnibus conductoribus, censuariis, & locatoribus proprietatum, fructuum, rerum, & iurium prædictorum, etiam huiusmodi pensionibus oneratorum, vt vtrasque decimas nomine dominorum, & pensionariorum ad computum suæ quisque locationis, omnibus vero possessoribus, vsufructuariis, & aliis pensiones soluere debentibus, vt ipsi etiam Decimas pensionũ huiusmodi nomine pensionariorũ, Cameræ & procuratoribus prædictis integre persoluant. Decernentes Decimas fructuum, redituum, prouentuum, & aliorum iurium prædictorum secundum communem illorum extimationem constituendas, alias vero pensionum Decimas ad rationem decem pro centenario præstari debere, & secundum ea prædictos omnes insolidum cogendos esse, ipsarumq; Decimarum procuratores, à quibus libuerit integre exigendi optionem, facultatemque habere, neque vllas omnino immunitates, & exemptiones, etiam ex causa resignationis, cessionis, iuris, concordiæ, conuentionis, aut quacunque alia graui, & onerosa occasione quocunque modo concessas, & interim concedendas, integram solutionem huiusmodi minuere, vel impedire, neque possessores, vsufructuarios, aut alios pensiones huiusmodi soluere debentes, etiam si ipsi iuri, & actioni petendæ, vel detrahendæ, vel retinendæ portionis, & ratæ partis pensionarios contingentis iureiurando renunciauerint, & illam libere donauerint, & facultati repetendi renunciauerint, atque ex forma dictæ Cameræ lamplissima cauerint, modo aliquo obligari, nec ad id pro dicto tempore constringi posse: Omnes vero concessiones, & quietantias receptionis decimarum à procuratoribus, & ministris Cameræ prædictæ tam conductoribus, censuariis, & locatoribus nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, vsufructuariis, & aliis pensiones soluere debentibus, nomine pensionariorum faciendas perinde valere, atque in iudicio, & extra illud vbique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & pensionariis præsentibus, & soluentibus factæ, & exhibitæ fuissent. Conductores autem, qui pretium locationis dominis legitime anticipauerint, locationẽ suam huiusmodi, quam ad hoc prorogamus, vsque ad integram satisfactionem vt prius, etiam adueniente successore continuare debere. Sicque per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere: necnon irritũ, & inane quicquid secus per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Vt autem omnia supradicta, sicut causa vrgens postulat, diligenter, & fi-

deliter executioni demandentur, Dilectum filium nostrum Aloysium tituli sancti Marci presbyterum Cardinalem Cornelium nuncupatum, Cameratium nostrum, cuius integritas, & experientia iampridem nobis perspecta est, generalem omnium Decimarũ prædictarum Collectorem in vniuersa Italia, cum omnibus, & quibuscunque priuilegiis, iurisdictionibus, & iuribus, quæ omnes alij ante hac huiusmodi Collectores habuerunt, auctoritate prædicta tenore præsentium constituimus, & ordinamus, eique plenam, liberam, & absolutam, potestatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas decimas Cameræ prædictæ nomine vbique procurandi, prædictos omnes tam coniunctim quam diuisim ad integram illarum solutionem, vti prædictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, monendi, & requirendi, non parentes fraudantes, & cæteros contumaces in censuras, & pœnas prædictas incidisse declarandi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu regia apprehendendi, & vsque ad condignam satisfactionem retinendi: Cõtradictores, & perturbatores, molestatores, & quoscunque, eisque auxilium, consilium, vel fauorem, publice, vel occulte, quouis quæsito colore, præstantes, cuiuscunque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, cæterisque iuris, & facti remediis opportunis cõpellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggrauandi, dignitatibus, beneficiis, & officiis omnibus priuandi, & amouendi, & ad futura inhabiles faciendi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachij secularis, quandocunque opus fuerit, inuocandi, ad sanitatem vero reuersos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absoluendi, super irregularitate forsan incursa absoluendi, super irregularitate forsan incursa dispensandi, & ad pristinum statum omnino restituendi. Præterea collectores, & subcollectores fide, & facultatibus idoneos in omnibus ciuitatibus, terris, & prouinciis Italiæ prædictæ, quotquot viderit expedire, cum simili, aut limitata (non tamen absolutõdi) potestate constituendi, eumque, vel eos arbitrio suo reuocandi, negligentes, & morosos remouendi, ac alium seu alios, surrogandi, quotiescunque ei videbitur, in delinquentes, & suspectos per se, vel aliam, seu alios, etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij inquirendi, & meritis pœnis puniendi, modos, & formas in prædictis seruandos præscribendi, dubia quæcunque in præmissis forte oritura declarandi, & prorsus omnia, & quæcunque circa ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacij Papæ viij. etiam prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, ac aliis apostolicis constitutionibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum, & locorum prædictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, quodque Prælatis, & personis prædictis, eorumque ecclesiis, & locis, vel quibusuis alis communiter, vel diuisim à prædicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, earumque nominibus, & cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus, & locis huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere, & in specie quomodocunque cõcessis, confirmatis, & innouatis, eriã solutiones decimarũ aliter quã secundũ antiquã taxam, & nisi in vniuersali decimarum per orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinçu-

lis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionũ factis quibus per impositionem decimarum huiusmodi pensionum neminem teneri, neque eas quoad præmissa, contra quenquam locum habere declaramus, aliisque indultis, & literis apostolicis generalibus, & specialibus cuiuscunque tenoris existãt, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri: & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia contra præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari, necnon aliis huiusmodi impositionibus, & concessionibus, ad tempus nondum elapsum per nos factis, cæterisque contrariis quibuscunque. In percipiendis autem decimis prædictis constitutionem recol. mem. Clementis Papæ V. similiter prædecessoris nostri in Concilio Viennen. editam, quòd decimæ ad monetã currentem communiter leuari, nec calices, libri, cæteraque ecclesiarum ornamenta diuino cultui dicata, ex causa pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut alias quomodolibet occupari debeant, vbique volumus obseruari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam etiã plura quanticunque valoris beneficia ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens, pro litera, & sigillo quietantiæ vniuersalis, si illam habere voluerit, vltra vnum carlenum conficiẽtem quatrenos trigita septem huius monetæ, soluere teneatur, nec ad aliud onus prætextu cambij vspiam compellatur. Quia vero difficile nimis esset præsentes literas quocunque illis opus erit, perferri, volumus quoque, vt illarum exemplis etiam impressis, & Notarij publici manu, ac Aloysij Cardinalis, & Camerarij prædicti, aut alterius Collectoris, seu prælati ecclesiastici, eiusue Curiæ sigillo obsignatis, eadẽ prorsus fides in iudicio, & extra illud vbique locorũ adhibeatur, ac si essent exhibitę, vel ostẽsæ. Nulli ergo omnino hominũ liceat hãc paginã nostræ indictiõis, impositionis, voluntatis, suspensionis, suppositiõis, innodatio

dationis, præcepti, decreti, prorogatiõis, constitutionis, ordinationis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrũ Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, quintodecimo Calendas Martij, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Locus Signi.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

† Ego Christophorus Madrucius Episc. Præn.
† Ego A. Card. Farnesius Vicecancell. Eps. Tusc.
† Ego S. Episcopus Sabinen. Card. Pisanus.
† Ego Ful. Card. Perus. Episcopus Alba.
† Ego Iacobus Card. Sabellus.
† Ego Io. Ant. Car. sancti Georgij.
† Ego Aloysius Card. Camerarius.
† Antonius Card. Granuelanus.
† Stan. Card. Var. M. P.
† Ego Io. Franciscus Cardinalis de Gambara.
† Ego A. Card. Iesualdus.
† Ego N. Card. Sermoneta.
† Ego In. Aualos Card. de Arag.
† Ego M. Ant. Card. Columna.
† Ego Pt. Card. Comensis.
† Ego Zacharias Card. Delphinus.
† Ego Io. Franciscus Card. Comendonus.
† Ego A. Card. Sfortia.
† Ego Fla. Card. Vrsinus.

† Ego Benedictus Card. Lomelinus.
† Ego Gul. Card. Sirletus.
† Ego Ludouicus Card. Madrutius.
† Ego F. Card. Alciatus.
† Ego M. Ant. Card. Maffeus.
† Ego N. Card. de Pelleue.
† Iul. Ant. Card. Sanctæ Seuerinæ.
† P. Card. Cesius.
† C. Card. Rambouilletus.
† A. Card. Theanensis.
† F. Felix. Card. de Montealto.
† F. Vinc. Card. Iustin.
† Ego Io. Hier. Card. Albanus.
† Ego Ph. Boncompagnus. Card. S. Sixti.
† Ego Hier. Card. Simoncellus.
† Ego In. Card. de Monte.
† Ego Fer. Card. de Medicis.
† Phi. Card. Vastauillanus.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione quarta, die vero nona menſis Martij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris & D.N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ xiij. Anno Quarto, retroſcriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Eccleſiæ Sancti Ioãnis Lateranen. & Baſilicæ principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Antonium Ludouicum, & Petrum Aloyſium Gaytam Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſores.

Alamanus de Alamis Magiſter Curſ.

Eiuſdem Confirmatio priuilegiorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum etiam per modum communicationis, & extentionis inter ſe, & cum aliis ordinibus mendicantium & non mendicantibus.

GRegorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Regimini militantis Eccleſiæ, diſponente Domino

Domino, præſidentes circa ſtatum fidelium quorumlibet, præſertim religioſorum, ſtudio piæ vitæ vacantium proſpere dirigendum attentius cogitamus, & eos, vt quietius vota ſua Domino perſoluere poſſint eorumque loca, & domos benignis fauoribus confouemus, ac iis, quæ propterea per prædeceſſores noſtros prouide nõceſſa fuiſſe dignoſcuntur, vt firmiora perſiſtãt, cũ à nobis petitur, apoſtolici muniminis præſidium propenſius impartimus. Dudum ſiquidẽ ſicut accepimus, fel. rec. Innocentius iij. Honorius etiam iij. Gregorius ix. Celeſtinus iv. Innocẽtius etiã iv. Alexander iij. Vrbanus iv. Clemens iv. Gregorius x. Clemens v. Clemens vi. Innocentius etiam iv. Vrbanus v. Gregorius xi. Vrbanus vi. Alexander v. Eugenius iv. Sixtus vi. Innocentius viij. Alexander vi. Iulius ij. Leo x. Adrianus vi. Clemens vij. Paulus iij. Iulius etiam iij. Paulus iv. Pius etiam iv. ac Pius v. prædeceſſores noſtri ordini Sanctiſſimæ Trinitatis, redemptionis captiuorum miniſtro Generali, & aliis fratribus, eorumque eccleſiis, domibus, & conuentibus, nonnullas gratias, conceſſiones indulgentias, peccatorum remiſſiones, abſolutiones etiam plenarias, libertates, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, diuerſaque alia priuilegia, & indulta tam ſpiritualia, quam temporalia, etiam per ſolam ſignaturam, aut viuæ vocis oraculo tã pro foro conſcientiæ, quam foro fori, in genere, & ſpecie, etiam per modum communicationis, ſiue extenſionis priuilegiorum, etiam cum aliis quibuſcunque ordinibus mendicantibus, & non mendicantibus conceſſerunt, aut iam conceſſa confirmarunt, & approbarunt, prout in ſingulis conceſſionibus, & literis ipſorum prædeceſſorum deſuper confectis plenius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius Bernardus, modernus Miniſter Generalis præfati ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, redemptionis captiuorum, nobis nuper exponi fecit, ea firmiora cenſeri, quæ Sedis apoſtolicæ confirmatione ſæpius roborantur, ideo nobis

bis ipse Minister Generalis humiliter supplicari fecit, vt prædictis gratiis, concessionibus, & priuilegiis, aliisque præmissis, & in dictis prædecessorum literis contentis nostræ approbationis robur adiicere, aliasque in præmissis opportune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ad vberes fructus, quos ordo Sanctissimæ Trinitatis, redemptionis captiuorum huiusmodi, in agro militãtis ecclesiæ producere non cessat, debitum respectum habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præmissa, ac omnia, & singula alia priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conseruationes, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modũ communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis ordinibus mendicantibus, & non mendicantibus, eisdem ministro Generali, ac aliis fratribus, ecclesiis, domibus, cõuentibus, & locis dicti ordinis Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captiuorum, eiusdemque ordinis monialium, seu sororum monasteriis, seu domibus, & ecclesiis, ac ipsis monialibus, seu sororibus, & locis eorum quibuscunque in genere, & specie, etiam per solam signaturã, etiam viuę vocis oraculo, vt prędicitur, aut alias tam per prędictos, & alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem præfatam, quam Imperatores, Reges, & alios Principes, sub quacunque forma, & expressione verborũ concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus singulas desuper confectas literas, & in eis contenta, & inde secuta quæcunque, illorum omnium tenores, & formas, datas, effectus, & decreta in illis clausulis, decretis, & declarationibus singulas desuper confectas literas, & in eis contẽta, & inde secuta quæcunque, illorum omnium tenores, & formas, datas, effectus, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus

bus pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate apostolica, ac potestatis plenitudine (quatenus sint in vsu, & sacris canonibus, & decretis sacri Concilij Tridentini non aduersentur) approbamus, & confirmamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter obseruari, necnon in ipsis Ministro generali, & fratribus, monialibus, sororibus, eorũq; ecclesiis, domibus, monasteriis, & locis præfatis, vt illis omnibus (& præcipue Castellæ, ac Legionis prouinciarum specialiter) ac etiam per modum communicationis, & extensionis huiusmodi, ac alias quomodolibet concessis, suffragari, illisque frui, vti, & gaudere, quando, ac quoties opus fuerit, posse, & debere in iudicio, & extra, ac etiam in foro conscientiæ, in omnibus, & per omnia, perinde ac si specialter, & expresse eisdem ministro Generali fratribus, monialibus, siue sororibus, ecclesiis, domibus, seu monasteriis, conuentibus, & locis præfatis concessa fuissent, decernimus, nec non priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, exemptiones, fauores, & gratias huiusmodi modo & forma, quibus confirmata à nobis sunt, ad domos & loca quęcũq; dicti ordinis Sãctissimæ trinitatis redemptionis captiuorum, hactenus recepta, & in posterum recipienda, extendimus & ampliamus. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, etiam Generalis Concilij Lateranen. vltimo celebrati, ac ordinum prædictorum iuramento, cõfirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, necnon omnibus illis, quæ singuli prædecessores prędicti in suis literis prędictis voluerunt nõ obstare, cæterisque contrariis quicunque. Ceterũ quia difficile foret præsentes literas ad quæcunque loca, vbi illæ necessariæ fuerint, deferre, volumus & prædicta auctoritate apostolica decernimus, quòd earundem, literarum transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati eccle

siastici

siastici seu curiæ ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus in iudicio, & extra fides adhibeatur plenaria, ac illis stetur in omnibus, & per omnia, sicut originalibus literis adhiberetur, & staretur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo piscatoris, die decima Nouembris, millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem Confirmatio & ampliatio priuilegiorum & indulgentiarum Archiconfraternitatis sanctissimæ Trinitatis de Vrbe, & illi aggregatarum, & aggregandarum Confraternitatum.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Ad Apostolicæ dignitatis apicem, meritis licet imparibus, diuina dispositione vocati curis vrgemur assiduis, & debita meditatione pulsamur, vt charitatis & misericordiæ opera vbique locorũ præsertim in Alma Vrbe exerceantur & iis, quæ propterea per christifideles pie, religioseque fieri consueuerunt, libenter, dum à nobis petitur ne aliquando de illis hæsitari contingat, nostræ confirmationis robur adiicimus, & circa ea, per quæ salus votiua succedat, ac Ecclesiæ, aliaque pia loca ad exercitium huiusmodi destinata ab ipsis fidelibus in debita veneratione habeantur, creditæ nobis potestatis auctoritatem fauorabiliter impartimur, fideleſque ipsos ad id spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorũ remissionibus frequenter inuitamus. Exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Confratrum Archicõfraternitatis sub inuocatiõe sanctissimæ Trinitatis in Alma Vrbe canonice institutæ petitio cõtinebat, quod alias postquam felicis recordationis Pius Papa Quartus prædecessor noster institutionem confraternitatis sub inuocatione eiusdem sanctissimæ Trinitatis, in qua vt acceperat, dilecti filij illius Confratres varia pietatis & laudabilia opera exercuerant, & in pauperibus peregrinis, & conualescentibus personis ad Hospitale dictæ Confraternitatis vndequaque confluentibus excipiendis, & reficiendis, multisque aliis pietatis, & charitatis operibus non solum in peregrinorum, & conualescentium huiusmodi maximam commoditatem, & consolationem, verum etiam cum totius dictæ Vrbis & Orbis amplissima laude, & decore magis ac magis in dies se exercebant, & perpetuo exercere intendebant, nonnullaque statuta, & ordinationes desuper condiderant, eorundem confratrum salubribus votis & gratis in conspectu Dei & hominum pietatis operibus id exposcentibus, apostolica auctoritate perpetuo approbauerat & confirmauerat, eandemque Cõfraternitatem in Archiconfraternitatem eiusdem sãctissimę Trinitatis, ita vt ab ea tanquam matrice aliæ, si quę de nouo erigerẽtur Cõfraternitates, depẽderẽt dicta auctoritate etiam perpetuo erexerat, & instituerat, ac Archicõfraternitatis titulo decorauerat, necnõ eiusdem archiconfraternitatis confratribus, vt priuilegia, & indulgentias sibi pro tempore concessas Cõfraternitatibus erigendis huiusmodi communicare possent indulserat, ac tam in approbatione, & confirmatione Cõfraternitatis huiusmodi, illiusque in Archiconfraternitatem erectione, & institutione præfatis, quam etiam postea, ac alias sub certis modo, & forma limitatas, & modificatas, & tãperpetuas, quã ad tempus indulgentias, & peccatorum remissiones ac relaxationes, aliasque facultates, gratias, & priuilegia seu indulta eadem auctoritate concesserat, & relaxauerat: pię mem. Pius Papa V. etiam prędecessor noster & singulas indulgentias, & facultates easdem necnon quascunque alias indulgentias ac priuilegia quibusuis Confraternitatibus, & aliis personis siue locis communicandi in genere, vel in specie quomodolibet concessas reuocauit, prout in diuersis tam Pij Quarti sub plũbo, & in forma Breuis, quã Pij Quinti

prędę

prędecessorum huiusmodi respectiue confectis literis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadē petitio subiungebat, nōnullæ ex indulgētiis, & priuilegiis, per dictum Pium Quartum prędecessorem ipsis Confratribus concessis clausulas illas, & alias indulgentias, necnon communicandi facultatem contineāt, ac Propterea literę Pij Quarti prędecessoris huiusmodi, & in is cōtenta indulgentię, cōcessiones, gratię, & indulta huiusmodi à dictis Confratribus, & aliquibus aliis in dubium reuocari possent, pro parte eorundem Confratrū nobis fuit humiliter supplicatū, vt in præmissis oportune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum Christi fidelium deuotionem, & pietatis opera nostris potissimum temporibus propagari sinceris exoptamus affectibus, ac ea, quæ propterea facta fuisse dicuntur, vt firma, & illibata perfistant, apostolico munimine roboramus, singulos Confratres præfatos à quibusuis excommunicationis, & suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existūt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes necnon literarum præfatarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habētes, huiusmodi supplicationibus inclinati institutionem, ordinationes, & statuta illorumque approbationem, & confirmationē dictæque Confraternitatis in Archiconfraternitatē erectionem, & institutionem præfatas apostolica auctoritate prædicta etiam perpetuo approbamus, & cōfirmamus, illisque omnibus perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus. Et insuper, vt ipsius Archiconfraternitatis, ac aliarum illi pro tempore aggregatarum, & aggregandarum Confraternitatū Confratres nunc, & pro tempore existentes in tā pio & laudabili instituto eo alacrius persistāt, quo maioribus cœlestis gratiæ donis pro animarum suarum salu

salute conspexerint se refertos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorū eius auctoritate confisi, Omnibus & singulis vtriusq; sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis qui de gremio dictæ Archiconfraternitatis, seu aliarum Confraternitatum illi aggregatarum & in futurum aggregandarum huiusmodi vbivis locorum consistentium pro tempore esse desiderauerint, in ipsa eorum in Confratres Archiconfraternitatis & confraternitatum præfatarum receptione, & descriptione, plenariam, Nec non illis etiam vtriusque sexus pro tempore existentibus, qui corde contriti, ac vere pœnitentes, & confessi in mortis articulo nomen Iesu deuote inuocauerint, aut aliquod pœnitentiæ signum fecerint, etiam plenariam, Ac tā eisdem Confratribus, quam omnibus, & singulis aliis vtriusque sexus Christifidelibus etiam vere pœnitentibus, & confessis, qui singulis Natiuitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis festiuitatibus, ac die Dominica festa eiusdem sanctissimæ Trinitatis annuatim Archiconfraternitatis, seu Confraternitatum aggregatarum, & aggregandarum præfatarum Ecclesias, seu Capellas, vel Oratoria deuote visitauerint, & inibi ad Deum preces, prout vnicuique suggeret deuotio, fuerint, in die Dominica festi sanctissimæ Trinitatis videlicet, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem perpetuo duraturam, In reliquis vero Natiuitatis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis, festiuitatibus huiusmodi septem annos, & totidem quadragenas, ac ipsis Confratribus, qui vltima Dominica cuiuslibet mensis totius anni, vel ipsam Dominicam immediate sequentem Lunæ, siue Martis, aut aliis diebus orationi quadraginta orarum nuncupatæ per dictos Confratres pro tempore in eorum ecclesiis, seu capellis, vel oratoriis faciendæ, & continuandæ interfuerint, dummodo saltem per dimidiā

horam in ea pro reipublicæ conseruatione, & augmẽto, ac Principum Christianorum mutua, & vniuersali pace, necnon nostro, & pro tempore existentis Rom. Pontificis, ac Romanæ Ecclesiæ, & illius pastorum felici, & prospero statu pias ad christum preces effundendo continuauerint, quoties id fecerint, annum vnum, Eis quoque vere pœnitentibus, & confessis, qui sanctissimum Eucharistiæ sacramentum singulo mense susceperint, septem annos, & totidem quadragenas, Ac insuper illis Confratribus, qui Confratrum, & aliorum in eorum ecclesiis, seu capellis, aut oratoriis sepeliendorum cadauera ad sepulturam associauerint, vnum annum, Et tam ipsis quam aliis Christifidelibus dictarum Archiconfraternitatis, & Confraternitatum tantum similiter vere pœnitentibus, & confessis, qui qualibet die Veneris totius quadragesimæ Ecclesias, seu Capellas, vel Oratoria Archiconfraternitatis, seu Confraternitatum aggregatarum, seu aggregandarum huiusmodi deuote visitauerint, & inibi prout vnicuique suggeret deuotio ad Deum preces effuderint, quoties id fecerint, septẽ annos, & totidẽ quadragenas, Necnon Cõfratribus tã Archicõfraternitatis quã Cõfraternitatum aggregatarum, & aggregandarum huiusmodi, qui peregrinorum ad dictam Vrbem, & Ciuitates, ac loca vbi Confraternitates aggregatæ, & aggregandę reperientur, ac ad hospitalia pro ipsis peregrinis excipiendis destinata ad ibi hospitandum confluentium, & diuertentium pedes lauerint, & in mensa eisdem peregrinis charitatiue ministrauerint, & inseruierint, centum dies, illis etiam Confratribus dictæ Archiconfraternitatis, qui eosdem peregrinos ad Ecclesias Vrbis huiusmodi pro inibi indulgentiis consequendis associauerint, duos annos de iniunctis sibi pœnitentiis auctoritate præfata tenore præsentium misericorditer in domino concedimus, elargimur, & relaxamus. Et insuper, vt ipsi Cõfratres, & alij Christifideles indulgentiarum, remissionum, & relaxationũ præfatarum Deo propicio

cio facilius efficiantur participes, illis, & eorum cuilibet, vt tẽporibus, & diebus supradictis quoscunque secularis vel quorũuis ordinũ etiam mendicantiũ regulares presbyteros idoneos ab ordinariis locorum approbatos in suos possint eligere confessores, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, eos & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam sedi Apostolicę reseruatis, exceptis contentis in literis in die Cœnæ Domini legi consuetis, toties quoties, & etiam à criminibus in eisdem literis contentis semel in vita tantum, & in mortis articulo eadem auctoritate absoluere, ac pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, Necnõ vota quæcunque Hierosolymitan. visitationis liminum eorundem beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ac sancti Iacobi in Compostella, necnon castitatis, & religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, Ac postremo eisdem Confratribus, vt alia quæcunque ordinationes, & statuta felix regimen, & prosperum statum, ac gubernationem illorum Archiconfraternitatis, & Confraternitatum aggregatarum, & aggregandarum præfatarum, rerũque spiritualium, & temporalium quomodolibet concernentia condere, & facere, ac tã illa quam alia quæcunque licita, & honesta, ac sacris canonibus, & decretis Concilij Tridentini non contraria, quoties eis videbitur immutare, limitare, alterare, corrigere, declarare, modificare, & in melius reformare libere, & licite valeant, licentiam concedimus, & impartimur. Districtius inhibentes omnibus, & singulis etiam quibusuis Commissariis S. Spiritus in Saxia, & S. Ioannis Lateranensis, etiam S. Rochi de Vrbe præfata, necnon S. Bernardi Montisionis, & S. Mariæ del Populo nuncupatæ, & S. Iacobi Incurabilium, Neapolitan. ac Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Caietan. aliorumque hospitalium, & piorum locorum, necnon quibusuis aliis personis cuiuscunque gradus, & præ-

minentiæ fuerint, ne publice vel occulte, directe, vel indirecte quouis quęsito colore, vel ingenio dilectos filios modernos, & pro tempore existentes Primicerium, & Custodes tam Archiconfraternitatis quam Confraternitatum aggregatarum, & aggregandarũ prędictarum, vel ab eis etiam pro tempore deputatos molestare, perturbare, inquietare, vel impedire in toto, vel in parte vllo modo audeant, vel præsumant, ac decernẽtes ex nũc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionidus, & ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, necnon dilectis filiis, eorum in spiritualibus Vicariis, Officialibus, ac Abbatibus, Prioribus, Capellanis, Conuentibus, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & eorum Vicariis, à quorumcunque etiam Mendicantium ordinum Generalibus, Prouincialibus, & aliis superioribus, ac prædicatoribus, aliisque ad quos spectat, & spectare poterit quomodolibet in futurum, tam exẽptis quam non exemptis vbilibet existentibus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet, quoties pro parte Primicerij, & Custodum, aut ab eis deputatorum prædictorum cum debitis reuerentia, & honore fuerint requisiti, prędentes literas, ac earum transumpta, seruata forma dicti Concilij, recipiant & admittant, ac ab eis recipi, & admitti faciãt. Volumus autem, quòd, si Ecclesiis, seu Capellis, vel Oratoriis prædictis, aut alias vt præfertur aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, præsentes literæ quoad indulgentiam per præsentes respectiue concessam huiusmodi nullius sint roboris, vel momẽti. Et quia difficile foret easdem præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & dicta auctoritate similiter decernimus, quòd huiusmodi præsentiũ transumptis etiam impressis manu Secretarij dictæ Archicon

Archiconfraternitatis subscriptis, & sigillo eiusdem Archiconfraternitatis munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, impartitionis, inhibitionis, mandati, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, Calendis Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ferd. Card. de Medicis Summ.

Cæ. Glorierius.

L. Anastasius.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Eiusdem declaratio quod ordinarij collatores prætextu literarum Nicolai Papæ Quinti pro concordia Germaniæ, conferre non possunt beneficia ecclesiastica post tres menses, ex quo vacarunt, si de illis intra hoc tempus à sede apostolica prouisum est.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

QVæ in Ecclesiam Dei incommoda inferunt, nostra nos expedit animaduersione mouere. Cum itaque per literas fel. recor. Nicolai Papæ V. nationi Germaniæ pro illius vnitate, & concordia cum sede Apostolica, inter alia concedatur, vt quoties aliquo vacante beneficio ecclesiastico, in mensibus Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouembris, in quibus vacantium Germaniæ beneficiorum eccle-

siasticorum dispositio dictæ sedi specialiter reseruata est, non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis, in loco beneficij, quod alicui de illo apostolica auctoritate prouisum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, de illo disponere possit: & sæpenumero contingat, vt antequam inquisitio, quam plerumque etiam in concursu plurium, siue in partibus, siue apud dictã sedem fieri oportet in vitam, mores, & doctrinam eorum, quibus de dictis beneficiis per sedem eandé prouidendum est, compleri possit, aut antequam de ipsis prouisionibus, seu de mandatis, quæ ad inquisitiones, & prouisiones huiusmodi faciendas ab eadé sede impetrantur, vel Motu proprio procedunt, literæ apostolicæ conficiantur, vel etiam antequam mandata ipsa ab Iudicibus, ad quos directa sunt recipiantur, vel recepta expediantur: interdum quoque literis apostolicis expeditis, & gratia purificata, seu mandatis prædictis receptis, & inquisitione completa, antequam omnimoda executio perficiatur, propter diuersa impedimenta, quę frequenter succedunt rempus trium mensium, ex quo vacatio beneficij in loco ipsius nota est, expiret: ac proinde Ordinarij locorũ, aut alij, ad quos talium beneficiorum dispositio, cessantibus apostolicis reseruationibus, pertinet, lapso tempore prædicto, licet priusquam illud laberetur, prouisionis, siue alterius dispositionis de illis à dicta sede iam gratia facta fuerit (quod ipsum ad tribuendum, & quærendũ ius satis, superque esse certa iuris interpretatione frequenter declaratum est) illa tamé conferre contendant: Qua de causa multis religione, & pietate insignibus, quando ij post ostensum virtutis, & doctrinæ suæ specimen, atque inde emensos labores, & sũptus beneficiis potiri deberent, alij præoccupatores obtentu ordinariæ collationis huiusmodi contra aduersantur: Nos indignam rati, quod temporis mora, quam ad perscrutandum accuratius talium probitatem, industriam, & alia requisita intercedere pro

pro vtilitate ecclesiæ necesse est, locum iniuriis aperiat, attendentesque verba prædicta in loco beneficij cum verbis notæ vacationis quæ protinus antecedũt coniungi, & ad illa dumtaxat referri, ac voluntatem concedentis, sensumque concessionis, & literarum prædictarum sic esse, vt dispositio beneficij intra tres menses à die notæ vacationis à sede prædicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter vtriusque iuris interpretes iampridem controuersa summa ratione iudicatum apparet: vix enim est vt itineribus non modo infestis, aut prohibitis, quod fere semper aliquo contingit, sed etiam expeditis quis ex tam longinquis regionibus ad dictam sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium vel paulisper moratus, in easdem se recipere tanta temporis angustia possit. Quocirca, æquitate, & iustitia suadentibus, præsentium auctoritate declaramus, concessionem Nicolai Papæ, & literas prædictas locum omnino non habere, quod Ordinarij, aut alij collatores prædicti, post lapsum trium mensium ex die notę vacatiõis in loco beneficij disponere possint de vllis beneficiis prædictis, alias sub concessione, & literis prædictis comprehensis extra Romanam Curiam in mensibus prædictis quoquomodo vacantibus, vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem, ac dictam sedem qualiscunque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit. Ne tamen cuiquam licitum sit factam à sede prædicta dispositionem huiusmodi in longum obtegere: illi, quibus deinceps gratiæ huiusmodi concedentur, earum concessionum fidem, & testimonium intra tres menses à die notę vacationis in loco beneficij huiusmodi, vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficij loco publicare quoquo modo teneantur. Decernentes omnes, & quascunque dispositiones de dictis beneficiis ab eisdem collatoribus post significationem, seu publicationem huiusmodi pro tẽpore factas, nullas, & inualidas, nulliusq;

roboris, vel momenti fore. Sicque in quibuſuis cauſis pendentibus, & futuris iudicari debere. Necnon irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his ab eiſdem collatoribus, aut quibuſcunq; aliis ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quod ſi forte quiſquam collatorum prædictorum fuerit pręſentium violator, eum à beneficiorum, & officiorum collatione tandiu ſuſpendimus, donec ipſe veniam petens reſtitutionis gratiam à ſede prædicta meruerit obtinere. Cæterum volumus, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, Notarij publici manu, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, decreti, ſuſpenſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Kalendas Nouembris, Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Cæ. Glorierius.

M. Datarius.

A. de Alexiis.

Anno à Natiuitate Domini Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione quarta, die vero vigeſima nona menſis Nouembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Quinto, retroſcriptæ literæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ in valuis, Sancti Ioannis Lateranen. de Vrbe, & Principis Apoſtolorũ de Vrbe, & in acie Campi Floræ per nos Ioannem Freyle, & Claudium Mongeat eiuſdem Sanctiſſimi D.N. Papæ Curſores.

Eiuſdem

Eiuſdem deputatio R.P.D. Ludouici Tabernæ protonotarij, & Theſaurarij apoſtolici in Collectorem generalem Spoliorum.

GRegorius Papa XIII. Dilecte fili, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut accepimus, nonnulli res, & bona mobilia, & immobilia, ac ſe mouentia ex fructibus beneficiorum eccleſiaſticorũ acquiſita, per obitum Pręlatorum, & aliarum quarumcunque perſonarum eccleſiaſticarum, ſecularium, & quorumuis ordinum regularium, quæ extra hanc almam Vrbem deceſſerunt, remanentia, & relicta, quæ tanquam ſpolia alias fel. rec. Paulus Papa III. prædeceſſor noſter ad Cameram apoſtolicam ſpectare, & pertinere decreuit, & declarauit, necnon fructus, reditus, & prouentus menſarum patriarchalium, metropolitanarum, & aliarum cathedralium eccleſiarum, & monaſteriorum in tota Italia conſiſtentium, & per obitum illorum prælatorum vacantium indebite occupare, & ſpoliis, ac fructibus, reditibus, & prouentibus huiuſmodi dictam Cameram defraudare, necnõ easdem res, & bona vacantia, tam in alma Vrbe, & eius diſtrictu, quam in toto ſtatu eccleſiaſtico ad eãdem Cameram ſpectantia, occupare, occultare, & retinere præſumpſerint, & præſumant in animarum ſuarum periculum, ipſiuſque Cameræ præiudicium non paruũ: Nos pro noſtris paſtoralis officij debito taliũ perſonarum auſus temerarios reprimere, & ne ſpolia ac fructus, & bona vacantia huiuſmodi in poſterũ diſſipentur, & occupentur, opportune prouidere volentes, ex certa noſtra ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes, & quoſcunque dictorum ſpoliorum, & fructuum per totam Italiam adhunc vſque diem quomodolibet deputatos collectores, & ſubcollectores, ac bonorum vacantium commiſſarios, & officiales primum, & ante omnia reuocantes, omnemq; illis deſuper attributam poteſtatem, & auctoritatem abdicantes, Te, de cuius fide, integritate, & diligentia plurimum in Domino confidimus, noſtrum, & di-

Universidad de Deusto Biblioteca

ctæ Cameræ in vniuersa Italia spoliorum ad ipsam Cameram pertinentium, necnon fructuum, redituũ, & prouentuum mensarum huiusmodi Collectorem, ac bonorum vacantium in Vrbe, eiusque districtu, & toto statu ecclesiastico Commissarium, & Iudicem generalem auctoritate apostolica tenore præsentiũ, quoad vixeris, & quandiu Thesaurariatus nostri generalis officium obtinueris, constituimus, & deputamus. Dãtes tibi plenam, & omnimodam potestatem, & auctoritatem omnes, & singulas res, & bona quæcunque mobilia, & immobilia, ac se mouentia, spolia nuncupata, & bona vacantia huiusmodi, ac etiam illa, quę ex fructibus, reditibus, & prouentibus ecclesiasticis erecta ædificata, refecta, & restaurata fuerint, seu alia ex eisdem fructibus, reditibus, & prouentibus quomodolibet prouenerint per obitum quarũcunque personarum ecclesiasticarum beneficia ecclesiastica tam simplicia quam administrationem habẽtia obtinentium, nisi quoad simplicia de fructibus huiusmodi dispositũ fuerit, vel ex priuilegio apostolico, vel ex consuetudine legitime præscripta, tam secularium quam quorumuis ordinum regularium quauis etiam pontificali dignitate fulgentium in vniuersa Italia, extra tamen dictam Vrbem pro tempore decedentium, remansura, & relicta cuiuscunque qualitatis, generis, & speciei fuerint, etiam gemmas, & alia pretiosa, & pecuniarum summas, necnon etiã fructus, reditus, & prouentus mensarum huiusmodi à die ecclesiarum, & monasteriorum vacatiõis huiusmodi vsque ad diem præfectionis, ac prouisionis seu commendæ de illis faciendi, quos omnes, & singulos fructus, reditus, & prouentus ad nos, & dictam Cameram spectare, & pertinere volumus, & decernimus, & eidem Cameræ appropriamus, & applicamus: Necnũ omnia, & singula bona vacantia, cuiuscunque qualitatis, & quantitatis in Vrbe, districtu, & statu prædictis, nostro, & prædictæ Cameræ apostolicæ nomine colligendi, percipiendi, exigendi, & recuperandi, ac tam

tam super illis quam aliis quibuscunque spoliis, quæ hactenus in ipsa Italia è bonis vacantibus huiusmodi per similium personarum obitum, aut alias remanserunt, & indebite vsurpantur, omnibus viis, & modis inquirendi, & inuestigandi, & pro faciliori inquisitione quascunque personas cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & præeminentiæ fuerint, etiam exemptas, ac pręteritos collectores, subcollectores, & officiales coram te, vel alio, seu aliis à te deputandis comparendum, necnon de administratis, exactis, & receptis per eos computum, & rationem reddendum, illosque, quorum testimonio te indigere cognoueris, ad se examini subiiciendum, ac spoliorum, necnon fructuũ, redituum, & prouentuũ, ac bonorum vacantium huiusmodi occupatores, & detentores, ad spolia, fructus, reditus, & prouentus, ac bona vacantia eadem relaxandum, & tibi consignandum, & soluendum, sub censuris, & pœnis ecclesiasticis per te infligendis, ac etiam pecuniariis tuo arbitrio moderandis, & applicandis monendi, & compellendi, ac contradictores quoslibet, & rebelles, ac renitentes, censuras, & pœnas prædictas incidisse declarandi, & illas aggrauandi, & reaggrauandi, auxiliumque brachij secularis ad hoc, si opus fuerit, inuocãdi: & super iisdem spoliis, & fructibus, reditibus, & prouentibus, ac bonis vacãtibus pro dicta Camera, prout tibi videbitur, cõponendi, & cõcordandi, soluentesque de cõpositis, & solutis per eos, ac receptis absoluẽdi & liberãdi, necnõ ad correuersos, si id humiliter petierint, à cẽsuris, & pœnis, siquas incurrerint, pręuia satisfactione, absoluẽdi & liberãdi, ac in pręmissis omnibus, & singulis sumarię, simpliciter, & de plano, & sine strepitu & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, procedendi vnũ quoq;, vel plures loco tui, cũ simili vel limitata potestate substituẽdi, ac alia pęmissa faciẽdi, sub collectores, & officiales deputandi, & subdelegandi illosque quoties tibi videbitur, reuoçandi, cæteraque omnia & singula faciendi, gerendi, & exequendi, quæ in

in præmissis,&ꝰcirca ea necessaria fuerint,seu quomo dolibet oportuna: Et in super vt exactio spoliorum ac fructuum, redituum, & prouentuum, necnon bonorum vacantium huismodi celerius, & facilius fiat, quod de cætero omnes, & singulæ lites, causæ,& cõtrouersiæ super quibusuis ipsorum spoliorum, ac fructuum,redituum,& prouentuum, nec non bonorum vacantiũ negotiis nunc,& pro tempore pendẽtibus à nullo alio quam a te seu aliis super dictis spoliis&fructibus, reditibꝰ & prouẽtibus,ac bonis vacãtibus pro tempore deputatis collectoribus,aut subcollectoribus,& officialibus,aut particularibus delegatis, cognosci,nec alteri nisi per commissiõem manu nostra signatam,vel per nostras literas cõmitti,aut delegari possint,& citato moderno,& pro tempore existente dictæ cameræ apostolicæ Cõmissario generali: Quod que lites, & inhibitiones, vel mandata, quæ alias, quam ex commissionibus, vt præfertur, manu nostra signatis, eodemque Commissario citato,vel literis nostris emanauerint, quoad earundem causarum introductionem,& litis pendentiam,seu tuorum ministrorum,per te ad id deputandorum iurisdictionis, & processuum impedimentum,vel retardationem, nullius sint roboris,vel momenti: Quodque à sententiis per te,seu tuos ministros præfatos super præmissis pro tẽpore latis nullatenus appellari,seu earum executio differri,aut suspendi nullatenus possit, aut debeat,nisi data prius bancaria cautione in forma depositi dicta auctoritate, per easdem præsentes statuimus,&ordinamus,ac quicquid secus super iis à quoquam quauis auctoritate scienter,vel ignoranter cõtigerit attentari,irritum,& inane decernimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus,& ordinationibus apostolicis, necnõ ecclesiarũ,monasteriorũ & ordinatiõibus apostolicis,necnõ ecclesiarũ,monasteriorõ‘& ordinũ prædictorn,vel locorum, vbi bona vacantia huiusmodi sita fuerint, etiam iuramento,cõfirmatione apostolica,vel quauis firmitate alia roboratis

ratis statutis,&ꝰconsuetudinibus, priuilegiis quoque indultis,& literis apostolicis, ecclesiis, monasteriis, & ordinibus,& locis prædictis, eorumque superioribus prælatis & personis, ac quibusuis aliis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus,& insolitis clausulis,irritantibusque & aliis decretis etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis & innouatis,quibus omnibus,etiam si de illis,eorumque totis tenoribusꝰ specialis, specifica, indiuidua, & expressa: ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibusꝰ pro sufficienter expressis, & in sertis habentes, illis alias in suo robore permansuris,hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter,& expresse derogamus, ceteriſque cõtrariis quibuscunque:aut si aliquibus:communiter vel diuisim,ab apostolica sit sede indultum, quòd interdici,suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam,ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris,die quarta Decembris, millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, Pontificatus nostri Anno Quinto.

A Tergo

Dilecto filio Magistro Ludouico Tabernæ Notario,& Thesaurario, ac spoliorum Collectori generali nostro.

Cæ.Glorierius.

Eiusdem Quod in causis spoliorum ad Thesaurarium & generalem spoliorum Collectorem tantum apellari possit,& debeat.

GRegorius Papa XIII.Motu proprio &c.Cognoscentes quam frequenter contingat, quód nopnulln

nulli, qui bona per ecclesiasticas personas relicta spolia nuncupata, quæ ad nostram Cameram apostolicam pertinent, occupata detinent, variis prætextibus, & calumniis dilationes, & subterfugia quærentes ad illorum satisfactionem, & consignationem effugiendam friuolas appellationes, & prouocationes à subcollectorum, & ministrorum per nostrum Thesaurarium generalem, cui in vniuersa Italia dictorum spoliorum præcipuam curam dedimus, deputatorum processibus, decretis, seu sententiis, interponentes, causas ipsas diuersis iudicibus non informatis, & vbi non est, qui huiusmodi expeditioni vacet, modo per signaturam nostram, seu Cancellariam, modo per Cameram apostolicam committi procurant, & quandoque inhibitiones summa cum malitia extorquent, tribunal dicti nostri Thesaurarij cui hæc iurisdictio peculiariter demandata, est subterfugientes, quo fit, vt spoliorum exactio, quæ quã celerius fieri deberet, diutius retardetur in magnam Cameræ præfatæ læsionem. Nos attendentes, quod perquamplures Rom. Pont. prædecessores nostros, & nos statutum fuit, quod omnes, & singulæ causæ, lites, & controuersiæ super quibusuis ipsorũ spoliorũ negotiis à nullo alio quã à Thesaurariis & pro tẽpore deputatis generalibus Collectoribus, seu ab eisdẽ deputatis Subcollectoribus cognosci, nec alteri nisi per commissiones manu nostra signatas, committi, & delegari possunt, citato etiam pro tempore existẽte ciusdem Cameræ Cõmissario generali: Et quòd licet pro spoliis exigẽdis dictus Thesaurarius, & generalis Collector in variis locis sub collectores deputet, eos tamẽ, quotiens ei videtur reuocandi facultatẽ habet, & propterea in huiusmodi negotiis semper remanet iudex, & ad ipsum à sententiis, & grauaminibus subcollectorum præfatorum est appellandum: Nihilominus volentes hisce incommodis prouidere, & malitiis hominum obuiare, Motu proprio &c. decernimus, & declaramus, quòd de cætero à processibus, decretis,

decretis, & sententiis etiam diffinitiuis subcollectorum, & ministrorum à dicto nostro Thesaurario, & pro tempore existente spoliorum, & iurium Cameræ generali Collectore deputatorum, non ad nos, nec ad Cameram apostolicam, sed ipsum tantum nunc, & pro tempore existentem Thesaurarium, & Collectorem apellari possit & debeat. Quódque appellationes, prouocationes, & recursus aliter, & contra præsentium tenorem interpositæ nullius sint roboris, & momenti, nullumque effectum, nec deuolutiuũ nec suspensiuum habeant. Quocirca dilectis filiis Aloysio S.R.E. Camerario & Cameræ apostolicæ Clericis & Præsidentibus, ac omnibus Ro. Cu. iudicibus tam ordinariis quam delegatis cuiuscunque gradus, &c. in virtute sanctę obedictię, & sub indignationis nostræ pœna præcipimus, & mandamus, ne in quibusuis causis, & negotiis spoliorũ, illicitarum negotiationum, ac fructuum vacationis tempore obuentorum ad Cameram nostram spectan. aut ab ipsis quomodolibet dependentibus, incidentibus, emergentibus annexis, & connexis, aut causas committendo, aut inhibitiones decernendo vel relaxando, se se nec in prima nec vlteriori instantia aliquo modo ingerãt & intromittant. Nos enim dictas appellationes, prouocationes, recursus, causarum commissiones, inhibitiones, ac alia quęcunque inde secuta decernimus ex nunc irritas, & inanes. Et nihilominus volumus, & mandamus, quòd tam Thesaurarius, & generalis Collector, quam Subcollectores, & ministri præfati absque aliquo scrupulo, & pœnarũ incursu illis reiectis, ad vlteriora in causis procedere possint, & debeãt, partibus alias iuxta facultates ei concessas iustitiam ministrando. Et si quando ad Cameram, seu alios præfatos super causis antedictis recurri contigerit, volumus quod statim, & absque circuitu per Camerã & alios dictæ Cameræ ed eundem Thesaurarium & Correctorem directe dimittantur, sicque per quos cunque &c. etiam impendentibus causis iudicari, & diffi

diffiniri debere, ſublata &c. irritum &c. Non obſtantibus &c. Volumus inſuper, quòd præſentis Motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, etiam abſque data, & regiſtratura, & vbique fidem faciat, regula in contrariũ non obſtan. &c

Placet Motu proprio V.

Eiuſdem declaratio quòd bonæ regularium extra clauſtra degentium ad Cameram Apoſtolicam ſpectant, & quod in omnibus ſpoliis eadem Camera eſt vere, & proprie hæres.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

OFficij noſtri partes ſedulo præſtare tenemur, vt dubia, quæ ab aliquibus falſo ſub prætextu, vel nimis ſubtiliter excitata, in Cameræ noſtræ apoſtolicæ præiudicium tendunt, declaratione noſtra dilucidentur. Nuper accepimus quòd etſi fe. re. Papa iiij. prædeceſſor noſter conſtitutionem, & quæcunq; in illa continerentur per piæ memoriæ Paulum PP. iiij. etiam prædeceſſorem noſtrum contra Apoſtatas editam, per quam inter cętera decreuit bona quæcunque mobilia, & immobilia, accenſus, reditus, & prouentus, iura, & actiones per regularem ordinem profeſſos extra clauſtra ſuorum regularium locorum, etiam de licentia ſuorum ſuperiorum degentes, répore, quo extra clauſtra huiuſmodi fuiſſent acquiſita etiamſi acquiſitiones huiuſmodi ab ipſis profeſſis ex reditibus beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura vel ſine cura per eos obtentorum ſeu detentorum aut ex propria induſtria, ſeu artificio, mercatura, vel ex teſtamento, ſiue ſucceſſione ab inteſtato quorumuis conſanguineorum, affinium, vel amicorum ſuorum aut quorumcunque aliorum facti eſſent, non Fiſco, aut Cameræ apoſtolicæ, ſed Religioni, aut Monaſteriis, in quo, ſeu quibus primo profeſſi fuiſſẽt eo ipſo applicata eſſe & cenſeri debere, ad iuris, & ſacrorum conſtitutionum formam reduxerit: Necnon præfata bona regularium extra clauſtra, vt præfertur degentium ſiue mendicantium, ſiue nõ mendicantiũ, aut militiarum profeſſorum, & etiam loca, & canonicales portiones, aut dignitates in catedralibus, vel collegiatis eccleſiis cuiuſuis ordinis regularibus obtinuerint, ac Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Primitiali, vel quauis alia præfulſerint dignitate, poſt eorum obitum ad eandem Cameram apoſtolicã & iuxta conſtitutionem fe. re. Pauli Papæ iij. ſuper ſpoliis ſub Dat. videlicet, Tertio nonas Ianuarij, Põtificatus ſui anno tertio promulgatam, legitime ſpectent, & pertineant, id que per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dum Collector generalis ad recuperandum ſpolia regularium ſpecifice deputatus fuit, aperte demonſtratum extiterit, ac in poſſeſſione illa exigendi, ac recuperandi eadem Camera merito ſemper fuerit: nihilominus nonnulli vano ſub dictæ conſtitutionis Pauliiiij. prædeceſſoris præfati prętextu contrarium aliquando aſſerere non dubitarint: Nos omnem circa prædicta dubitandi occaſionem dimouere, ſimulque equitate, & iuſtitia ſuadentibus, eiuſdem Camerę indemnitati, ne in dies moleſtiis, & incommodis afficiatur, cõſulere volentes Præſentium auctoritate, Declaramus res, & bona quecunque per dictos regulares extra clauſtra eccleſiarum, monaſteriorum, domorum, & quorumcũque regularium locorum degentes, quocunque iure, & actione, ſiue ex cauſa teſtati, ſiue inteſtati acquiſita, & inpoſterum acquirenda, vel ad eos delata in quibuſuis prouinciis, dominiis, regnis & locis cõſiſtant niſi iidem, ad quos illa ſpectauerint, ſufficienti fuerint teſtandi, aut de illis diſponendi facultate ſuffulti eaque legitime vſi fuerint, ad eandem Cameram pleno iure pertinuiſſe & ſpectare, ac bona quecũque eorundẽ ſubſpoliorum nomine comprehenſa per ipſam Cameram, eiuſquenomine à quibuſcunque illa quandoque occupantibus & detinentibus recupera-

ri, ac vindicari potuisse, & posse, ac iuxta Pauli iii. & aliorum prædecessorum nostrorum literas eadem Camera apostolica in huiusmodi bonis spolia nuncupatis vere vniuersaliter succedente, quod ipsa Camera quæ cæteris hæredibus, & successoribus ampliori est priuilegio munita, cuique merito magis fauendũ est, dum in eam rerum, & bonorum dominium, ac possessio nulla traditione pręcedente trãsear, in quacũque bonorũ & spoliorũ siue ad sęculares, siue ad regulares dũviuerent, spectantiu successione, quibuscunq; in rebus, siue pecuniis illa cõsistant, etiam si nominatim, aut alia speciali nota illa designanda essent, quæ ad eandem Cameram iure spoliorum pertinuerunt, & pertinebunt in posterum, omni prorsus fictione penitus cessante, ius, & nomen veri hęredis in eisdem spoliis habere, illiusque naturam sortiri, ac veri hęredis priuilegiis, & iuribus in quibuscunque bonis, pecuniis, iuribus, & actionibus vti antehac potuisse, & nunc posse, idque eorundem prædecessorum, ac nostræ etiam intentionis semper fuisse, & esse auctoritate præsentium declaramus: sicque per quoscunque iudices in quibuscuis causis, etiam per appellationem, aut alias pendentibus, & futuris, ac in quacũque causa, vel instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere: necnon quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Mandantes dilecto filio Magistro Ludouico Tabernę Notario, & Thesaurario, necnon spoliorum ad dictam Cameram pertinentium in vniuersa Italia Collectori generali nostro, eiusquein dictis officiis successoribus, quatenus præsentem nostram declarationem, & in ea contenta quæcunque inuiolabiliter obseruari curet, & faciat, non permittendo eandem Cameram contra illius seriem quacunque ratione vel causa, aut quouis quæsito colore, vel ingenio directe

directe, vel indirecte molestari, aut perturbari: contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna iuris, & facti remedia, ac demum per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo: necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando: inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, & ordinum, vel militiarum, cuius illę fuerint monasteriorumque, vel regularium locorum etiam iuramẽto confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & cõsuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis earundem ecclesiarum præsulibus, capitulis, ac monasteriorum, regulariumque locorum conuentibus, illorumque ordinibus, superioribus, & personis, necnon ciuitatibus, prouinciis, dominiis, & regnis, in quibus bona, vel pecuniæ collocatæ, aut illarum reditus percipiendi forsan fuerint, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, & ad fauorem religionis concessis, confirmatis, & innouatis: quibus omnibus (etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quæuis alia expressio habẽda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque etiam si aliquibus communiter, vel diuisim ab apostolica sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mẽtionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, & indulgentiis generalibus, vel speciali-

bus,quorumcunque tenorum existant,per quæ præsentibus non expressa,vel totaliter non inserta,effectus præsentium impediri valeat quomodolibet,vel differri,& de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ quo ad hoc volumus eis nullatenus suffragari. Cęterum præcipimus præsentium exemplis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis,&dicti Thesaurarij seu alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo munitis,eandem prorsus fidem adhibendam in iudicio,& extra,quæ præsentibus haberetur, si exhiberentur,vel ostenderentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxi. Ianuarij.MDLXXVII.

Cæ.Glorierius.

Eiusdem confirmatio & ampliatio literarum prædecessorum Pontificum,& decretorum Cameralium, contra denegantes,ac molestantes, & impedientes exactionem, & fidam Dohanarum Cameræ Apostolicæ,& illius affidatos.

GRegorius Papa xiij.Ad perpetuam rei memoriã. Decet Romanum Pontificem Cameræ apostolicæ,ac cum ea contrahentium indemnitati consulere, & iis quæ à Romanis Pontificibus ad eum finem statuta,& ordinata fuerunt, approbationis suæ robur adiicere,vel aliis oportunis rationibus prouidere,vt & prædicta Camera indebite non grauetur,& cõtrahentes cum ea perpetua possint promissorum securitate lętari.Nuper siquidem non sine animi nostri displicentia accepimus,quod licet quamplurimi Romani Pontifices,& præcipue fel.rec.Pius Secundus, Innocentius Octauus,Alexander Sextus,Leo Decimus, Paulus Tertius,& Iulius Tertius,prædecessores nostri,& ipsa quoque Camera apostolica prouide considerantes,vt fructus,& introitus Camerę predictæ præseruarentur illæsi,& Camera prædicta quotidianas impensas & onera grandia pro Romanæ Ecclesię statu,

statu,& illius populis conseruandus in dies incumbẽcia facilius tolerare valeret : Quoniam introitus,& prouentus Cameræ prędictæ exdohana pecudũ pascuorum Vrbis, Campaniæ, Maritimæ, & Patrimonij prouenientes, qui inter primarias haberi consueuerunt,per multas controuersias,lites,& tergiuersationes dohanerijs dohanæ prędictæ in exigendo eorum Fida ab omnibus etiam Prouincialibus dictę dohanæ cum eorum quibusuis animalibus etiam porcinis in pascuis alienis quomodocunque, & quotiescunque pascentibus,ac per damna,vexationes,& impedimẽta quamplurima, quę cumducentibus animalia diuersi generis ad pascuum in Dohanam prædictam per cõmunitates, vniuersitates,comites,barones, dominos, castellanos,ac alias particulares personas in veniẽdo & redeundo,in personis, animalibus, bonis,ac rebus eorum inferebantur,plurimum damni contingebat, ac plurimi in graue damnum & præiudicium ipsius Cameræ, timẽtes huiusmodi damna eorum animalia trãsmittere nolebant,inter cætera priuilegia, & capitula dictæ dohanæ,& affidatis concessa, prospiciẽtes quod dohanerij prædicti cũ Camera bona fide contrahunt,quodque affidati sub fide publica,& clypeo ipsius Cameræ ad dictam Dohanam vndique cõcurrunt et debitum dohanæ persoluunt,mandauerint,& ordinauerint omnibus & singulis cõmunitatibus populis, vniuersitatibus,comitibus,dominis,baronibus, nobilibus particularibusque personis præsentibus, & futuris, S.R.E.mediate,vel immediate subiectis, & tã intra dictæ dohanæ prouincias,quam extra eas existentibus,cuiuscunque status,gradus,ordinis vel cõditionis,aut dignitatis essent,clericis,& laicis, etiam capitulis,collegiis,& quibusuis aliis vniuersitatibus, quatenus ex tunc de cætero pretextu alicuius prætẽsæ consuetudinis,præscriptionis,non vsus,seu quauis alia ratione vel causa dictis pro tempore dohaneriis fidam pro quibusuis eorum animalibus etiam prouincialibus , & porcinis in alienis pascuis pascentibus

minime ſoluere recuſarẽt, ſed illam ſoluere tenerentur omnino, & quatenus etiam ex tunc de cætero ſub prætenſæ cõſuetudinis, vel alia quauis ratione, occaſione, vel cauſa, directe, vel indirecte, conducentibus huiuſmodi animalia ad paſcendum ſub fide in dohanam prędictam, damnũ, moleſtiam, aut quoduis aliud impedimentum in perſonis, animalibus, rebus, & bonis eorum in veniendo, ſtando, & redeundo, nullatenus inferre auderent, aut pręſumerent, ſed huiuſmodi animalia conducentes benigne reciperent, & beneuole pertractarent, ſineque iniuria, vel alio prorſus impedimẽto reali, perſonali, abſque aliqua ſolutione alicuius gabellę, paſſagij, oneris, & corteſię, per eorũ loca, & tenimenta libere tranſire, & immunes per triduum in quolibet territorio in ipſo eorum itinere permanere, ſeu moram trahere permitterent, ſub refectionis omnium, & ſingulorum damnorum, expenſarum, & intereſſe dictis dohaneriis, ac partibus leſis reſpectiue reficiendis, ac excommunicationis, interdicti, & quingentorum ducatorum auri de Camera ipſo facto incurrendis, & reſpectiue Camerę Apoſtolicę applicãdis pœnis, ſuper premiſſis etiam certũ Commiſſarium deputãdum cum facultate etiam per viam repræſaliarum contra delinquentes huiuſmodi, & eorum Communitates procedendi, & pœnas exigendi, Mandando omnibus, & ſingulis legatis, gubernatoribus, poteſtatibus, cęteriſque iuſtitiæ miniſtris, & executoribus, necnon baronibus, & ductoribus gentium armorum, quatenus prædictis dohaneriis, & affidatis in præmiſſis omnibus opportune fauerent, ac executionem realiter, & perſonaliter in recuſantes, & contrauenientes reſpectiue facerent, Conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis etiam in prouincialibus, priuilegiis indultis, conſuetudinibus, quomodocunque & qualitercunque introductis, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Et poſtremo etiam per Cameram apoſtolicam ſuper huiuſmodi indebitis moleſtiis, impedimentis, & angariis contra

tra formam eorum Fidæ eis illatis prouiſum extiterit, & alias prout latius in literis ſingulis tam ſub plũbo, quam per Breue prælibatorum Pij Secundi, Pauli Secundi, Innocentij Octaui, Alexandri Sexti, Leonis Decimi, Pauli Tertij, & Iulij Tertij prædeceſſorũ noſtrorum, ac patentibus Cameralibus latius cõſtat & apparet: Nihilominus quamplurimæ communitates, & particulares homines in prouinciis dohanę prędictæ ſubiectis, ſe ab huiuſmodi ſolutione fide eximere, illamque excutere anhelantes, ac variis litibus, & tergiuerſationibus dohanam prædictam fatigare procurantes, etiam vſque in præſentem fidam huiuſmodi pro eorum quibuſcunque animalibus in alienis paſcuis paſcentibus ſoluere recuſant, & nonnulli alij iniquitatis filij adhuc varias moleſtias, angarias, & grauamina in prædictis affidatis inferre non ceſſant, ac adeo communitates, vniuerſitates, duces, comites, barones, dominos, poteſtates, caſtellani, gabellarij, paſſuum cuſtodes, & aliæ priuatæ perſonæ contra dictos affidatos inſoleſcunt, prohibendo paſcua, capiẽdo agnos, hædos, ciauarros, caſtratos, & pecudes pœnas pro prætenſis damnis, aliaque ab illis extorquendo, licet indebite, ac animalia, res, & bona deprædando, & deprædata occultando, & diuerſimode damnificando, perſonaſque offendendo, vt ipſi dohanerij in magna parte introitus Dohanæ prædictæ defraudentur, & ipſi affidati meritò, niſi de opportuno remedio prouideatur, cum eorum animalibus ad ipſam dohanam accedere pertimeſcant, ſicque prædictæ Cameræ introitus diminuuntur. Nos itaque attendentes æquum eſſe, vt prædictis dohaneriis, & affidatis qui propterea cenſum conuentuum, ac debitum dohanæ perſoluunt, capitula, inſtrumenta, conuentiones, exigentia, priuilegia, & immunitates, ac eorum fide reſpectiue obſeruẽtur, & in cõtrariũ tentantes ſi nõ virtutis amore, ſaltem metu pœnæ coerceantur; cupiẽteſque in præmiſſis opportune prouidere, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, Motu proprio,

& ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine Pij Secundi, Pauli Secundi, Innocentij Octaui, Alexandri, Leonis, Pauli Tertij, & Iulij Tertij literas apostolicas, ac patentes, decreta, instrumenta, capitula, & declarationes Camerales, & in eis contenta quæcunque, & alia prædicta, de præmissis, certam notitiam habentes, ac illorum omnium & singulorum tenores pro expressis & insertis habétes, apostolica auctoritate tenore præsentiũ approbamus, confirmamus, & nostræ, sedisque apostolicæ auctoritatis munimine roboramus, & innouam⁹, ac de nouo concedimus, supplentes, quatenus opus sit, omnes, & singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan in eisdem interuenissent. Declarantes quòd non solum forenses, & qui extra prouincias Dohanæ prædictæ subiectas degunt, fidam prædictam prælibatis dohaneriis soluere teneantur, & obligati sint, sed etiã omnes, & singuli prouinciales in prædictis prouinciis pascuorum Vrbis, campaniæ, maritimæ, & patrimonij quomodolibet subiectis tam intra stangam, quam extra stangam, & tam si bullectam sibi dari fecerint, quam non, pro quibusuis eorum animalibus etiam porcis in pascuis alienis pascentibus, ita & taliter quòd nemo siue sit Romanus, siue forensis, siue districtualis, vel prouincialis ex prædictis prouinciis dohanæ prædictæ subiectis, siue intra stangam, siue extra eam, ab huiusmodi solutione fidæ sub quouis prætextu cuiusuis consuetudinis, præscriptionis, non vsus permissionis, seu quauis alia ratione, occasione, vel causa (exceptis iis qui eorum priuilegia, & immunitates inscriptis habent, & de illis in actis Cameræ apostolicæ legitime docuerint) nullatenus liber, & exemptus sit, vel censeatur, sed ad illius solutionem, omni mora, & appellatione remota, cogi, & compelli valeat. Et nihilominus omnibus, & singulis communitatibus, vniuersitatibus, ducibus, baronibus, comitibus, dominis, castellanis, vicariis, potestatibus, commissariis, locatenentibus, gabellariis, passuum custodibus,

dibus, barisellis, capitaneis, & aliis quibusuis etiam priuatis personis cuiuscunque status, gradus, conditionis, dignitatis, honoris, & præeminentiæ existant, etiam si Cardinalatus dignitate præfulgeant, tam clericis, quam laicis etiam capitulis, & aliis quibuscunque sub indignationis nostrę, ac excommunicationis, interdicti, & mille ducatorum auri Cameræ apostolicæ applicandorum ipso facto inuiolabiliter incurrendis pœnis districtius inhibendo, harum serie præcipimus, & mandamus, ne de cætero audeant, vel præsumant contra dictos affidatos, seu eorum aliquem, vel eorum pastores, famulos, animalia, res, & bona, in veniendo ad ipsam dohanam, stando, toto tempore eorum fidæ, & redeundo, damnũ, molestiam, aut quoduis aliud impedimentum afferre, seu se quomodolibet opponere, & quominus iuxta præmissa pascuis cũ eorũ animalibus, ac priuilegiis, immunitatibus, & aliis præmissis, aliisque in eorum fida contentis libere vti, frui, & gaudere valeant, & præsertim ne hædulos, agnos, ciauarros, castratos, pecudes, pecuniam, vel quidquam aliud ab eis prætextu, vel ratione passagij, gabellæ, pedagij, cortesiæ, seu quauis alia causa & occasione extorquere, petere, seu etiam ab vltro dantibus accipere, quinimo tute, libere & secure absque aliqua molestia, iniuria, vel impedimẽto pascere, transire, ire, & per triduum in quolibet territorio, quãdo sunt in itinere, stare, pernoctare, ac redire omnino faciant, & permittant, nec pro damnis per eos datis toto tempore eorum fidæ quibusuis prouinciis, terris, & locis status ecclesiastici, etiam propriis, ad aliquam Pœnã, sed tantum ad damni emendam teneantur, excepto quando in itinere per triduum in quolibet territorio pernoctari, & morari contigerit; quia tunc ad aliquam damni emendam, nisi in seminatis, vineis, & similibus damnum dederint, non tenentur. Et, vt præmissa facilius exequantur, & ipsi dohanerij amplius litibus, & molestiis non fatigentur, & affidati sincero animo, & hilari mente absque aliqua trepidatione,

vel timore ad ipsam dohanam accedere, & in illa stare valeant, Dilectis filiis presidentibus, & clericis nostrę Camerę apostolicę tenore presentium committimus & mandamus, vt præmissa obseruent, & ab aliis ad vnguem obseruari faciant, & præsertim clerico dohanarum Præsidenti, qui vna cum moderno, & pro tempore existenti dohanerio de rebus ipsius dohanæ informato præmissa omnia, & singula prædictis omnibus, & singulis, ac quibus opus fuerit, & eis visum fuerit intiment, & intimari faciant, & quatenus aliqui culpabiles existant, irremissibiliter ad executionem dictarum pœnarum per dictum dohanerium, necnon Cameram apostolicam, & Clericum pro tępore præsidentem deputatum, seu deputandum ab ea, & alios quoscunque sanctæ Romanæ Ecclesiæ officiales tam cõiunctim quam diuisim procedi volumus, etiam per viam repræsaliarum, quas ex nunc etiam contra vniuersitates, communitates, & dominos locorum in quorum territorium damnum, molestiam, & impedimentum dari, & in præmissis delinqui, seu contra præmissa quidquam fieri, vel quomodolibet attentari cõtingat, decernimus, & relaxamus. Statuentes conducentibus ipsa animalia, quoad damna illata, agnoscẽs seu alia animalia, pecuniarum summas, res & bona eisdem, siue eorum famulis, & pastoribus ablata, illorumque æstimationẽ, & valorẽ, ac quantitatẽ & qualitatem, & loca dãnorum sibi illatorum, & bonorũ ablatorũ, & nomina, personasque auferẽtium, & inferentiũ, medio iuramento plenã fidẽ adhiberi in iudicio, & extra. Ac volumus quòd intimatio de prædictis facienda facta in personam Dominorum locorum etiã domi dimissa copia, vel in persona alicuius ex Prioribus locorum, vel Potestatis, vel Massarij, aut Vicarij siue Castellani, Gabellarij, vel Custodis passuum, aut dimissa copia collationata ad valuas loci, seu locorũ, vbi homines congregari pro eorum negotiis publicis solent, perinde afficiat, ac si personaliter omnibus, & quibuscunque, ac in pleno, & generali consilio intimata

forent. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Locatenentibus, Auditoribus, Vicariis, Potestatibus, cæterisque iustitiæ ministris quarumcunque ciuitatum, prouinciarum, terrarum, & locorum S.R.E. mediate, vel immediate subiectis, vt præmissa omnia obseruent, & ab aliis obseruari faciant, prædictisque Dohanerio, & Affidatis, vel in præmissis deputandis ab eo, faueant, & assistant, nec ab aliquo eisdẽ contraueniri impune permittant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, etiã prouincialibus statutis iuramento, seu quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis, concessionibus, consuetudinibus, præscriptionibus, vsibus promissionibus, immunitatibus, & indultis, ac aliis, quæ etiam in dictis literis Pij Pauli ii. Innocentij, Alexandri, Leonis, Pauli iii. & Iulij iii. prædecessorum nostrorum decreta fuerunt, non obstare, cęterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xviii. Februarij millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Cæ. Glorierius.

Die xviii. Martij, anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, suprascriptæ literæ apostolicę admissæ, & in eiusdem Cameræ libris registratæ fuerunt ex decreto in dicta Camera eadem die desuper facto, & in fidem &c.

Rodulphus Cellesius.

Eiusdem constitutio nouorum terminorum ad soluendas decimas.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam. Plurimis grauissimisque causis adducti, quintodecimo Cal. Martij, Pontificatus nostri Anno Quarto imposuimus, & indiximus de fratrum nostrorum consilio sex integras decimas omnium, & quorumcunque fructuum, reditnum, prouentuum, iurium, obuentionum, distributionum quotidiana

tidianarum,& emolumentorum ecclesiasticorum,ordinariorum,& extraordinariorum,necnon pensionum annuarum super illis in omni Italia,easdemque decimas tribus æquis partibus soluendas duximus, primam partem videlicet intra tunc proximum diem festum Sancti Michaelis mensis septembris, alteram vero intra eundem festum anni tunc proxime futuri, & tertiam intra illum ipsum diem anni consequentis,prout literis nostris super hoc æditis plenius continetur. Sed,vt facultatibus ecclesiasticis parceremus, & vniuersum clerum subleuaremus, quoad eius fieri posset, res nostras grauissimis difficultatibus affectas, conquisitis aliunde subsidiis,adhuc gessimus,& sustinuimus, exactionem decimarum quandiu ipsæ res nostræ id potuerunt,proferentes, vt ab ea,si licuisset, omnino abstineremus. Verum præsenti bello Gallico contra Hæreticos, aliisque nouis quotidie super aliis calamitatibus, atque incommodis obsessi, & circumuenti, grauitatemque tantorum onerum aliter sustinere nequeuntes, ad executionem dictarum literarum decreuimus procedendum. Quocirca volumus,statuimus,& mandamus, vt literæ ipsæ ad debitum, & integrum effectum perducantur. Et sex integræ decimæ prædictæ pro vna intra proximum diem festum Sancti Michaelis Archangeli,qui dicto mense Septembri celebratur, & pro alia intra eundem diem festum anni proxime futuri, ac pro reliqua partibus æqualibus intra ipsum diem festum consequentis proximus anni,alias vero, seruatis prorsus modis, & formis literarum earundem, omnino exigantur. Non obstantibus omnibus,quę in ipsis literis voluimus nō obstare, cęterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis,statuti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri,& Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incar

no incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, Id. Iunij, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Cæ.Glorierius.

M.Datarius.

A. de Alexiis.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, indictione quinta, die vero decima octaua mensis Iunij. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo patris & D. N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ xiij. Anno Sexto,retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Ecclesiæ Sancti Ioannis Laterenensis,ac basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, necnon Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octauianis, & Nicolaum Taglietum Apostolicos Cursores.

Petrus Aloysius Gayta Mag. Curs.

Eiusdem Moderatio sex decimarum à Sanctitate sua nuper impositarum,ad tres decimas pro ordinibus Mendicantium.

GRegorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriam. Cum nos nuper vrgentibus temporum conditionibus,& ex aliis causis tunc expressis,sex decimas super reditibus ecclesiasticis quibuscunque, etiam ordinum mendicantium professoribus bona stabilia ex priuilegio apostolico habentibus persoluandas, in vniuersa Italia, & locis tunc nominatis imposuerimus,Nos vestigiis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum inherentes,qui hoc ipsum dilectis filiis quorumuis ordinum mendicantium Prælatis,Superioribus, Professoribus,& Monialibus cōcesserunt,Motu proprio,& ex certa scientia nostra non ad ipsorum superiorum, & professorum ordinū mendicantium huiusmodi, aut alicuius alterius pro

cis

eis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione ipsos, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existũt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes eisdem prælatis, Superioribus, Professoribus, & Monialibus ordinum mendicantium, quod ratione dictarum sex decimarum per nos, vt præfertur, impositarum, nisi illarum medietatem videlicet tres decimas tantum sicuti, vt asserunt, facere consueuerunt soluere non teneantur, nec ad aliud per ipsarum decimarum Collectores, Subcollectores, & Commissarios nunc, & pro tempore deputatos, seu quoscũque alios quauis auctoritate fungentes cogi, seu coarctari, aut propterea aliquibus censuris, aut pœnis ecclesiasticis innodari possint, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Mandãtes dilectis filiis modernis, ac pro tempore existentibus nostro, & S.R.E. Camerario, & clericis præsidentibus Cameræ apostolicæ, necnon quibusuis aliis decimarum huiusmodi hactenus deputatis, & in posterum deputandis Collectoribus, Subcollectoribus, & Commissariis, & quauis auctoritate, dignitate, & prærogatiuas fungentibus, quatenus prædictos Prelatos Superiores, Professores, & Moniales ordinum mendicantium occasione sex decimarum huiusmodi ratione domorum suorum ordinum, & illarum fructuũ vltra earum medietatem quoniſmodo, vel quæsito colore, vel ingenio, directe, vel indirecte grauare, molestare, aut perturbare non audeant, neque presumant, sed exactione medietatis sex decimarum huiusmodi contenti, illos ab ipsis omnino quietent, & liberent ac penitus absoluant in omnibus, & per omnia, perinde ac si dictas decimas integre persoluissent. Non permittentes eos, aut eorum quempiam per eosdem

Collecto

Collectores, Subcollectores, & Cõmissarios, seu quoscunque alios quauis facultate munitos quouis prætextu contra præsentium tenorẽ vexari, vel impediri. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus, ac literis apostolicis, necnon facultatibus super imposirione decimarũ huiusmodi emanatis, etiam si per illas præsentibus ad verbum derogari videretur, quas aduersus præsentes nullatenus suffragari posse volumus, cæteriſque contrariis quibuscunque. Decernentes quòd præsentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius curiæ ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate ecclesiastica cõstitutæ munitis, eadẽ prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, que ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romę apud Sanctum Petrum, sub Annulo piscatoris, die decima septima Septembris, milleſimo quingentesimo septuagesimo septimo, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem Quòd in ciuitatibus, terris, & locis Sanctæ Sedi Apostolicæ subiectis non possint mercari Sales exteri.

GRegorius Papa xii. Ad futuram rei memoriam. Ex incumbenti nobis apostolicæ seruitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ subditorum nostrorum commoditati, & Cameræ apostolicæ indemnitati oportune consulatur. Cúm itaque, sicut accepimus, quantitas salis, quod in salinis ciuitatis nostræ Ceruiæ ob necessariam dilectorum filiorum illius ciuium, & incolarum sustentationem quotãnis conficitur, & à Camera apostolica certo conuento pretio emi consueuit, adeo aucta sit, vt non nisi longæui temporis spatio distrahi possit, & ex hoc, nisi remedium oportunum adhibeatur, vel ipsos ciues, & incolas ab vlteriori eiusdem salis fabrica nõ sine gra-

ui

ui eorum dispēdio cessare, vel ipsam Cameram pecuniarum recuperatione, quas pro dicto pretio erogat frustrari oporteat. Nos cupientes, vt par est, non solū eorundem civium, & incolarum, quos paterna benevolentia prosequimur, verū etiam indemnirati eiusdem Cameræ opportune prospicere, ac fe.re. Iulij Papæ iij. prædecessoris nostri vestigiis inherētes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, quod de cætero in ciuitatibus, terris, & locis Sanctæ Sedi apostolicę immediatæ subiectis nulli prorsus locorum vniuersitati collegio, communitati, vel priuatis personis quauis dignitate etiam Archiepiscopali, Cardinalatus, vel maiori, ecclesiastica, vel laicali dignitate fulgentibus sal exterum, & illud præsertim, quod ab oris Dalmatiæ, seu Oriētalis, vel Meridionalibus, & aliis mundi regionibus aduehitur, in publicos, vel priuatos vsus mercari liceat, sub excommunicationis latę sententiæ, & quoad communitates, aut vniuersitates mille, ac quoad reliquas priuatas personas, & collegia personarum ecclesiasticarum, centum ducatorum auri de Camera, & amissionis salis exteri huiusmodi Camerę prefatę applicandorum ipso facto per quemlibet cōtrauenientem, & pro qualibet contrauenti one incurrendis pœnis, auctoritate apostōlica tenore præsentium statuimus, & decernimus. Mandantes dilectis filiis Legatis, Prę sidentibus, & Gubernatoribus prouinciarum, & illorum Locatenentibus, ac locorum Gubernatoribus, & aliis Officialibus, ad quos pertinebit, in virtute sanctę obedientię, vt statutum, & decretum nostra huiusmodi inuiolabiliter obseruari faciant, contemptores, & inobedientes per opportuna facti, & iuris remedia compescendo. Non obstātibus præmissis, ac fe.re. Bonifacij Papę viij. prędecessoris nostri de vna, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus & ordinationibus apostolicis tam generalibus, quam prouincialibus, necnon etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus,

bus, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis quomodolibet concessis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem atque decernimus, quòd præsentiū transūptis, manu alicuius Camerę apostolicę Notarij subscriptis, & sigillo dilecti filij nostri, & S. R. E. Camerarij munitis ea prorsus fides adhibeatur, quę eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitę vel ostensę. Dat. Romę apud Sanctum Petrū sub Annulo Piscatoris, die decimaseptima Decēbris anno millesimo quingēsimo septuagesimo septimo, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Cę. Glorierius.

Registrata in Camera Apostolica.

Tydeus de Marchis.

Eiusdem Contra extrahentes, & asportantes frumenta, blada, & legumina, atque animalia quæcunque extra statum ecclesiasticum.

GRegorius Papa xiij. Ad futuram rei memoriam. Volentes pro nostra pastorali sollicitudine prouidere, vt ea, quæ communem vitæ vsum, & sustentationem concernunt, in statu nostro ecclesiastico honesto pretio habeantur, vestigiis quoque fe.re. Pij Papę Quarti prędecessoris nostri inhęrentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra omnibus, & singulis communitatibus, vniuersitatibus, ac personis tā laicis quam ecclesiasticis etiam quorumuis ordinum regularibus, cuiusuis status, conditionis, & ordinis existentes, etiam Archiepiscopali, & Episcopali, vel alia maiori dignitate fungentibus, ac etiam Baronibus, Domicellis, & Dominis temporalibus status nostri ecclesiastici, ac sanctæ Sedi apostolicę immediate subiectis in virtute sanctę obedientię, & sub indignationis nostrę, ac excommunicationis latę sententię

pœnis, tenore præsentium inhibemus, ne quouis præ-
textu directę, vel indirectę cuiusuis generis frumẽta,
blada, & legumina, atque animalia quęcunque extra
statum ecclesiasticum extrahere, & asportare audeãt
seu præsumant: Eos vero, qui contra inhibitionẽ no-
stram huiusmodi commiserint, vltra prędictas, etiam
amissionis frumentorum, bladorum, leguminum, &
animalium præfatorum, necnon quinque scutorum
pro qualibet salma frumenti, bladorum, & leguminũ
huiusmodi, & duorum scutorum pro quolibet capite
animalis, pœnas Fisco, & Cameræ nostræ apostolicæ
applicandas, ipso facto incurrere volumus, ac decer-
nimus. Mandãtes dilectis filiis Aloysio tituli S. Mar-
ci presbytero Cardinali Cornelio nuncupato, no-
stro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, necnon
Magistro Andreæ Spinolæ dictæ Cameræ Clerico, &
Annonæ præfecto quatenus ipsi præcipuam in præ-
missis curam habentes, præsentes nostras litteras, &
in eis contenta quæcunque ab omnibus, quos illa cõ-
cernunt, firmiter obseruari, executionique debitæ de
mãdari, necnõ in prouinciis, ciuitatib⁹, terris, & locis
status ecclesiastici præfati, vbi opus fuerit, publicari
& notificari curent, ac ad exactionẽ pœnarum prædi-
ctarum, quacunque appellatione remota, quibusuis
opportunis iuris, & facti remediis procedant, & pro-
cedi faciant: Contradictores, ac præmissorum execu-
tionem quomodolibet impedientes per prædictas &
alias pecuniarias, ac sibi visas pœnas, etiam omni ap-
pellatione cessante, compescant. Super quibus omni-
bus, aliisque circa ea necessariis, & opportunis plenã,
& liberam per easdem præsentes ipsis concedimus
facultatem. Non obstantibus constitutionibus, & or
dinationibus apostolicis, necnon statutis, & consue-
tudinibus etiam per iuramento, confirmatione apo-
stolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis
quoque indultis, & literis apostolicis communitati-
bus, vniuersitatibus, ac personis quibuscunque etiam
vt præfertur qualificatis, etiam Motu simili, vel alias
quomo

quomodocunque, & qualitercunque concessis, con-
firmatis, & innouatis, quibus omnibus, eorum teno-
res ac si ad verbum insererentur præsentibus pro suf-
ficienter expressis habentes, ad effectum præsentium
specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibus-
cunque: aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab
eadem sit sede indultum, quòd interdici, suspendi,
vel excommunicari non possint per literas apostoli-
cas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo
ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volu-
mus autem præsentium transumptis etiam impressis
manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ
in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eandem
prorsus fidem adhiberi, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ,
apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die de-
cima octaua Decembris, millesimo quingentesimo
septuagesimo septimo, Pontificatus nostri Anno
Sexto.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem facultas concessa locorum ordinarijs absoluendi à censuris incursis ob extractionem, & asportationem præfatam hactenus factam.

GRegorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriã. Cum ad nostram perlatum fuerit notitiam, quã plures personas status nostri ecclesiastici, & etiam ciuitatis Senogallien. ob extractionem, & asportationem frumenti, bladorum, & leguminum, ac etiam animalium extra statum ecclesiasticum hactenus factam contra prohibitionem fel. rec. Pij Papæ Quarti, & forsan aliorũ Rom. Pontificũ prædecessorũ nostrorum excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrisse. Nos pro paterna nostra erga fideles singulos caritate cum personis præfatis misericorditer agere, & illarum animarum saluti consulere cupientes, quibusuis locorum ordinariis personas quascunque suæ

diæc. quæ occasione præfata hactenus excommunicationis vinculo innodatæ ad ipsos humiliter recurrerint, & absolutionem petierint, recepto ab eis iuramento, quòd talia deinceps non committent, ab excommunicatione huiusmodi, & aliis censuris, propterea incursis absoluendi, auctoritate apostolica tenore præsentium facultatem concedimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decimaoctua Decembris, millesimo quingentesimo septuagesimo septimo. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Cæ. Glorierius.

Registrata in Camera Apostolica.

Tydeus de Marchis.

Eiusdem facultates Illustriss. & Reuerendiss. P. D. Hieronymo Matthæio Protonotario Apostolico, vtriusque Signaturæ Referendario, Curiæque causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori concessæ.

GRegorius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Magistro Hieronymo Matthæio Clerico Romano, vtriusque iuris doctori, Capellano nostro, & causarum Curiæ Cameræ apostolicæ generali Auditori, salutem, & apostolicam benedictionem. Ad generis nobilitatem, eximiamque doctrinam, ac in rebus gerendis experientiam, & dexteritatem, necnon fidei, & iustitiæ zelum, ac integritatem, singularemque probitatem, necnon cæteras virtutes, quibus clare dignosceris, nostræ dirigentes considerationis intuitum, ac indubie sperantes, quòd ea, quæ tibi duxerimus

xerimus committenda, summa cum prouidentia, & exacta diligentia laudabiliter exequeris, dignum, quin potius debitum arbitramur, vt personam tuam condignis honoribus, & gratiis prosequamur. Cum itaque nuper officium generalis Auditoratus seu Audientiæ causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, quod nuper dilectus filius noster Alexander S.R.E. Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Araceli Riarius nuncupatus, tempore assumptionis per nos de persona sua ad Cardinalatus honorem factæ, obtinebat, ex eo quod nos officium ipsum per assumptionem huiusmodi vacare decreuimus, vacet ad præsens: Nos post longam super hoc habitam discussionem, & maturam deliberationem in te oculos nostræ mentis coniicientes, & de supradictis tuis virtutibus specialem in Domino fiduciam habentes, ac sperantes, quòd tu, qui in vtraque signatura nostra Referendarius, & Prælatus domesticus noster, ac de nobili genere vtroque parente procreatus existis, dextera Domini tibi assistente propritia, officium scies, voles, & poteris ad laudē, & vtilitatem multorū fideliter exercere: Teque præmissorum meritorum tuorum intuitu specialis gratię fauore prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes: necnon singulorum priuilegiorum, indultorum, facultatum officio prędicto, ac quarumcunque literarum, seu scripturarum illi concessorum, & literarum desuper confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes. Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam sed mera deliberatione, & ex certa scientia nostra officium Auditoratus, siue Audientiæ causarū Curiæ Camerę apostolicæ huiusmodi, siue per huiusmodi assumptionem, seu alias

quouis modo, quę præsentibus haberi volumus pro expresso, aut ex alterius cuiuscũque persona vacet, cũ officio correctoriæ Archiuij Romanæ Curię, aliisque illis annexis, necnon omnibus, & singulis illius honoribus, priuilegiis, iuribus, regalibus, & emolumentis consuetis, ac facultatibus, & indultis, necnon decretis etiam in ordine, & modo procedendi in causis eidem Alexandro Cardinali, & aliis, qui pro tempore fuerunt causarum Curię huiusmodi generalibus Auditoribus, etiam per felicis recordationis Iulium ij. Leonem x. Clementem vij. Paulum iij. Iulium etiam iij. & alios quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos & sedem apostolicam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis tam sub plumbo, quam in forma breuis, & alias ex vsu, stilo, & consuetudine quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, apostolica tibi auctoritate cõcedimus, & assignamus. Teque nostrum, & dilecti filij nostri Aloysij tituli S. Marci presbyteri Cardinalis Cornelij nuncupati moderni, & pro tempore existentis Camerarij nostri, ac causarum Curiæ huiusmodi generalem Auditorem cum honoribus, oneribus, priuilegiis, iuribus, emolumentis, facultatibus, & decretis prædictis constituimus, & deputamus, ac in locum dicti Alexandri Cardinalis, quoad huiusmodi Auditoratus officium, eiusque liberum exercitium, quoad vixeris, substituimus, & surrogamus: Tibique, vt per te, vel alium, seu alios idoneum, vel idoneos Locumtenentem, seu Locumtenentes tuos, vel Vicegerentes, quos pro tempore duxeris assumendos, aut deputandos de omnibus, & singulis causis, modis, & formis præsentibus expressis cognoscendi, & decidendi facultatem concedimus. Ita quod tu tam in causis obligationum in forma Cameræ celebratarum, quam in forma iuris Guarentigię, vel Ripæ, & Ripettæ celebratis, ac etiam in aliis obligationibus, in quibus, etiam absque obligatione in forma Cameræ debitores consentiunt in man

mandatum executiuum, vnica, vel sine citatione, & quarum obligationum, vel consensuum vigore in aliis tribunalibus executiue per relaxationem mandatorum proceditur, quouis modo solus, præterquam inter Ciues Romanos, inter quos priuilegium, seu constitutionem vltimo loco per recolendæ memorię Pium Papam iv. etiã prędecessorem nostrum desuper in fauorem Populi Romani Motu proprio factã seruari volumus: Alij vero quicunque, etiam Ro. Curiæ Iudices in similibus causis nullatenus, nulloque modo procedere possint: ac de omnibus, & singulis obligationibus in forma Cameræ, vbiuis locorum, & inter quascunque personas factis, & faciendis, his dumtaxat exceptis, quę in dependentibus à litibus, & causis in eadem Camera, aut coram aliis Iudicibus pro tempore introductis, factę seu receptę fuerint, & tunc non per viam censurarum, sed per viam mandati executiui cognoscas: Ita vt quascunque causas, quę de cætero perpetuis futuris temporibus in eadem Curia super ipsis obligationibus, aliisque omnibus prædictis, in alio quam præfati Auditoris tribunali, præterquam in vim specialis commissionis nostrę, de dictis obligationibus specialem mentionen faciẽtis motę fuerint, in illarum statu, gradu, & terminis, in quibus reperientur, tua ordinaria auctoritate, exceptis causis Curię Capitolij contra dictos ciues Romanos pro tempore iuxtà formam dicti priuilegij motis reassumere: Inhibẽdo iudicibus, quibus sunt cõmissę, ac corã quibus illę pendebãt, ne in eis, aut de illis quo quomodo, aut quouis quęsito colore, directe, vel indirecte se intromittere: Itidemque omnibus, & quibuscunque iudicibus, eorumque Locumtenentibus, & Auditoribus, tam ecclesiasticis, quam secularibus, ne in executionibus, ac processibus prędictarum obligationum, & contractuũ de cętero cõtra tenorẽ prędictũ ad instantiam cuiusuis personę, collegij, vniuersitatis, capitulorum, & quorumuis priuilegiatorum, sub excommunicationis latę sententię, indignationisque

nostrę pœnis,ac partibus ipsis,notariis, procuratoribus, sollicitatoribus, executoribus, officialibus, sub eisdem censuris, & pœnis,ac priuationis officiorum suorum,& inhabilitatis ad illa inposterum, & quingẽtorum ducatorum Fisco,& Camerę nostrę applicandorum,refectionisque expensarum partibus arbitrio tuo, & nullitatis processuum, quouismodo directe, vel indirecte se intromittere pręsumant,& quicquid secus super his contigerit attentari, irritum,& inane decernendo.Prætereasolus vigore dictarum obligationum censuras ecclesiasticas promulgare, necnõ omnes,& singulas spirituales,ecclesiasticas, & profanas,ac quorumuis eiusdem Romanę Ecclesiæ Cardinalium,eorumque,& nostrorum familiarium continuorum commensalium,necnon quorumcunque Prę latorum in ipsa Curia degentium, ac etiam Imperatoris,Regum,Principum,ac Communitatum, & Vniuersitatum,Oratorum, necnon dictæ Curię Officialium eandem Curiã sequentium, ac familiarium eorundem, & ipsius Curiæ causarum huiusmodi Auditoris notariorum,& eorum familiarium,campsorum quoque,& quorumuis mercatorum,ac pẽsionum annuarum super fructibus,reditibus,& prouentibus ecclesiasticis assignatarum,etiam si earum solutio non in ipsa curia,sed in partibus sit facienda,& quascũque alias etiam commissarias causas, tam ciuiles, quam criminales,& mixtas,coniunctim,vel diuisim in eadẽ Curia quomodocunque,& qualitercunque motas,& mouendas,& interquascũque partes etiam per viam inquisitionis, aut ex officio quomodolibet pendẽtes, ac quę per appellationem à grauaminibus illatis, & inferri comminatis,seu sententiis diffinitiuis, vel interlocutoriis à quibusuis Iudicibus ordinariis,& arbitris,atque arbitratoribus in Curia,& Vrbe prædictis,Vicario nostro,ac Gubernatore,& Senatore, Vrbis prædictæ,& iudicibus capitolinis dumtaxat exceptis,& extra eas à quibuscunque iudicibus ordinariis,vel delegatis,seu arbitris, vel arbitratoribus, ac etiam

etiam dictæ sedis Legatis,& eorum Vicelegatis in terris eidem R.E.mediate, vel immediate subiectis,aut aliis earũ Gubernatoribus,vel Officialibus, & quibuscuis in feudũ,seu vicariatũ,aut alias quomodolibet cõcessis pro tẽpore laris,& promulgatis,interpositã seu alias ad eandẽ sedẽ etiam per viã reclamationis iudicialis,vel extraiudicialis aut nullitatis, vel recursus à quibuscunque sententiis quorũcunque ordinariorũ etiã extra statũ Ecclesię hactenus deolutę sunt,& in posterum deuoluentur, eas videlicet, in quibus non agetur vltra summam ducentorum ducatorum auri de Camera,aut de re,verum prædictæ summæ valorẽ non excedente, seu quæ inter, & contra Mercatores dictæ Curiæ pro quibuscunque negotiis ad quemcũque summam ascendant,& pro Notariis tuis,ac inter & contra ipsos,& eorum familias pro tempore vertantur,summarie,simpliciter,& de plano,sine strepitu & figura iudicij, sola veritate inspecta, etiam manu regia,absque obseruatione terminorum, qui de stilo, seu ordinatione Palatij Apostolici,aut alias obseruari consueuerunt,etiam priuatiue quoad alia Tribunalia,alias vero summam,aut illius valorẽ excedentes & inter,ac contra alios, quam Mercatores vertentes, seruatis terminis,& alias sũmarie, prout in beneficialibus,eisdemque terminis quomodocunque male, & nulliter, præpostere, ac confuse tentis, pro minore partium dispendio, etiam vnico contextu, citatione, & audientia reiteratis,etiam per affixionem citationis pro tempore faciendæ ad valuas haditationis ipsorum citandorum,quoad obligatos in forma Camerę,seu Guarentigiæ,Ripæ,& Ripettæ, ac aliis supradictis formis executiuis, & quoad alios aliter obligatos, vbi non agetur de maiori, quam de viginti ducatorum summa,audire,cognoscere,decidere,& fine debito terminare : Necnon de omnibus,& singulis quibuscunque, & quantumcunque enormibus criminibus,delictis,& excessibus,tam in Vrbe, & Curia prædictis, quam extra eas per quoscunque tam eius Se-

dis officiales,quam dictam Sedem sequentes,& alios etiam à iurisdictione ordinariorum exemptos , & prædictæ sedi immediate subiectos cuiuscunque ecclesiasticæ,vel mundanæ dignitatis,etiam episcopali, vel maioris, & per quoscunque alios cuiuscunque status,gradus,ordinis,vel conditionis fuerint, perpetratis,vel perpetrandis,tam ad procuratoris Fiscalis denunciationem,&promotionem,quam etiam partium accusationem, vel etiam instigationem, seu ex mero officio , & quoad omnes priuatiue perpetratis , per notarios tuos, ac substitutos , & alios in eorum officiis,& intus ea solum inquirere, & super illis tam per viam inquisitionis , quam accusationis seu denunciationis,& instigationis huiusmodi procedere,& culpabiles repertos iuxta suorum excessuum exigentiam, & qualitatem quouismodo punire:Dummodo monitoria contra episcopos, vel eorum superiores ad comparendum personaliter,nisi præuia commissione,manu nostra signata,non decernas. Necnon quascunque literas apostolicas generales , aut particulares , tam sub plumbo etiam per officium Audientię nostrarum literarum contradictarum expeditas,quam in forma breuis, & quarum solam signaturam sufficere concessum fuerit,supplicationes per nos , & pro tempore existentes Romanos Pontifices, aut in eius , seu nostri præsentia signatas : Necnon literas pro tempoce existentis Camerarij, & Pœnitentiarij maioris nostrorũ (dummodo in illis , & literis apostolicis prædictis alij executores deputati non fuerint) solus , in quibus vero deputati erunt accumulatiue cum illis exequi, & super illis processus debitos in forma solita , etiam cum promulgatione censurarum in similibus promulgari solitarum decernere:Ac tuarum, per tuosque Locũ tenentes,seu quosuis alios,tam ecclesiasticos,quã seculares iudices, & tam delegatos quam subdelegatos,ac etiam causarum dicti palatij apostolici Auditores, vel nos aut Romanos Pontifices pro tempore existentes,tam in specie, quam in genere , ac alias quo

quomodolibet in eadem Curia pro tempore latarũ sententiarum , necnon quorũcunque processuum generalium , vel specialium, tam in die cœnæ Domini , quam alias cum censurarum, & pœnarum ecclesiasticarum fulminatione fieri solitorum executionem, quas etiãsi delegatis,vel subdelegatis prædictis , aut quibusuis aliis,etiam specialiter per nos,& sedẽ prædictam commissæ fuerint, dicto Auditori accumulatiue,& non priuatiue commissas esse volumus, atque decernimus , seruatis terminis in Tribunali Auditoris huiusmodi seruari solitis,etiam singulis diebus,& horis , prout in ordinariis consuetum erat facere,illasque, & illos debitæ executioni , etiam si opus fuerit cum auxilij brachij sæcularis inuocatione demandari:Et quascunque communitates,vniuersitates, collegia,capitula,necnõ etiam extra dictam Curiam degentes personas pro debitis per eos in eadem Curia contractis , aut salario , seu contractu in dicta Curia inito,degentes vero in eadem Curia, seu curiales ecclesiasticos seculares,vel regulares, etiam ab ipsa Curia absentes cuiuscunq; status,gradus,ordinis, dignitatis etiam Pontificalis,conditionis , vel præeminentiæ existentes , pro quibusuis rebus , & pecuniarum summis , ad quorumuis etiam absentium , quorum interierit pro tempore instantiam, quotiens expedierit, etiam per edictum publicum ,constito summarie, & extraiudicialiter de non tuto ad eos accessu, ad satisfaciendum de eorum debitis,& præstandum ea,ad quæ pro tẽpore tenebuntur,monere,&citare:Ac literas quascunque remissoriales,& compulsoriales , tam generales , quam speciales vbi, & quotiens opus fuerit, arbitrio tuo decernere:Necnon etiam in vim constitutionis Eugenianæ,in fauorem Curialium emanatæ,ac Leoninæ , & cuiuscunque illius extensionis inhibere:Ac monitoria , citationes , & inhibitiones , ad partes etiam per simile edictum decernere , eos quoque arrestare,& carcerare,ac,si tibi videbitur,quascũque pœnas,& mulctas simili arbitrio dimittere, & relaxare

laxare,ac pro delictorum,& exceſſuum,necnon crimi num qualitate eis per te,tuoſque Locumtenentes,in fligere, & imponere: Necnon quoſlibet inobedientes excommunicare,à diuinis ſuſpendere, generaliter vel ſpecialiter interdicere, ac ſententias,cenſuras,& pœnas,eccleſiaſticas,& Locũtenentes tuos,pro tempore latas, etiam iteratis vicibus aggrauare: Et quod à te, vel Locumtẽentibus tuis pro tempore excommunicati,ſeu alias cenſurati ab Auditore,vel Locumtenente prædictis,etiam de partium conſenſu,præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui non poſſint, ad euitandum colluſiones ſtatuere, & cum tibi viſum fuerit expedire:communitates,vniuerſitates,collegia,capitula,& perſonas quaſcunque à quibuſuis ſentẽtiis, cenſuris,& pœnis,ac mulctis eccleſiaſticis, ſpiritualibus, vel temporalibus,per alios videlicet, quam per te,& tuam Curiam inflictis, in diebus paſchalibus, & natalitiis cum reincidentia abſoluere,necnon ſententias,cẽſuras,& pœnas,ac mulctas huiuſmodi,& quęcunque interdicta ſuſpendere,tollere,& eis relaxare: Necnon obligationes in forma Cameræ, etiam poſt mortem debitoris quoad illius bona tantum, etiam per vitam confeſſionis debiti per aliquem ex procuratoribus in qualibet obligatione conſtitutis more ſolito facienda,& hęredibus legitime citatis,ſeu alias arbitrio tuo exequi:& executioni demandari facere; & generaliter omnia,& ſingula, quæ ad officium Auditoris cauſarum Curię huiuſmodi de iure,vel ex priuilegio,aut vſu,ſeu literis, & conſuetudine prædictis olim ſpectabant,& quæ illi,qui pro tempore fuerunt Curiæ huiuſmodi Auditores ex conceſſis eis facultatibus facere,decernere,mandare ſtatuere, ordinare & exequi quomodolibet poterant, ſeu conſueuerant, facere,dicere,mandare,ſtatuere,ordinare, & exequi, habituri ratos,& gratos proceſſus,& ſententias, quas tu,& locumtenentes tui præfati pro tempore habuerint,& tulerint,ac reliqua omnia,quæ in præmiſſis, & circa ea, ac quodlibet eorum fecerint,dixerint, mandauerint,

dauerint,ſtatuerint,& ordinauerint,ac facturi ea omnia auctore domino,ab omnibus vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari: Et inſuper eiſdem auctoritate, & poteſtatis plenitudine tam Julij Secundi, Leonis Decimi, aliorumque prædeceſſorum huiuſmodi literas, quam omnia,& ſingula priuilegia,indulta,facultates,iuriſdictiones & gratias officio Auditoratus,& Auditoribus prædictis quomodolibet conceſſa, ac cum omnibus, & ſingulis in eiſdem contentis clauſulis ſingulas deſuper confectas literas, quarum omnium, & ſingularum literarum prædictarum huiuſmodi tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus haberi, volumus pro expreſſis,approbamus, confirmamus, & innouamus,ac perpetuæ firmitatis robur obtinere,&inuiolabiliter obſeruari debere decernimus: illaque omnia ad officium auditoratus,& Auditorẽ pro tẽpore,perinde ac ſi eis ſpecialiter, & expreſſe conceſſa, & pro eis ſeu in illorum fauorẽ ſtatuta,& ordinata fuiſſent, extendimus,& ampliamus. Quodque conſtitutiones quæ Odoardus,& Peruenit incipiunt,ac quæuis alternatiuæ ſeu moratoriæ,& dilationes etiã Salinariç per quoſcunque etiam eiuſdẽ Romanæ Eccleſię Cardinales, Clericos Camerę,&illius Cameraliũ pro tẽpore decretæ quoad obligatos,vt ſupra, tam reſpectu bonorum,quam perſonarum nullatenus proſint, quinimo obligationes ſupradictæ debitæ executioni demandentur,etiam poſt mortem debitoris quoad bona. Et non obſtante quacunque appellatione,& ſuper inde optenta commiſſione de huiuſmodi obligatione expreſſam mentionem non faciente,aut diſcuſſione hæreditatis vbilibet pẽdente,ſi per creditores data fuerit idonea cautio in forma depoſiti de reſtituẽdo id,quod receperint,prioribus,& potioribus creditoribus in euentum ſuccumbentiæ: Quodque tu in capella,& in reliquis actibus tam publicis,quam priuatis primum locum poſt eũdem Gubernatorem, & Oratores Principum,ſi Prælati fuerint,habeas,indulgemus,

mus, statuimus, volumus, & ordinamus. Contradicto
res, & rebelles, tibique in præmissis non parentes op-
portunis iuris remediis compescendi, & ad id, si opus
fuerit, auxilium brachij secularis inuocandi, ceteraqi
in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, &
opportuna, tam in dicta Vrbe nostra, quam vbique
locorum faciēdi, & exequendi iuxta facultatem alias
per piæ memoriæ Pium Papam Quintum similiter
prædecessorem nostrum eidem Alexandro Cardinali
attributam, plenam, & liberam auctoritate, & tenore
præmissis concedimus facultatē. Ac etiam statuimus
& ordinamus, quòd si in causis in tuo Tribunali tam
motis, quam in futurum mouendis comparuerint cre
ditores vsque ad summam quinquaginta scutorum
inclusiue pro quolibet, qui vere sunt miserabiles per-
sonæ, iis de eorum credito, etiam quod non sint prio-
res, aut potiores, satisfieri possit, ac debeat. Mandātes
propterea tibi, quatenus constito tibi prius etiam sū-
marie, & extraiudicialiter, & quantum tibi sufficere
videbitur de præmissis paupertate, & miseria, dictos
pauperes, ad satisfactionem eorum crediti admittas
eisque satisfieri mandes, & facias realiter, & cum effe
ctu: super quibus tibi plenam, & liberam facultatem,
cum simili potestate quoscunque, vbi, & quando, ac
quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum,
constito summarie, & extraiudicialiter de non tuto
accessu, ac etiam sub ecclesiasticis sententiis, censuris
& etiam pecuniariis, aliisque pœnis imponendis, mo
derandis, & applicandis citādi, monendi, & inhibēdi,
& in euētum non paritionis declarandi, aggrauandi,
reaggrauandi, excommunicandi, interdicendi, auxi-
liumque brachij secularis, si opus fuerit, inuocandi,
necnon perpetuum desuper silētium omni, & quacū-
que appellatione, & recursu remotis, imponendi, om-
niaque, & singula alia in præmissis, & circa ea necessa-
ria, seu quomodolibet oportuna faciendi, gerendi, &
exercendi, iuxta concessionis eiusdem Papæ Pij Quin
ti prædecessoris desuper ipsi Alexandro Cardinali
factæ

factæ tenorem, concedimus, & impartimur. Et postre-
mo tibi omnes, & quascunque causas, vt tam per te,
quam locumtenentes tuos super omnibus, & singulis
articulis, negotiis, & causis, in constitutione motu
proprio per prefatum Pium Quartum prædecessorem
pro pecuniis ad cambium, & recambium, vsurarie, &
malo modo per mercatores dictæ Vrbis accipiendis
facto contentis, & dependentibus ab eis, prout pro
singulorum casuum circumstantiis alias de iure faciē
dum tibi videbitur. Non obstante facultate Motu
proprio per Pium Quartum prædecessorem huiusmo
di in fauorem Gubernatoris Vrbis concessa, partibus
iustitiam administres, ac in causis ipsis, non tanquam
specialis Commissarius, sed prout solet, in similibus
causis, iuxta suarū facultatū tenorē, & ordinarium Cu-
riæ tuę stilū procedas, cū potestate citandi, & inhibē-
di: ac quascunque inhibitiones per dictę Vrbis Guber
natorem decretas reuocandi, & criminalitates contra
mercatores tollendi, aliasque, & alia, que in præmissis
& circa ea fuerint necessaria, & quomodolibet oppor
tuna faciendi, ac alias in omnibus, & per omnia iuxta
concessionis per Pium Quartum prædecessorē huius-
modi Dilecto Filio nostro Flauio Cardinali Vrsino
nuncupato, tunc temporis Curiæ causarum eiusdem
Cameræ generali Auditori factæ tenorem, auctori-
tate, & tenore similibus committimus, & mandamus.
Mandantes propterea, & districtius inhibentes qui-
busuis iudicibus, & personis quocunque nomine nun-
cupatis, ac quouis priuilegio munitis, etiam si eiusdē
Romanæ Ecclesiæ Cardinales fuerint, sub indigna-
tionis nostræ pœna, ac interdicti, necnon excommu-
nicationis sententiis, quas, si secus fecerint, eo ipso
incurrant, & à quibus præterquam in mortis articulo
constituti, alias quam à Romano Pontifice pro tem-
pore existente absolui non possint; ne in obligationi
bus supradictis, illarumque executionibus, aut aliis
præmissis contra earundem præsentium tenorem
quomodolibet, nisi, vt præfertur, se intromittere, aut

te

te,vel locumtenentes prędictos super præmissis molestare præsumant. Sicque per quoscunque iudices etiam Commissarios, & etiam eosdem Cardinales, ac causarum Palatij huiusmodi Auditores,in quauis instantia,sublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari,& diffiniri debere;Ac ex nunc irritum,& inane,ac nullius roboris, vel momenti quicquid secus super præmissis,aut circa ea quauis auctoritate etiã à nobis, aut successoribus nostris Rom. Pontificibus pro tempore existentibus,absque expresso tui, & pro tempore existentis Auditoris consensu, & licentia, scienter,vel ignorenter contigerit attentari, decernimus.Quocirca prædicto Aloysio Cardinali, & Camerario per apostolica scripta pari Motu mandamus, quatenus per se,vel alium,seu alios te,vel procuratorem tuum nomine tuo in corporalem,realem,& actualem possessionem officij Auditoratus , & annexorũ iuriumque, & pertinentiarum , ac priuilegiorum, & facultatum prædictorum , seu quasi auctoritate nostra inducat,& defendat inductũ , amoto exinde quolibet illicito detẽtore,faciẽs,te, vel pro te procuratorem tuũ prædictum ad officiũ huiusmodi, eiusque liberum exercitium,necnon honores, onera salaria , & emolumenta in ipsius Alexandri Cardinalis locum admitti,tibique emolumentis prædictis integre responderi,contradictores auctoritate nostra , appellatione postposita,compescendo.Non obstantibus præmissis,ac nostra de non tollendo ius quęsitum, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis editis,& edendis, & quibusuis aliis constitutionibus,& ordinationibus apostolicis,ac Curiæ, &Palatij stilo, necnon Vrbis, & Cameræ huiusmodi,& quarumcunque aliarum ciuitatum,terrarum,& locorum,etiam iuramento, confirmatione apostolica,vel quauis firmitate alia roboratis statutis,& consuetudinibus , ac reformationibus etiam nouis,& nouissimis,ac decretis,& ordinationibus priuilegiis quoque,indultis,& literis apostolicis quibusuis

quibusuis communitatibus,vniuersitatibus,domicellis, baronibus , feudatariis , & aliis quibuscunque eidem sedi mediate,vel immediate subiectis,ac quibuscuis aliis quacunque dignitate , etiam Episcopali, Archiepiscopali , Patriarchali,& Cardinalatus honore fungentibus personis,vbiuis locorum existentibus,ac etiam nostris,& sedis prædictæ Nuntiis,Legatis,etiã de latere,per nos,& Romanos Pontifices prædecessores nostros, sub quibuscunque tenoribus , & formis, ac cum quibusuis clausulis,& decretis, & pro quibuscunque causis,etiam motu simili concessis, confirmatis,& approbatis,ac etiam iteratis vicibus innouatis, & in posterum concedendis,confirmandis, approbandis,& innouandis,quibus omnibus,& singulis, etiam si de illis specialis,specifica,& expressa mentio habẽda,& certa exquisita forma obseruanda foret , illorũ tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat harum serie motu, & scientia similibus specialiter,& expresse derogamus , ac pro plene, & sufficienter derogatum esse decernimus,& declaramus,ac omnibus illis,quæ in præmissis concessa fuerunt,non obstare,cæterisque contrariis quibuscunque. Per præsentes autem non intendimus reformationibus de Auditoribus huiusmodi , & aliis dictę Curiæ officiis tam per Pium Quartum, & Pium Quintum prædecessores prędictos,quam per nos factis, necnon Concilij Tridentini decretis in aliquo derogare,vel alias præiudicare,sed illas,& illa salua esse, ac in suo robore permanere. Et quæ omnia per te,& alios, ad quos id quomodolibet spectat , omnino , & inuiolabiliter seruari mandamus. Et insuper volumus, quòd antequam tu officium Auditoratus huiusmodi exercere incipias,solitum de illo fideliter exercendo, in manibus præfati Aloysij Cardinalis, & Camerarij, seu dilecti filij, eius locumtenentis præstes iuramentum: Quòdque præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis , & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem pror-

sus fides adhibeatur,& adhiberi debeat,quæ præsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ,vel ostensæ. Tu igitur prædictum Auditoratus officium prompta deuotione susçipiens,sic illud diligenti studio,cura,meditatione, & integritate exequaris, vt tua opera ad Dei laudem,& gloriam,ac earundem ecclesiæ, & Curiæ bonum publicum,priuatorumque commoditatē, & exemplum laudabile cedant:teque apud nos, & sedem prædictam,vt speramus, merito peramplius recommendent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, assignationis,constitutionis, deputationis, substitutionis,surrogationis,approbationis, confirmationis,innouationis,extensionis,ampliationis,statutorum, indulti,inhibitionis,derogationis, voluntatum, mandatorum,& decretorum infringere,vel ei ausu temerario contraire. Si quis autē hoc attētare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo octauo,quintodecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Cæ.Glorierius. M.Datarius.

T.Mandosius.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octauo,indictione sexta, die vero decimaquarta mensis Maij, Pontificatus sanctiss. in Christo patris & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Sexto, Retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ (vt moris est)illas ibidem per aliquantulum temporis spatium affixas dimittendo per nos Marcum Antonium Brutum, & Petrum Guerram eiusdem sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Petrus del bequez Magister Curso.

Regiſtrata in Camera Apostolica.

Anno

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octauo,indictione sexta, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papę XIII. Anno Septimo, die vero vndecima mensis Iulij, Retroscriptæ literæ, ac omnia, & singula in eis contenta intimata & præsentata fuerunt DD.Alexandro de Romaulis, & Ascanio Mazzioto Curiæ Reuerendissimi D. Vicarii Vrbis notariis, & D. Lucæ Remerio eiusdem D. Alexandri substituto,tradita cuilibet ipsorum earundem literarum copia,ac D. Cęsari Stellę Curię magnæ Ripæ notario, & die duodecima eiusdem Reuerendissimo D.Corrado Asinario almæ Vrbis Gubernatori,ac Reuerendis.DD.Antonio Canali,Io.Antonio Fusconio, & Angelo Michaeli Bucchio eiusdem Locatenētibus, ac magnifico D.Prospero Caffarello nobili Romano eiusdem notario, & D. Nicolao de bottis eiusdem substituto, tradita sibi copia in eius officio, necnon Illustrissimo D.Galeatio poggio Inclyti Po. Ro. Curiæ Capitolij Senatori, ac magnificis dominis Horatio Marzario Vicentino, & Petro Francisco Gyptio Bononien. eius primo & secundo respectiue Collateralibus, tradita copia eidem illustrissimo Senatori, Curtio Saccoccio publico notario Romano tradita sibi copia,Laurentio Iacobino notario actuario in officio R.P. D. Pauli Alberi supradicti reuerendiss. D. Gubernatoris Notarij tradita sibi copia, ac D. Francisco Gratiano Curiæ Burgi S.Petri notario,& D.Lutio cathenæ eiusdem Curiæ notario actuario tradita sibi copia, & die decimaquarta eiusdem magnifico D.Antonio Scappo Bononien. eiusdem Curiæ Burgi iudici,Francisco Petruccio & Tarquinio Seuero Curiæ de Sabellis notariis, Simoni Mancino notario actuario in officio eiusdem D. Francisci tradita cuilibet ipsorum copia,D.Simoni Gugnetto Curię supradicti Reuerendissimi Vicarij notario, & Io. Baptistæ Zanto eius substituto dimissa eidem copia, necnon magnifico D.Bartholomeo Albertario Curiæ Ripet-

tæ iudici, & D.Martio Papachio eiusdem Curiæ notario actuario tradita sibi copia, & die decimaquinta eiusdem R.P.D. Pirrho Taro Curiæ Reuerendiss. Vicarij supradicti Vicegeren. & R. D. Mario Martio eiusdem Reuerendiss. Vicarij in ciuilibus locumtenenti tradita copia eidem R.P. D. Pirrho; Magnifico D. Curtio Victorio nobili Romano Magnæ Ripæ Camerario tradita sibi copia, magnifico D. Dominico Grattarola Curiæ de Sabellis iudici, necnon magnificis DD. Paulo Falconetto, & Marco Antonio Vbaldino nationis Florentinæ in Vrbe respectiue Consuli, & Consiliario, & D. Augustino Camello eorum notario, tradita sibi copia omnibus Romæ personaliter repertis, inhibendo eisdem singulariter iuxta earundem literarum formam per me Scipionem de Octauianis Apostolicum Curs.

Calistus Brunettus Magister Cursorum.

Eiusdem Constitutio contra extrahentes frumenta, legumina &c. extra statum ecclesiasticum, ac impedientes & aggrauantes illa ad Vrbem Romam afferentes.

GRegorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriam. Inter multiplices nobis ex alto commissi pastoralis officij curas, ad eam libenter intendimus, per quam in statu nostro ecclesiastico annonæ abundantia habeatur, & subditi nostri in rerum humano victui necessariarum copiosa affluentia læte viuant, neque illarum penuria opprimantur. Quod vt fiat, experientia rerum magistra docente, id maxime necessarium esse cognouimus, vt ne ipsa annona è statu nostro prædicto extrahatur, vtque ad almam vrbem nostram vndique libere afferatur, neque afferentibus vllum impedimentum præstetur, neque aliqui propriis commodis studentes, contra publicam vtilitatem de his rebus monopolia facere valeant, omni studio prouideamus. Idcirco nos pro nostri officij debito in præmissis opportune prouidere volentes, Motu proprio

proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, quod nulli nobis, & S.R. E. mediate, vel immediate subiecti cuiuscũque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, etiam si Barones, Domicelli, Comites, Marchiones, vel Duces, & Domini temporales, aut Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ vel etiã S.R.E. Cardinales extiterint, sub excommunicationis maioris, ac læsæ maiestatis crimínis, dominorum, & bonorum suorum confiscationis, feudorum amissionis, & quorumuis priuilegiorum suspensionis, & aliis etiam pecuniariis arbitrio nostro imponendis, & applicandis, ac etiam in publicis edictis, & proclamatibus per præfectos Annonæ pro tempore tam hactenus editis, & emissis, quam in futurum edendis, & emittendis, quæ nos ex nunc, prout ex tunc apostolica auctoritate approbamus, & confirmamus, contentis censuris, & pœnis, triticum, ordeum, legumina, ac omnis generis frumenta, & fruges etiam ex bonis ecclesiasticis collecta, à terris, & locis dicti status nostri ecclesiastici absque expressa nostra, & à nobis obtenta in scriptis, & manu nostra signata licentia, extrahere, vel extrahi facere, nullique ex prædictis eorum subditos, & vassallos, aut alias quascunque personas quominus triticum, ordeum, legumina, frumenta, & fruges præfata à quibusuis locis eis subiectis quouis prętextu, etiam molituræ, aut cuiusuis alterius oneris solutionis ad almam vrbem nostram afferant, prohibere, aut per se, vel alium seu alios directe, vel indirecte impedire audeant, quin potius illis sic afferentibus omnem opem, & fauorem præstent: Ac insuper nulli aliquam tritici, ordei, leguminum, omnisque generis frumentorum, & frugum quantitatem, nisi pro suo, suarumque familiarum vnius anni dumtaxat vsu emere valeant, & contrafacientes pœnas prædictas incurrisse declarentur, & aggrauentur ipso facto, statuimus, atque decernimus. Mandantes dilecto filio Aloysio tituli sancti Marci presbytero Cardinali Cornelio nuncupato nostro, & S. R. E. Came-

rario, ac dictæ Annonæ Præfectis, vt contra eos, qui statuto, & decreto nostro huiusmodi in aliquo contrauenerint, manu regia, & nulla tella iudiciaria seruata procedant, ac eos pœnas prædictas incurrisse declarent, aggrauent, reaggrauent, interdicant, & brachium sæculare in eos adhibeant. Non obstantibus cõstitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quibusuis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis, ac gratiis apostolicis eisdem personis, acciuiratibus, terris, & locis, ac quibusuis aliis per Cameram, aut per nos, & prædecessores nostros in genere, vel in specie etiam ex causa onerosa, ac sub quibuscunque tenoribus, & formis forsan concessis, confirmatis, & sæpius innouatis quibus omnibus etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat latissime derogamus, & ad effectum prædictum ad beneplacitum nostrum suspensa esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque. Et vt præmissa omnia ad notitiam omnium deducantur, ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus quod præsentes literæ per aliquos Curiæ nostræ Cursores ad basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ apostolicæ valuas, & in acie Campi Floræ affigantur, & cum inde amouebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa remaneant. Mandantes quoque Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, & aliis dictorum locorum Officialibus, quatenus præsentes publicent, & publicari faciant: Et quod earum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides adhibeatur, quæ adhiberetur

tur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die prima Maij millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Cæ. Glorierius.

Die duodecima Maij millesimo quingentesimo septuagesimo octauo præsentes literæ apostolicæ exhibitæ, & præsentatę in plena Camera apostolica instante magnifico D. Rodulpho Bonfiolo illius Commissario generali, & ex decreto in eadem Camera facto admissæ, & registratæ fuerunt libro tertio Signaturarum, Sãctissimi D.N. apud me infrascriptum dictæ Cameræ Notarium.

Tydeus de Marchis.

Anno à natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, indictione sexta, die vero septima mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ xiij. Anno eius Sexto, retroscriptæ literæ affixæ & publicatę fuerunt ad valuas basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem copiis affixis earum per me Petrum Aloysium Gaytam eiusdem Sanctissimi D.N. Papæ Curso.

Claudius Mongeat Magister Curs.

Eiusdem reseruatio beneficiorum in Ecclesia monasterij Sanctæ Crucis fontis Auellanen. Camaldulensis diœcesis vacantium, dispositioni Sedis apostolicæ.

GREGORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

VT apostolica sedes omnium parens, & alumna, confluentibus ad se quotidie viris scientia, & probitate insignibus pro cuiusque meritis commodius prospicere possit: æquum est ipsam ea, quæ ad il-

los pro solita benignitate sua iuuandos, ac promouẽdos accommodata sunt, & sine cuiusquam detrimento haberi possunt, tanquam ius sibi proprium libere retinere. Cum enim nos hodie Abbatiam secularem in Ecclesia monasterij sanctæ Crucis, Fontis Auellan. Camaldulen. ordinis, Eugubin. diœcesis certo tunc expresso modo vacantem Collegio Germanico pridem à nobis in Vrbe instituto perpetuo vniuerimus: Nos causis prædictis adducti de apostolicæ potestatis plenitudine omnes Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Dignitates, Personatus, administrationes, & officia, cęteraque beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, aliàs ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, institutionem, & quamcunque aliam dispositionem Abbatis pro tempore existentis dictæ Abbatiæ quomodocunque pertinentia, in quibuscunque ciuitatibus, diœc. & locis existentia, quibusuis modis, & ex quorumcunque personis vacantia, & deinceps vacaturæ, vbicunque, & quotiescunque, nostræ, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, & dictæ sedis libere dispositioni dumtaxat specialiter, & expresse in perpetuum reseruamus: Decernentes ex nunc irritum, & inane, quicquid secus super his per quoscunque etiam S. R. E. Cardinales, ac dictæ sedis legatos etiam de latere, etiam prætextu quarumcunque facultatum, concessionum, & aliarum reseruationum, & aliàs quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis etiam in corpore iuris clausis, ac etiã irritantibus, & aliis decretis munitis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, & mandamus, vt præsentes in Cancellaria apostolica publicentur, & in eius libro, Quinterno appellato, ad perpetuam rei memoriam describantur: & præterea ipsarum exemplis etiam impressis, Notarij publici manu, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę sigillo obsignatis, eadem prorsus fides vbique locorum in iudicio,

cio, & extra illud adhibeatur, quę adhiberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reseruationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, Nonis Septẽbris, Pontificatus nostri Anno septimo.

M. Dat. Cæ. Glorierius.

A. de Alexiis.

Lectæ & publicatæ fuerunt retrosciptę literę Romæ in Cancellaria apostolica Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo seputagesimo octauo. Die vero Veneris vltima mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi D. N. Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno Septimo.

Cla. Cicolinus Custos.

Eiusdem de electione, & extractione Syndicorum Senatoris, & iudicum Capitolinorum.

GRegorius Papa XIII. Motu proprio &c. Et si sũma ratione per Vrbis nostrę antiqua Statuta cautum fuisset, vt Syndici ad Senatorem, & Iudices alios capitolinos, eorumque familiam de gestis, & administratis per eos in eorum officio syndicandum, non antea eligerentur quam eorundem Senatoris, & Iudicum officium esset expletum, eo tamen res progressa est, vt non solum Syndici huiusmodi in initio officij cuiusque Senatoris per summos Rom. Pontifices electi fuerint, sed etiam cum nullum ab eisdem statutis dictis Syndicis salarium fuisset constitutum, & recte, quia iudicia pretio carere debent, certum sibi salarium per ipsos Romanos Pontifices statui, seu constitui, & assignari obtinuerunt, & salarium prædictũ

eis ab eodem Senatore solui debere extorserunt, & non modo pro eo anno quo Senatorem, & alios præfatos degestis per eos syndicabant, verum etiam si per plures annos ex Romani Pontificis indulgentia siue prorogatione officium Senatoris illius duraſſet, quãuis ipſi Syndici non niſi ſemel, & in vltimo anno ſyndicandi munere fungerentur, ſalaria huiuſmodi pro ſingulis præteritis annis ſibi ſolui faciebant, ſeu potius extorquebant, in graue reipublicæ detrimentum. Nos igitur attẽdentes prædicta, que non ſolum contra eorundem ſtatutorum laudabilem formam, ſed etiam contra bonos mores eſſe dignoſcuntur, noſtris temporibus indigna eſſe, Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine omnia, & ſingula prædicta vt pote ex praua conſuetudine, ſeu potius ex bonorum morum corruptela orta, de medio tollentes, omnes, & quaſcunque conceſſiones, ſeu electiones, & deputationes Syndicorum huiſmodi, ac Iudicis, & Notarij etiam per nos, & Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, etiam Motu proprio hactenus quibuſuis perſonis, & ad quodcunque tempus ſub quibuſcunque verborum formulis, & derogationibus, & cum irritan. aliis decretis, & clauſulis, & ex quacũque cauſa factas, earum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſerti forent, pro expreſſis, & inſertis habentes, reuocamus, caſſamus, & annullamus, & pro reuocatis, caſſis, irritis, & nullis de cætero haberi volumus, & mandamus, ac ab eiſdem Syndicis Iudice, & Notario omnem, & quamcunque auctoritatem facultatem, ſalarium, & emolumentum perinde ac ſi nunquam ad huiuſmodi officia electi aut deputati fuiſſent, penitus, & omnino auferimus. Necnon hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, quòd de cętero Syndici, Senatoris, Iudicum Capitolinorum, & familię eorundem, non antea de Buſſola (quę iuxta morem Buſſolę aliorum officialium Ro. Po. & eodem quo illa tempore fieri debeat) extrahatur, quam cum Senatoris

ris, aut iudicum prædictorum, ſeu alicuius eorum, cũ effectu vacauerint, & non amplius Iudex, & Syndici, ſicut hactenus fieri cõſueuit, ſed duo tantum Syndici quorum alter ſit legum Doctor, quique eorum munus abſque alio ſalario, ſed pure, & ſincere, vt viros bonos decet, implere debeant, in futurum eligantur, quibus Notarius vnus legalis, & fidelis ſimiliter ex Buſſola extrahendus inſeruiat, qui conſuetam tantum cęteris notariis Tribunalium Curiæ Capitolinę mercedem pro actis conficiendis ad iuris tribunal, & non vltra recipiat, & ſcripturas huiuſmodi ſyndicatus officio ſuo finito, in Archiuio Capitolino conſignare teneatur. Qui Syndici, ſi quid omnino, & Notarius, ſi vltra prædictam ipſi Notario præfinitam mercedem receperint, aut eorum aliquis reciperet, etiam ſi modicũ ſit, in corruptelam illis imputetur, & repetundarum pœna puniantur. Quod ſi forte ante vacationem officij Senatoris, & Iudicum præfati Syndici, & Notarius quoquomodo etiam per nos, & ſucceſſores noſtros fuerint electi, ſeu deputati, eorum electio, & deputatio ſubreptitia, & obreptitia ſit, & eſſe cenſeatur, ſententiaque ab eiſdem forte ferenda nullius ſit roboris vel momenti, nec per eam Senator, & Iudices quoquo modo à Syndicatu liberentur, aut liberati eſſe cenſeãtur, ſed alij omnino iuxta ſupraſcriptam formam eligantur. Decernentes præmiſſa omnia perpetuo obſeruari debere, & illa ſub quibuſuis generalibus derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, & per nos & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices etiam Motu proprio facien. nullatenus compræhenſa exiſtere, ſed ab eis omnino excepta, & quoties illas fieri contigerit, toties hæc inpriſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtituta, & de nouo conceſſa eſſe, & cenſeri, ſicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque etiam Romanæ Curiæ iudices, etiam ſanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinales, ac alios quoſuis iudicari &c. debere, ſublata &c. ac irritum &c. ſi ſecus fieri, vel attentari contigerit. Non obſtantibus præmiſſis, ac Vrbis, & Capito

Capitolij eiusdem statutis,& consuetudinibus etiam iuramento,& auctoritate apostolica roboratis,priuilegiisque indultis,& literis apostolicis etiam Motu proprio in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis,& emanatis,ac regula nostra de iure quęsito non tollendo, quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores pro plene, & sufficienter expressis habentes, hac vice ad effectum præsentium derogamus,& ad plenum derogatum esse volumus,cæterisque contrariis quibuscunque.

Placet,& ita volumus,& mandamus Motu proprio.V.

Eiusdem facultas concessa Iudicibus Capitolinis restituendi in integrum litigantes aduersus impedimentum sedis Vacantis Pij V.

GRegorius XIII.Motu proprio &c. Cupientes litium compendiis, litigatorumque dispendiis, quantum possumus,salubriter consulere, scientes per obitum fe. rec. Pij Quinti prædecessoris nostri Iustitium in Curia Capitolij à die obitus præfati Pij, vsque ad crastinum nostræ Coronationis, indictum fuisse,& durasse, propterea que de lapsu, & cursu instantiarum,& fatalium questiones, & dubia exoriri posse.Motu proprio &c.Committimus, & mãdamus Senatori,& Collateralibus, aliisque Iudicibus dictæ Curiæ tam ordinariis,quam delegatis,& subdelegatis,vt in causis coram eis pendentibus indecisis, partes ipsas ad prosequendum causas huiusmodi ad tãtundem temporis spatium, quantum suprascriptum durauit impedimentum,eorum arbitrio in integrum restituant,Non obstantibus præmissis,ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis,stilo Palatij, & Curiæ prædictæ,statutisque,& nouis reformationib⁹ Vrbis in contrarium quomodolibet disponen.quibus pro hac vice duntaxat, & ad huiusmodi effectum,& non alias derogamus &c.cæterisque contrariis non obstanti

obstantibus quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat & vbique fidem faciat in iudicio,& extra,& quod copiæ impressæ subscriptæ manu alterius ex dictæ Curię Collectoribus, in iudicio fides adhibeatur, Cancellariæ regula contraria non obstante.

Placet. V.

Eiusdem literæ exemptionis monialium à fratribus Eremitarum sancti Augustini Congregationu Lombardiæ, & subiectionis illarum ordinarijs locorum.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

PRo nostri apostolatus munere spirituali religiosorum ordinum otio maxime cõsulere debemus, illudque prouidere,vt ab ipsis tota alienorum negotiorum sollicitudine excussa,in sanctitatis feruore, & verę pietatis obsequio libere possit altissimo deseruiri:quod in ordine fratrum Eremitarum sancti Augustini de obseruantia nuncupatorum, congregationis Lombardiæ expetentes,ne fratres ipsi ob diuersa sanctimonialium monasteria regenda , à propriis obeundis muneribus cum animarum suarum,& ecclesiæ vniuersalis,cui semper studiosa numerosæ familiæ opera profuit,detrimento auocentur, neue vberrimi eorum prouentus periculosa modicæ erogationis huiusmodi pensitatione minuantur: De nobis tradita à Domino potestatis plenitudine omnia, & quęcunque monasteria, prioratus, domos,conuentus, & loca monialium & sororum dicti ordinis, etiam recens reformata,& restituta, vniuersasque,& singulas Abbatissas,& alias præsidentes, ac moniales, & sorores professas, nouitias, & conuersas dicti,& aliorum ordinum quorumcunque, necnon ecclesias, capellas, bona,& iura quecunque earum spiritualia,& temporalia ab omni superioritate, visitatione, correctione,

& quacun

& quacunque alia subiectione, dominio, & potestate vicarij generalis, ac prouincialium, & aliorum priorũ necnon fratrum, & aliorum ministrorum ordinis, & congregationis, prædictorum perpetuo eximimus, & liberamus, eaque omnia Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, vel Patriarchis suæ quodque ciuitatis, vel diœcesis, aut si nullius sint, vicinioribus, eorũque curæ, iurisdictioni, visitationi, & correctioni omnino subiicimus: quibus singulis in virtute sanctæ obedietiæ mandamus, vt hoc munus quamprimum suscipiãt omnique studio, & vigilantia in eo se exercere procurent. Vicario vero, & aliis Prioribus, cæterisque fratribus, & ministris, ac congregationi prędictis vniuersis & singulis præcipimus, atque interdicimus, ne post hac in vllo predictorum, vel etiam in ordinatione Confessariorum, aut alias sese interponere, vel mutua inter se colloquia protinus, vel per interpositas personas habere, aut, scripta mittere audeant. Decernentes irritum, & inane, quicquid secus contra præmissa per quoscunque scienter, vel ignorenter contigerit attentari. Et nihilominus, si quisquam contrafecerit, aut obedire neglexerit, eum excommunicationis sententia ipso facto innodamus, à qua nisi à Romano Pontifice (excepto mortis articulo) absolutionis beneficium nequeat obtinere. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum, domorum, & locorum ordinis, & cõgregationis prædictorum vtriusque sexus, iuramẽto, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, exemptionibus, & literis apostolicis, illis, necnon Prioribus, & aliis prædictis Patrib⁹ & aliis Abbatibus, Diffinitoribus, Monachis, & personis prædictis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem apostolicam etiam per modum generalis legis, & statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, seu quasi, & alias sub quibuscũque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clau

clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis quomodolibet, & quotiescunque concessis, confirmatis, ac sæpius innouatis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis, quibus omnibus, eorum tenores, ac si ad verbum insererentur præsentibus, pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si Prioribus, domibus, conuẽtibus, & cæteris prædictis, vel quibusuis aliis, communiter, vel diuisim ab apostolica sit sede indultũ, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari nõ possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressã, ac de verbo, ad verbum de indulto huiusmodi mẽtionem. Volumus insuper, vt præsentium exemplis, etiã impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si forent exibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, subiectionis, mandati, decreti, innodationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctũ Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, kal. Martij, Pontificatus noſtri Anno Octauo.

M. Datarius.

Cæ. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingẽteſimo octũageſimo, Indictiõe octaua, die vero decima quinta menſis Martij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno octauo, retroſcriptæ literæ apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas eccleſiæ Lateranen. nec non Principis Apoſtolorum de vrbe, Cancellariæ apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per nos Petrum Aloyſium Gaytam, & Nicolaum

colaum Talliettum eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Ant. Ludouicus magister Cursorum.

Eiusdem Litteræ, per quas confirmantur priuilegia Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani: præcipiturque Clericis secularibus eiusdem Hospitalis beneficia possidentibus, vt infra sex menses, à die quo eis indictum fuerit, habitum suscipere teneantur; alioquin beneficiis huiusmodi ipso iure priuati censeantur: ipsique à Seminarij clericorum in qualibet ciuitate erecti, seu erigendi, ac decimarum, subsidij & aliorum onerum contributione totaliter eximuntur.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

QVo magis, ac firmius hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ordini sanctæ Sedi Apostolicæ, & nobis acceptissimo, ac de christiano nomine, fideique Catholicæ defensione optime merito, illiusque magno Magistro, Præceptoribus, & Commendatariis hactenus per sedem Apostolicam concessa priuilegia præseruentur, paterno, quo eundem ordinem complectimur, affectu, æquum est prouidere. Dudum, siquidem felicis recordationis Pius Papa Quartus prædecessor noster, dum fauore eiusdem Hospitalis, & religionis priuilegia eidem antea concessa confirmauit, atque approbauit, vel etiã ampliauit, animaduertens piæ memoriæ Clementem Papam Septimum etiam prędecessorem nostrum statuisse, quòd omnes, & singuli Baiuliuarum, Prioratuum, Præceptoriarum domorum, & beneficiorum in vim collationum eis factarum possessores seculares, aut alterius ordinis regulares, seu pensiones super illorum fructibus, reditibus, & prouentibus huiusmodi, ea tenus etiam per Sedem eandem reseruatas, percipientes, illas, & illa infra sex menses à die intimationis dictarum literarum in manibus Magistri, & Conuentus prædictorum

ctorum iuxta formam stabilimentorum dictæ religionis dimittere, & transferre, seu illarum cassationi consentire tenerentur, alioquin beneficia, & pensiones huiusmodi, nisi illa possidentes, & illas percipientes infra dictum tempus habitum susciperent, & professionem regularem ipsius religionis emitterẽt, lapsis mensibus ipsis vacarent, ac cassæ, & extinctæ essent, & esse censerentur eo ipso. Ac deinde recolendę memoriæ Paulum Papam Tertium etiam prædecessorem nostrum, vt Magister, & singuli Priores, Baiuliui, Præceprores, Milites, & Fratres Hospitales huiusmodi pro eorum libito parochiales, ac etiam sine cura ecclesias, vel earum Vicarias, seu capellanias perpetuas; aut Capellas, vel Altaria, seu alia beneficia simplicia ad eorum collationem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem ratione Prioratuum, Baiuliuatuum, Præceptoriarum, etiam Camerarum Magistralium nuncupatarum, Hospitalium, Domorum, & aliorum beneficiorum dicti Hospitalis per eos pro tempore obtentorum, de iure, statuto, consuetudine, fundatione, aut priuilegio, vel aliàs quomodolibet spectantia, & pertinentia, ab ipsis Baiuliuis, Præceptoriis, Domibus, Hospitalibus, & aliis beneficiis dependen. seu illis annexa, quæ dudum forsan fratribus saltem Capellanis eiusdem Hospitalis, & ab eisdem Magistro, Prioribus, Baiuliuis, ac Præceptoribus, & aliis prædictis conferebantur, à longo tamen, & forsan longissimo tempore citra, de cuius initio memoria hominum forsan non existebat, per ipsos Magistrum, Priores, Baiuliuos, Præceptores, Milites, & Fratres per abusum, aut ex defectu huiusmodi Capellanorum, vel aliarum personarum eiusdem Hospitalis ad id idonearum, clericis, seu presbyteris secularibus collata, aut conferri, & per ipsos presbyteros, vel clericos seculares obtineri solita, etiam fratribus huiusmodi presertim Capellanis nuncupatis, qui, vt asseritur, à presbyteris, seu clericis, nisi quo ad gestationem Crucis, vel habitus dicti Hospitalis ad

pectus non differebant,immo priuilegiis clericorum secularium iuxta forsan eorum priuilegia,& consuetudines gaudere solebant, si ad id aliàs idonei, & habiles reperirentur,conferre, ac aliàs de illis prouidere, & disponere, ipsique fratres, quibus beneficia huiusmodi conferri contingeret, illa si sibi aliàs canonice conferrerentur,aut ipsi eligerentur,præsentarentur,vel aliàs assumerentur ad illa,& instituerentur in eis,recipere,& in titulum,etiam quoad viuerent,retinere respectiue libere,& licite valerent,statura.& ordinationes extendisse,& ampliauisse, eisque desuper indulsisse,idem Pius Quartus concessiones, & priuilegia dictorum prædecessorum confirmans, ipsos Magistrum,& Conuentum, necnon Priorem ecclesiæ, alioſque Priores,& Præceptores intra limites suarum rurisdictionum, & administrationum veros ordinarios iuxta formam suorum stabilimentorum, & priuilegiorum existere, & esse censeri decreuit, ac beneficia ecclesiastica ad præsentationem, seu collationem Baiuliuorum, Priorum, & Præceptorum Hospitalis huiusmodi suffragari debere, ita quòd presbyteri seculares illa tunc temporis in Commendam, seu aliàs quomodolibet obtinen. Commendæ huiusmodi cedere,aut illa aliàs dimittere non possent, nisi de consensu eorum,ad quos præsentatio,seu collatio spectaret, & in fauorem dicti Hospitalis, seu personarum, quæ habitum per fratres Capellanos eiusdem Hospitalis deferri solitum susciperent, & professionem per eos emitti solitam emitterent, nec illa deinceps ipsi nisi infra sex menses à die intimationis habitum ipsius religionis susscepissent,& regularem professionem infra alios sex menses emisissent, possidere possent,& si secus fieret,aut cessionem, seu resignationē huiusmodi,aut de dicti ordinis beneficiis, etiā in manibus suis in futurum fieri contingeret, huiusmodi cessiones,resignationes, & prouisiones nullius essent roboris, vel momenti, nisi in illis expresse diceretur, & de consensu Magni Magistri, & de illis iuxta formam

mam priuilegiorum dictæ religionis prouideretur, inter statuta etiam eiusdem religionis per similis memoriæ Paulum Papam Quartum similiter prædecessorem nostrum approbata,& confirmata, ita cautum reperitur, Priores in suis Cameris Prioralibus, Baiuliui, & Commendatarij in suis commendis habent prouisionem, vel præsentationem beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura animarum,vel sine à suis cōmendis dependen.nisi id priuilegio, vel consuetudine ad alios pertineat.Item Frater Claudius de la Sengle Magister statuit, vt omnia beneficia Ecclesiastica eiusdem ordinis,quorum collatio,aut præsentatio ad dictum ordinem pertinet,nullis conferrerentur, aut nulli ad ea præsentarentur, nisi essent Fratres ipsum ordinem expresse professi, & alias prout in eiusdem Pij Quarti prædecessoris præfati litteris, ac statutis, & stabilimentis, vel priuilegiis dicti hospitalis plenius continetur. Quæ omnia cum dispositione iuris communis maxime cōgruunt,tum auctoritati Sacrosancti Concilij Tridentini nituntur. Verum cum sicut accepimus,clerici seculares possessores cum cura, & sine cura beneficiorum eorundem ad collationem, prouisionem,præsentationem,electionem, seu quamuis aliam dispositionem Priorum,Baiuliuorum,Commendatariorum, & possessorum aliorum dictæ religionis bonorum iure eorundem Prioratuum, Baiuliuatum,Commendarum,& aliorum bonorum eiusdē religionis habitum susscipere, & professionem regularem prout in eadem religione consueuit emittere,negligant, ac recusent in statutorum eiusdem religionis contemptum,ac iuris Communis dispositioni, & Concilij præfati decretis,priuilegiisque ab hac sancta Sede Apostolica,vt præmittitur cōcessis,cōtraueniēdo,ac prætendant eiusdem Pij Quarti prædecessoris nostri mentis,& intentionis nō fuisse ad habitus susceptione, & professionis emissionem eos teneri, qui post ab eodem prædecessore obtentam priuilegiorū confirmationem, & ampliationem de eisdem,siue si-

milibus beneficiis concessiones fieri quomodocunque obtinuerunt, cum de illis, qui tunc temporis in Commendam, seu alias obtinerent, eundem Pium Quartum prædecessorem sub isto verbo ad præsens statuisse duntaxat prętendatur, allegantes quòd Cōmendæ, prouisiones, siue aliàs quomodocunque concessiones de similibus beneficiis eisdem factæ post datam eiusdem Pij Quarti prędecessoris literarum siue mentio fiat, siue reticeatur, beneficia esse dictę religionis, sunt loco absolutionis, ac derogationis tacitæ statutorum, & priuilegiorum eiusdem ordinis, ita vt ad suscipiendum illius habitum, ac professionem emittendam minime teneantur, cum susceptio habitus, & professio ab eis emittenda ex ipsarum literarū serie eis expresse iniunctę fuisse nō appareant, ex quibus eidem ordini, illiusque Magistro, Prioribus, Baiuliuis, & Commendatariis, maxima in dies exoriuntur incommoda, atque perturbationes, præsertim dum eorundem beneficiorum status ponitur in incerto. Quare Nos, vt par est, ex debito pastoralis officij omnium Christifidelium, præsertim vero eiusdem ordinis præfatarum regularium personarū pro Iesu Christi nomine, ac Catholicæ fidei tuitione ad interitum vsque iugiter laborantium commodis, & indemnitati, quantum in nobis est, prospicere cupientes, simulque de Communi eiusdem ordinis, ac religionis bono vehemēter soliciti, nequid ei indebite detrahatur, sacrorum Canonum, ac decretorum, eorundemque statutorum, & priuilegiorum auctoritati, & tenoribus innitentes, eademque priuilegia, statuta, & ordinationes, ac dictorum prædecessorum nostrorum literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, illaque omnia approbantes, & confirmantes, præsentisque nostri scripti patrocinio communientes, ac rata, & grata habentes, & ac quatenus opus sit, innouantes, & denouo concedentes, Motu prodrio, & ex certa nostra scientia auctoritate præsentiū declaramus, nunquam intentionis prædecessorum nostrorum, vel nostræ

nostræ fuisse in prouisionibus, siue Commendis, aut quibusuis aliis concessionibus beneficiorum ordinis, & religionis huiusmodi, siue illa curata, siue sine cura sint, per eosdem prædecessores nostros, vel per nos, & eandem sedem forsan etiam cum simplici derogatione priuilegiorum, & stabilimentorum religionis prędictæ, non tamen speciali, de non suscipiendo habitū, & non emittendo professionem mentione, seu per Magistrum, Conuentum, Priores, Baiuliuos, ac Commendatarios, vel alios quibuscunque personis cuiuscunque status, & dignitatis factis, & concessis tacite illos absoluendi; quominus iuxta eiusdem ordinis statuta, & priuilegia infra tempus prędixum habitum suscipere, & professionem per fratres eiusdem ordinis emitti solitam emittere debeant regularem, etiā si hoc explicite in eorundem prædecessorum, aut nostris litteris adiectū vel iniunctum his, ad quorum fauorem huiusmodi beneficia concessa extiterint, nequaquam fuerit; Ac quo nostra hæc intentio singulis apertius innotescat, statuimus, vt omnes, & singuli, qui vel per sedem præfatam, vel per nos, aut Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam cum simplici derogatione priuilegiorum, seu per Priores, Baiuliuos, & Commendatarios fuerunt de beneficiis huiusmodi prouisi, siue hi, quibus eadem commenda ta, aut quomodolibet concessa extiterunt, etiam si super his in Curia, vel extra aliqualis pendeat, ac de eisdem in posterum perpetuis futuris temporibus prouidebuntur, aut demum quibus eadem commendabuntur, vel concedentur, etiam per sedem Apostolicam, si post sex menses à die, quo id eis legitime indictum, atque denunciatum fuerit, illico numerādos, professionem non emiserint, & habitum non susceperint ordinis prædicti, absque alia desuper facienda declaratione, & citatione, omni, & quocunque iure in dictis beneficiis, vel ad illa competente careant eo ipso, ipsique tanquam illiciti detentores, & occupatores, & intrusi ab eisdem amoueantur, deque illis tan-

quam de iure, atque de facto vacantibus, Magistrum, ac Conuentum, Priores, Baiuliuos, & Commendatarios, & alios, ad quos spectat, libere prouidere, ac de illis iuxta Magistri, & Religionis præfatę stabilimenta, & consuetudines exequi posse, eorundemque possessores ab eorundem beneficiorum possessione, vel potius detentione, & occupatione amouendos esse, prout nos in dictum casum, & euentum amouemus, ac regulis de annali, & triennali possessore, & aliis priuilegiis, remediisque quibuscunque etiam in corpore iuris clausis, quibus diutini beneficiorum possessores vtuntur, potiuntur, & gaudent, vti, potiri, & gaudere nō posse, quauis etiam longissimi temporis præscriptione minime obstante, verum eosdem pro amotis, & expulsis habendos esse, & censeri, amotisque, & expulsis actionem spolij nec vnde vi, vel aliud quodvis remedium possessorium, siue petitorium competere, seu desuper proptera agere non valere: & quo facilius, si qui ad præsens reperiuntur quomodolibet prouisi de beneficiis à Prioratibus, Baiulatibus, & Commendis huiusmodi dependentibus, seu ad illorum collationem, prouisionem, præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem spectantibus, etiam habitum dictæ Religionis non susceperunt, ad habitus ipsius susceptionem, & professionis emissionem inducantur, eisdem Prioribus, Baiuliuis, & Commendatariis licentiam, & facultatem concedimus, ipsis condonandi, & relaxandi eorum spolia, quæ ad dictos Priores, Baiuliuos, & Commendatarios spectant, ita vt de illis disponere possint tam in vita, quam in mortis articulo condonationemque, ac relaxationem huiusmodi eiusdem roboris, ac momenti esse, ac si ab eadem sede emanassent. Necnō felicis recordationis Pij Papę Quinti etiā prędecessoris nostri literis inhęrentes, illasque approbantes, & confirmantes, omnes, & singulas personas in dicti ordinis beneficiis quomodolibet existentes, à seminarij clericorum in qualibet Ciuitate iuxta dicti Concilij decreta erecti, seu eri

erigendi, ac decimarum subsidij, & aliorum onerum contributione totaliter eximimus, & liberamus, ac liberos, & exemptos esse volumus: Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac dicti ordinis apud nos, dictamque sedem Protectores, & alios sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca dilectis filiis in Regnis Hispaniarum, & Neapolitani nostris, & sedis Apostolicæ pro tempore existentibus Nuntiis, aut Curiæ causarum Cameræ apostolicæ generali Auditori, & quibuscunque Conseruatoribus per eosdem Magistrum, Baiuliuos, Priores, & Commendatarios iuxta formam priuilegiorum ordinis prædicti in dignitate Ecclesiastica constitutis electis, & eligendis, per præsentes, Motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri, & Conuentus, siue Priorum, Baiuliuorum, Prięceptorum, & Commendatariorum præfatorum, & aliarum personarum, & possessorum præfatorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciāt auctoritate nostra eos præmissis omnibus, & singulis iuxta præsentium continentiam, & tenorem pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, ac rebelles, & præmissis non parentes pro opportuna iuris, & facti remedia ac demum per sentias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij seculasis. Non obstantibus Commendis, &

prouisionibus, aliisque dispositionibus, vel concessionibus, quibuscunque verborum formulis illa concessa fuerint, ac felicis recordationis Bonifacij Papæ octaui prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus diætis, dummodo non vltra tres aliquis auctoritate præsentium ad iudicium trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Decernentes præsentibus, & in eis contentis omnibus per quasuis literarum concessiones, prouisiones, & alias quaslibet dispositiones, aliter quàm vt præmittitur per nos, vel eandem sedem factas, vel forte quomodolibet faciendas, aut concedẽdas, etiam Motu proprio, & ex certa scientia derogari non posse, nec derogatum censeri, cuiuscunque tenoris, & formæ emanauerint, & cum quibuscunque decretis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, fortioribus, & insolitis, etiam si causas quascũque legitimas, & fauorabiles continerent, quinimo per præsentes illis omnibus expresse derogamus, earum tenores pro sufficienter expressis habentes præsentibus semper in suo robore permansuris, nisi harum tenor de verbo ad verbum in illis esset insertus, & Magistri, & Conuentus consensus accederet. Volumus autem quòd præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xxiij. Martij. M.D.LXXX. Pontificatus Nostri Anno Octauo.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem

Eiusdem constitutio de homicidis, grassatoribus, & alijs crimine capitali bannitis, vel diffamatis, & de receptoribus eorum, impedientibusque iustitiæ ministros &c.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

TAnta, tamque horrenda quotidie succrescunt sanguinariorum, & sceleratorum hominum maleficia, vt nobis, qui subditos nostros charitatis potius vinculo, quam seueritate pœnarum in officio cõtineri semper optauimus, tãdem necesse sit, ad ipsos procul à societate humana submouendos, noua remedia adhibere, ac simul cogitare quomodo illos confouendi facultas tolli ab iis possit, sine quorum auxilio impurissimi illi pleraque omnia delicta neque perficere, neque pœnas effugere possent.

Quę fœl. rec. Pius II. Paulus itẽ II. Sixtus v. Iulius II. Leo X. Clemẽs V II. Pius IIII. Pius V. & diuersi alij Romani Põtifices prædecessores nostri suo quisq; tempore, prout necessitas tulit, bene, & prouidenter respicientes, constitutiones suas in exitiale hoc genus pro temporis, & criminum ratione ediderunt, quas nos cum suis censuris, & pœnis omnibus, ac si ad verbum insererentur præsentibus, haberi volumus pro expressis, ex certa scientia nostra innouantes, ita vt illæ omnes præsentibus, & vicissim præsentes illis vniuersis, & singulis ad omnes earum omnium casus, & partes subsidio sint.

Hoc edicto perpetuo de fratrum nostrorum consilio statuimus, vt quicunque, etiam ecclesiastica, quacunque, & dignitate præditus, siue Dux, aut Comes, Marchio, Vicarius, Feudatarius, Gubernator, siue alius cuiusuis conditionis, & ordinis, huius status, & ditionis, nostræ temporalis S.R.E. in eisdem temporalibus mediate, vel immediate subiectus, etiam dominia, iurisdictiones, & loca statum prædictum ob-i-

nens, ac etiam quicunque extraneus bona in eodem statu habens homicidas, latrones, grassatores, & alios quocunque crimine capitali bannitos, vel diffamatos, in suis quisque dominiis, locis, seu domibus, tam in ipso statu, quam extra eum consistentibus receptauerit, seu quod huiusmodi locis receptentur, permiserit quoquo modo.

Ac etiam quicunque, ne ij capiantur, impediuerit, captosque eripuerit, vel occultauerit, potestatemue euadendi fecerit, vel carcerem, aut aliam quamcunq; custodiam fregerit, conatusue fuerit, siue ad hoc homines, arma, aliaue ministrauerit, siue alias auxilium, consilium, vel fauorem palam, vel in occulto, ac quocunque modo præstiterit.

Præterea quicunque iudices, ministros, executores iustitiæ in perquisitione, captura, seu abductione, ac omnino in libera eorum officij executione impediuerit, verberauerit, insecutus fuerit, concusserit, perterrefecerit, ad arma conclamauerit, aliosue concitauerit, seu mandauerit, eum præsentium auctoritate excommunicationis maioris sententia innodamus, à qua solus Romanus Pontifex absoluere possit, nisi in mortis articulo, & satisfactione debita præcedente.

Ac præterea ipsum læsæ maiestatis reum, & S.R.E. rebellem pronunciamus. Necnon ducatu, comitatu, marchionatu, terris, oppidis, dominiis, vicariatibus, gubernis, feudis, & aliis, quæ à Romana, & quibuscũquealiis ecclesiis obtinet, ac obtinebit in futurum, cæterisque omnibus bonis immobilibus, mobilibus, & se mouentibus rebus, & iuribus suis, necnon omni, & quacunque, etiam ecclesiastica dignitate, gratia, exemptione reali, & personali, honore, priuilegio, beneficio ecclesiastico, & temporali priuamus eo ipso.

Ac ipsum, & eius filios indignos decernimus, ad illa, & alia in posterum obtinenda, & ad quoscunque actus legitimos exercendos, quibus etiam portæ nun

nunquam pateant vllius dignitatis ecclesiasticæ, vel mundanæ.

Sintque vasalli, custodes, populi à fidelitatis iuramento, & quocunque alio iure absoluti.

Omnia eius ædificia disiiciantur, aut aliis Cameræ Apostolicæ iuribus adscribantur.

Ducatus vero, ac dominia, vicariatus, gubernia, feuda, cæteraque bona, & iura prædicta, eorumque fructus, & emolumenta, aliis Fisci nostri iuribus perpetuo aplicamus. Et ita Cameræ Apostolicæ eo ipso absque declaratione super incursu pœnæ priuationis huiusmodi aut citatione eius, vel eorum, qui pœnam incurrerint, facienda, aut iudicis sententia, vel decreto, vel alia iuris, & facti solemnitate habenda, perpetuo applicata, appropriata, & incorporata, ad nostrã, Romanique Pontificis pro tempore existentis liberã dispositionem pertinere volumus, ac si per lapsum temporis concessionis eorum, aut finitam lineam ad ipsam reuertissent.

Nec quisquam exemptionis, vel vetusti priuilegij de recipiendis, & non consignandis huiusmodi facinorosis, & bannitis, aut alio quocunque prætextu iuuari possit.

Declarantes ducatus, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, aliaque prædicta sub constitutione dicti Pij V. prædecessoris super huiusmodi dominis, & iurisdictionibus in feudum, aut alias non concedendis edita minime comprehendi.

Communitates vero necnon vniuersitates omniũ ciuitatum, terrarum, & locorum status prædicti cum primum de accessu statione, vel transitu bannitorum, & aliorum prædictorum notitiam habuerint, si statim populos suos armatos pulsu campanarum, & aliis signis non conuocauerint, illosque non ceperint, & tute custodierint, vel si illos capere non potuerint, finitimas quasque communitates, & vniuersitates, aut dominos non commonefecerint, vel si ipsi, aut eorũ aliqui illos receptauerint, vel cibis, commeatu, auxilio

lio, consilio, vel fauore, aut quocunque alio modo, etiam vt euadant, per se, vel alios iuuerint, censuris, & pœnis omnibus supradictis supponimus, earūq; etiã res, & bona omnia, necnon fructus, & emolumenta Fisco prædicto modo, & forma præmissis applicamus eo ipso.

Et nihilominus dilecto filio Camerario nostro, cæterisque omnibus singularum litterarum prædictarum executoribus, Et præterea Gubernatori Vrbis, ac causarum Curiæ Camerę prædictæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, vt quisque pro se ad omnimodam illarum, & præsentium nostrarum, ac censurarum, & pœnarum omnium in eis contenta rum executionem omnino procedentes, faciant illas omnes, & in eis contenta quæcunque, semper, & vbique per omnia loca prædicta, & ab omnibus sub illis comprehensis iuxta singularum literarum earundem continentiam, & tenorem inuiolabiliter obseruari.

Non obstantibus præmissis, ac omnibus, quæ in singulis litteris prædictis concessum est non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Vt autem præsentes litteræ omnibus amplius innotescant, & ne quisquam illarum ignorationem excusare possit, iubemus illas valuis Ecclesię Sancti Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ de more appendi, eisque detractis ipsarum exempla etiam impressa eisdē in locis affixa relinqui, factaque huiusmodi publicatione, volumus ipsas præsentes hic in Vrbe publicatas die sequenti, extra vero eam post decem dies quoscunque perinde arctare, atque afficere, & contrafacientes pœnas, & alia supradicta omnino incurrere, ac si eis singulis præsentibus in propriis eorum personis, & locis intimatæ fuissent.

Insuper earundem prę sentium exemplа etiam impressa Notarij publici manu, & Camerarij prædicti, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo obsignata eandem prorsus fidem vbique locorum

locorum in iudiciis, & extra illa facere, quæ ipsæmet facerent, si exhiberentur, vel ostenderentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam nostrorum statuti, innodationis, pronunciationis, priuationis, decreti, applicationis, declarationis, suppositionis, mandati, iussionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicę Millesimo quingentesimo octuagesimo, Quinto Idus Iulij, Pontificatus nostri Anno Nono.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



† Io. Card. Moronus Episcopus Ostien.

† Ego Iac. Car. Sabel. Episcopus Tusc.

† Ego Io. Antonius Card. S. Georgij Eps Prænestin.

† Ego

† Ego Aloysius Card. Cornelius.

† M.S. Card. de Altaemps.
† A. Card. Gesualdus.

† Ego In. Aualus Card. de Arag.
† Ego Prol. Card. Comensis.
† Ego P. Card. Sanctacrucius.
† Zach. Card. Delphinus.
† Io. Fr. Card. Commendonus.
† A. Card. Sfortia.
† Fla. Card. Vrsinus.

† Gul. Sirl. Card.
† Fr. Michael B. Card. Alex.
† Lud. Card. Madrucius.
† Marcus Ant. Card. Maffeus.
† N. Card. de Pelleue.
† Iulius Ant. Sanctorius Card. Sanctæ Seuerinæ.
† C. Card. Rambouilettus.
† Fr. Felix Card. de Montealto.
† Vincentius Card. Iustinianus.
† Hieron. Card. Rusticutius.
† Io. Hieronym. Car. Albanus.
† Ego Ph. Boncomp. Card. Sancti Sixti.

† P. Card. de Deza.

† Ego Fer. Card. de Medicis.
† Ego Antonius Card. Carafa.
† Ego Phil. Card. Vastauillanus.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo, Indictione octaua, die vero decimaseptima Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, domini Gregorij diuina prouiden

uidentia Papæ xiij. Anno Nono, Retroscriptæ literæ apostolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt ad valuas Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earum exemplis impressis, affixis per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Tagliettum Cursores Apostolicos.

Iulius Fontana Magister Cursorum.

Eiusdem Decretum De nullitate omnium dispositionum beneficialium, quæ fiunt personis prohibitis, propter genus, seu hæresim, aut à fide apostasiam, contra sanctiones, statuta, vel priuilegia.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

IN ecclesiis præsertim insignibus, hoc magnopere curandum est, vt Sacerdotes, & personæ salubribus earum institutis conuenientes ordinentur, quod, quantū in nobis est, enitimur, atque eos ab illis repellēdos in primis contendimus, qui propter genus, aut hæresim, & à fide apostasiam, siue proprio, siue stirpis, siue cognatorum vitio contaminati, per canonicas sanctiões, aut statuta ab hac sede firmata, aut apostolica priuilegia prædictis ecclesiis prohibentur. Sed nobis negotiorum magnitudine distantis, huius generis nonnulli ad illarum sacerdotia frequenter obrepunt inter quos quidam existimationis suæ prodigi, etsi se ab illis expulsum iri sciant, spe tamen inconcessa præsumunt, se inde vel permutatione, vel quoquo pacto beneficium, pensionem, aut quid aliud exacturos. Nos malum hoc, quo dictæ ecclesiæ sæpius dinexātur, penitus euellere volentes præsentium auctoritate decernimus, omnes, & quascunque apostolicas, necnon legatorum dictæ sedis, & aliorum omnium eb ea facultatem disponendi habentium, ac etiam ordinarias dispositiones dignitatum, præbendarum

darum, beneficiorum, & officiorum eiusmodi ecclesiarum in quascunque personas sic infectas, & per huiusmodi sanctiones, seu statuta, vel priuilegia, vt præfertur, inhabiles vires, & effectum non habere, personasque huiusmodi illarum prorsus vsu & commodo carere, beneficiaque ipsa vt prius vacare, & quę ex illis tempore dispositionis apostolicæ prædictis personis, illi reseruata fuerint, vel effecta, sub eadem reseruatione, vel affectione manere, & tam illa quam etiam omnia alia non reseruata, neque affecta, de quibus ab ipsa sede, ac legatis, & aliis facultatem habentibus prædictis in huiusmodi personas quomodocunque dispositum fuerit, ad nouam, Romani Pontificis dispositionem dumtaxat pertinere, eaque ab aliis idoneis ab ipsa sede duntaxat, libere impetrari posse, impetrationes tamen, ac etiam motu proprio concessiones, nisi modus vacationis, necnon casus, ac decretum huiusmodi, non conditionaliter, aut per æquipollens, sed definitè, nominatim, ac dispositiue in illis exprimantur, omnino non valere. Ab ordinariis vero, (cessantibus reseruationibus, vel affectionibus apostolicis) pro tempore collata, deuolutioni, iuxta Lateranensis statuta concilij subiacere, necnon irritum, & inane quicquid secus per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Reseruationibus apostolicis fructuum, pensionum, & aliarum rerũ huiusmodi beneficiorum, in personas idoneas etiam de huiusmodi contaminatorum consensu factis, eisdemque ab illis interim prestitis, vel solutis nihilominus valituris. Nemo autem ignorationem pretexens, valeat excusari, cum prædictæ prohibitiones satis manifestæ sint, & quisque ante petitionem, vel acceptationem beneficiorum huiusmodi num illorum capax sit, debeat se probare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotẽtis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se

se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum Anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo. Id. Nouembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

M. Datarius.

Cæ. Glorierius.

A. de Alexiis.

Anno à natiuitate Domini millesimo, quingentesimo octuagesimo, indictione octaua, die decima octaua mensis Nouembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia papæ XIII. anno nono, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valuis ecclesiæ S. Ioannis Lateranensis, basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ apostolicæ, & in aciæ Campi floræ, per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Tagliettum, apostolicos Cursores.

Alexander Parabiacus Magister Cursorum.

Eiusdem Reductio Quarundam literarum Pij V. pro Militibus S. Ioannis Hierosolymitani ad terminos Decretorum Concilij Tridentini.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

CIrconspecta in omnibus actibus suis Romani Pontificis prouidentia, interdum ea, quæ certis etiam rationibus, tunc suadentibus causis à sede Apostolica emanata reperiuntur, alia superueniente ratione, qua Presertim populorum offensioni occurritur, & Episcoporum iurisdictioni rite consulitur, reducere, ac suam declarationem interponere consueuit, & aliàs desuper disponit, pro vt temporum, rerum, & personarum qualitate pensata, perspicit in Domino, salubriter expedire. Cum itaque compertum sit, quãplurimos clericos seculares, necnon laicos gratiis, &

priuilegiis, quibus sedes Apostolica dilectos filios Magistrum, Conuentuum, & Milites hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani de Republica Christiana optime semper meritos, ac eorum ecclesias, & loca liberaliter prosequuta est, abutētes, vnde sibi religiosius viuendi legem imponere deberent, inde laxioris vitæ occasionem arripere, dum varios, sæpe etiam vanos exemptionis, libertatisque titulos prætexunt, alij quidem quòd pro vicarijs, capellanis, ministris, & inseruientibus ecclesiis, dicti hospitalis quomodolibet ascripti sint, alij vero quòd coloni, procuratores, & familiares ipsorum militum existant, quamuis in propriis domibus licenter degant: nihilominus ex prædictorum militum priuilegiis, illorumque confirmatione etiam post Concilium Tridentinum à fe. re. Pio Papa Quinto prædecessore nostro obtenta prætendant se ab omni iurisdictione ordinariorum exēptos esse, nec ab illis inquiri, visitari, puniri, aut corrigi posse, eoque ipso delictorum suorum sibi impunitate promissa, grauem in populo offensionem præbere, & in Episcoporum iurisdictione perturbationem in dies maiorem excitare dignoscantur. Id circo nos huic malo, quod à prædicto Consilio multò ante præuisū fuerat, salubriter prouidere volentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra voluntate, ac deliberatione, & certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula priuilegia, exēptiones, gratias, & indulta Magistro, Conuentui, Militibus & militiæ dicti hospitalis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & sedem prædictā in genere, vel in specie quomodoliber concessa, & confirmata, necnon dicti Pij Quinti literas super eorundem confirmatione emanatas sub Dat. Romæ apud Sanctū Petrū sub annulo Piscatoris die XXIX. Nouembris M. D. LXIII. Pontificatus sui anno Tertio, ad prædicti Concilij decretorum terminos tenore præsentiū reducimus, ac reducta esse nihilque ex ipsis

ipsis priuilegiis, exemptionibus, gratiis, & indultis Ordinariis locorum detractum esse, quo minus ipsorum militum vicarij, capellani, ministri, seruientes, ascripti coloni, procuratores, & familiares militum huiusmodi, quibus ea iam concessa sunt, & in posterū concedi contigerit, ab ipsis Ordinariis tanquam apostolicæ sedis delegatis de eorum excessibus, criminibus, & delictis etiam extra visitationem, quando, & quoties opus fuerit, inquiri, visitari, puniri & corrigi possint, ipsorumque Ordinariorum iurisdictioni plenè in prædictis subiecti existant. Exceptis tamen ijs, qui in ecclesiis, aliisque locis dictorū militū actu seruiunt, & intra eorum septa, & domos residentiæ sub eorum obedientia viuunt, quæ omnia debere simul concurrere intelligantur, siue iis, qui legitimè, & secundum regulam prædictæ religionis professionem fecerint, de qua loci Ordinario constare debeat. Et ita præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quauis causa, & instantia iudicari, & diffiniri debere, præsentesq; literas de surreptionis, vel obreptionis vitio, seu intētionis nostræ defectu notari, vel impugnari nō posse, sed illas semper validas, & efficaces esse, nec per Magistrum, Conuentum, & milites prædictos quorumcunque priuilegiorum, statutorum, consuetudine, & stili prætextu vllatenus infringi, vel contra illas, & in eis contenta veniri non posse, neque debere, irritū quoq;, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter cōtigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac dicti hospitalis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimētis, vsibus,

& naturis, necnon declarationibus, sententiis, iuramẽtis, concordiis, priuilegiis quoque, indultis & literis apostolicis Magistro, & Conuentui, ac Militibus prædictis, & eorum vicariis, capellanis, colonis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet ipsorum Militum intuitu, vel contemplatione per quoscunque Romanos Pontifices, & sedem prædictam quomodo libet concessis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruãda foret illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes ad effectum præsentium duntaxat specialiter, & expresse motu simili derogamus, cæteriscq; contrariis quibuscunque. Eisdem Pij Papæ V. literis memoratis quo ad alia, & in eo maximo, quòd voluit prædictorum militum priuilegia, illorumque confirmationẽ non comprehendere, neque ecclesias neque personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, sed in his dicti Concilij Tridentini decreta omnino seruari debere, in suo robore permanẽtibus. Volum⁹ autem, quòd præsentium transumptis etiã impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem vbique fides tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quę eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XXV. Nouembris M. D. LXXX. Pontificatus nostri Anno Nono.

Cæ. Glorierius.

Eiusdem

Eiusdem Constitutio Super nouo statu fratrum Reformatorũ siue Recollectorum ordinis Minorum Sancti Francisci in Regnis Aragoniæ, Valẽtiæ, & Principatu Cathaloniã, ac de vna prouincia in eis erectã.

Gregorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriam.

EX quo nos Deus ad regendam ecclesiam suam constituit, pastoralis officij cura nos semper excitauit, & quotidie excitat, vt regularis obseruantiæ professores, qui se totos Dei obsequio manciparunt, adiuuemus, & nihil, quod eorum sanctum piè in Christo viuendi institutũ retardet, prætermittamus. Licet equidem arbitremur satis nos quieti, & statui tranquillitati dilectorum filiorum professorum ordinis fratrum minorum Sancti Francisci de Obseruãtia Reformatorum nuncupatorum super modo viuẽdi eorundem professorum Reformatorũm cum declaratione, ampliationẽ, & confirmatione aliarum literarum fe. re. Clementis Papæ VII. prædecessoris nostri per alias nostras in forma breuis die tertia Iunij. M. D. LXXIX. Pontificatus Nostri Anno Octauo, confectas literas iam prouidisse, nihilominus nuper nonnulli præfatorum fratrum Reformatorum, recollectorum nuncupatorum, Prouinciæ Cathaloniæ, ad nos recursum habuerunt, ac conquesti sunt adhuc impedimenta quædam, ac molestias sibi aliquas per fratres minores de obseruantiã eiusdem Prouinciæ inferri, quibus fit, vt secundum eorum laudabile, & pium institutum, tranquillam, & quietam vitam minime traducere possint, etiam contra dictarum nostrarum literarum seriem, ac tenorem. Quare pro parte eorundem fratrum Reformatorum dictæ Prouinciæ nobis fuit humiliter supplicatum, vt illis de sufficiẽti, & opportuno remedio benigne prouidere dignaremur, Nos præfatorum fratrum Reformatorum trãs-

quillitati,& quieti,eorumque propagationi, & profectui consulere cupiētes,huiusmodi supplicationibus inclinati, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sāctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super visitatione apostolica,consultatione Episcoporum,& regularium reformatione deputatorum, quibus hoc negotium examinandum mandauimus, omnia, & singula Monasteria,domos, & loca eorundem fratrum Reformatorum,seu Recollectorum dictæ Prouinciæ Cathaloniæ,necnon Prouinciarum Aragoniæ,& Valentiæ nunc,& pro tempore existentia,seu hactenus recepta, erecta, instituta, ac in posterum in eisdem tribus Prouinciis recipienda,erigenda,& instituenda ab eisdem tribus Prouinciis aliorum fratrum eiusdē ordinis minorum de obseruantia nuncupatorum penitus,& omnino in perpetuum, apostolica auctoritate tenore præsentium separamus,seiungimus, & dismembramus, ac fratres reformatos earundem trium Prouinciarum ab omni iurisdictione,visitatione,correctione,& superioritate Ministrorum Prouincialiū, & aliorum Prælatorum, & superiorum fratrum dictarum Prouinciarum non Reformatorum, seu non recollectorum perpetuo eximimus, & liberamus. Verū eorundem fratrum Reformatorum, seu Recollectorum monasteria,domos, & loca quæcunq; in Regnis Aragoniæ,& Valentiæ, ac Principatu Cathalonię hactenus habita,seu recepta,erecta, & instituta atq; in posterū habenda,& recipienda,erigenda, & instituenda in vnā Prouinciam à prędictis aliis Prouinciis penitus distinctam eiusdem ordinis minorum fratrū Reformatorum de obseruantia nuncupandam, per vnū Ministrum Prouincialem in capitulo dictę Prouincię ex eisdem Reformatis eligendum, regendam, & gubernandam, apostolica authoritate tenore præsentiū in perpetuum erigimus & instituimus,ita vt Prouincia fratrum Reformatorum huiusmodi sic erecta,& instituta sub obedientia,& superioritate Ministri generalis totius ordinis prædicti, ac illius Commissarij gene-

generalis in partibus vltra montanis existentis,sicut aliæ Prouinciæ eiusdem ordinis ei subsunt, perpetuo subsit,atque subiecta remaneat,ipseque Minister, vel Commissarius generalis per ipsum, vel alium virum idoneum eiusdem,vel alterius Prouinciæ, aut custodiæ Reformatorum, vel discalceatorum, qui per septem saltem annos in eadem Reformatorū, aut Discalceatorum obseruantia extiterit, iuxta eorum regulam,& institutа regularia ab ipsis fratribus Reformatis obseruari solita,eos tam in capite quam in membris visitare,corrigere, & reformare, ac etiam punire possit,intra monasteria tamen eorundem fratrum Reformatorum, Ac dictus Minister, seu Commissarius Generalis nequaquam possit,aut debeat quouis prætextu aliquibus statutis eosdem Reformatos molestare, aut perturbare,vel etiam ipsius Ministri Prouincialis,vel alterius Prælati ipsorum fratrum Reformatorum potestatem,& facultatē,vel gratias, concessiones,& immunitates eisdem fratribus Reformatis cōcessas,seu illorum statuta quouis prętextu,aut quęsito colore directe,vel indirecte arctare,annullare, suspendere,alterare,immutare,impedire, contrafacere, aut inquietare, nec etiam eosdem Reformatos, aut eorum aliquem extra dictam eorum Prouinciam,nisi pro aliarum Prouinciarum, aut Custodiarum visitatione,reformatione,vel correctione amouere,assignare,extrahere,aut transferre, nec illos ad quascunque alias Prouincias mittere,aut retinere,nisi aliter in eorum capitulo Prouinciali fuerit ordinatum, & multo minus ad ipsorum Reformatorum loca non reformatos,etiam Nouitios, vel monialium confessores, aut alios quoscunque à Reformatis non receptos mittere,aut in eisdem collocare,vel retinere, nisi de eorum consensu,nec etiam Reformati ipsi aliquem præfatorum non reformandum recipere, vel ad conuiuendū, siue de familia in eorum locis admittere vllo modo cogi possint.Pro necessariis autem negotiis suæ Prouinciæ possit Prouincialis Minister Reformatorum

huiusmodi ad sedem apostolicam vel ad totius ordinis Protectorem recurrere, vel mittere. Porro statuimus, & ordinamus, vt capitulum Prouinciale secundum ordinis constitutiones in propriis Prouinciæ locis per reformatos fiat, quando, & vbi iuxta easdem ordinis constitutiones fuerit ordinatum. Huiusmodi autem capitulo Prouinciali Minister, aut Commissarius Generalis præfatus hic si voluerit, per se ipsum præsidere possit. Si vero per alium, tunc no nisi per aliquem fratrem eiusdem, vel alterius Prouinciæ, vel custodiæ Reformatorum, aut Discalceatorum, qui præditus sit eisdem qualitatibus, quibus Visitator ad eos, vt supra mittendus, præsidere posthac valeat. Electione prouincialis Ministri per Reformatos in eorum capitulo Prouinciali canonice facta, idē Prouincialis Minister sic electus officium suū exercere possit absque alia confirmatione, quam tamē à Ministro vel Commissario generali mox petere, idem vero Minister vel Commissarius generalis, nisi iusta, & rationabilis causa subsit, concedere teneatur. Prædictus vero nunc, & pro tempore existens Minister Prouincialis Reformatorum eandem potestatem habeat in suam Prouinciam, & fratres, quam alij dicti ordinis Ministri Prouinciales in suas prouincias & fratres habent, tam vigore regulæ quam priuilegiorum, & indultorum per Romanos Pontifices prædecessores nostros concessorum, quæ tamen obseruantię huiusmodi strictiori non repugnent, præsertim vero ipsos fratres Reformatos, illorumque domos, Monasteria, & loca quæcunque, illorumque personas visitandi, reformandi, corrigendi, puniendi, & castigandi, iuxta ordinis instituta, ac capitulum Prouinciale suis loco, & tempore indicendi, conuocandi, & celebrandi, ac Custodes, Guardianos, & quoscunque officiales necessarios vna cum eiusdem capituli diffinitoribus, & vocalibus eligendi, necnon quæcunque statuta, & ordinationes bonum regimen dictæ prouinciæ, ac Dei seruitium concernentia in eorum capitulo edendi, editaque

que corrigendi, mutandi, & in totum, si videbitur, abrogandi, ac de nouo edendi, dummodo sacris canonibus & decretis sacris generalis Tridentini concilij, ac constitutionibus apostolicis, ec eorum reformationi, atque obseruantiæ non aduersentur, necnon abusus quoscunque tollendi, & emendandi, Monasteria, & domos in quibuscunq; locis dicti principatus Cathaloniæ, & regnorum Aragoniæ, & Valentinæ, cuiusuis licentia desuper minime requisita, de concēsu dicti eorum capituli, ac obtenta licentia ordinarij loci, & alias iuxta decretum eiusdem Concilij Tridentini erigendi, construendi, & ædificandi, præterea, vt qui in familia fratrum de obseruantia professionem emiserint, & ad Reformatos de huiusmodi Obseruantia Reformatorum in futurum transire voluerint, habeāt annum probationis contiuuum à die ingressus, sicut alij nouitij ad deliberandum, an in huiusmodi obseruantia Reformatorum remanere velint. Post præsentium autem publicationem, & dictum annum completum, declaramus illos haberi pro professis inter reformatos in monasteriis, & prouincia eorundem, nec ipsos ad eosdem fratres de familia, nisi de apostolicæ Sedis licentia speciali, sine apostasię nota amplius redire posse, quo etiam anno peracto tam Nouitios in prouincia Reformatorum expresse professos, quàm professos in familia, qui annum continuum in dicta prouincia Reformatorum peregerunt, volumus ad regulæ fratrum minorum, iuxta fel. recor. Nicolai III. & Clementis V. Romanorum pontificum etiam prædecessorum nostrorum declarationes & Clementis VII. literas præfatas obseruantiam teneri, nec ab ea, reformatorumque ipsorum obedientia recedere posse. Liberum vero sit eidem Ministro prouinciali, etiam nullo Ministri generalis, vel aliorum prælatorum aliarum prouinciarum familiæ de obseruantia præfatæ habito, vel requisito concensu, vel licentia fratres, tam nouitios quàm professos earundem prouinciarum familiæ habentes tamen bonum testimo-

nium vitæ, & morum, in eadem prouincia Reformato rum ad professionem, & ad obseruantiam huiusmodi reformationis respectiue absque vllo impedimento, de consilio tamen, & consensu fratrum illius loci, in quo recipiũtur, recipere, & admittere. Si vero fratres de familia præfata in aliquo eorum monasterio, vel domo huiusmodi obseruantiam, & reformationem, vel maior, & sanior pars eorum sponte sua amplecti voluerit, illico dictum monasterium, vel domus sub obedientia eiusdem Ministri prouincialis Reformatorum esse censeatur, atque in illius prouincia connumeretur, sicut ex nunc illa ei subiicimus, & præfatæ prouinciæ Reformatorum annectimus, & incorporamus. Prætera si in capitulis generalibus ordinis aliqi constitutiones, vel decreta præsentibus literis, & huiusmodi Reformatorum obseruantiæ non contraria edita fuerint, Reformati ipsi ea omnino seruare teneantur. Volumus etiam, vt in terris, & locis, vbi sunt vel eorũ Monasteria fratrũ de familia, ac fratrũ formatorum, vt eodem tempore, & die eleemosynæ ab vtrisq; ostiatim minime petantur, sed mandamus, vt inter se concordent, & dies diuidant, quibus singuli pro erunt Monasteriis eleemosynas petant, ne inuicem se impediant cum scandalo aliquorum, nisi forsan ciuitas, vel oppidum esset adeo amplum, vt id commode ab omnibus eo die præstari posset. Decernentes præsentes literas nullo vnquam tempore de surreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ seu quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vel fratres de familia, seu obseruãtia præfati, aut quicunque alij vocati fuerint, notati, argui, seu impugnari, aut sub quibuscunque reuocationibus, & suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam ab eadem Sede emanatis, etiam quæ in posterum emanabunt, comprehendi non posse, sed illas semper validas, & efficaces existere suosque plenarios, & integros effectus sortiri debere, sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios

rios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum palatij apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Districtius inhibentes Generali, & prouincialibus Ministris dictorum fratrum de obseruantia, seu familia præfatis, & eorum Visitatoribus, Commissariis, & prælatis nunc, & in perpetuum pro tempore existentibus, & illorum Generalibus, & prouincialibus Capitulis, personisque quibuscunque in illis congregandis, ac omnibus, & quibuslibet quos præmissa concernunt, aut in posterum quomodolibet concernent, & quibusuis aliis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, ne sub indignationis nostræ, & excommunicationis pœna Reformatos præfatos, illorumque prouinciam, domos, Ministrũ prouincialem, Custodes, Guardianos, Discretos, Officiales, & fratres, seu alios quoscunque, quos præmissa quomodolibet concernunt, aut in posterum concernent, quominus præfatis omnibus & singulis pacifice fruantur, seu præfata omnia, & singula suum debitum sortiantur effectum impedire, retardare, aut perturbare audeant, vel præsumant. Reuocantes præterea, & annullantes omnes, & quascunque facultates, commissiones, & mandata à nobis forsan, & sede apostolica, vel Nuntio nostro in eisdem partibus, & regnis commorante, quomodolibet hactenus concessas, factas, seu data aliquibus fratribus dictæ familiæ, & ordinis visitandi, corrigendi, & reformandi, ac puniendi præfatos fratres Reformatos in dictis principatu, ac Regnis existentes, prout eadem tenore præsentium reuocamus, annullamus, cassamus, & abolemus. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiscopis Tarraconnen. Cæsaraugustan. Valentin. & Episcopo Barchionen. ac dilecto filio nostro, & sedis apostolicæ

Nun

Nuntio præsenti,& pro tempore in Regno Hispaniâ rum existenti per præsentes mandamus,quatenus ip si,vel duo, aut vnus eorum per se,vel alium,seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque,vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum Reformatorum prefatorumdesuper fuerint requisiti solenniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos præmissis omnibus, & singulis, iuxta præsentium continentiam, & tenorem pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per Generalem,& prouinciales Ministros, ac prælatos fratrũ de Obseruantia, seu de familia, aliosque præfatos quomodolibet indebite molestari,contradictoresque quislibet,& rebelles,ac præmissis non parentes per sententias,censuras,& pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus illos sententias,censuras,& pœnas ipsas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstan.reme.Leonis papæ X. etiam prædecessoris nostri super vnione fratrum minorum de obseruantia, & nuncupatione eorundem,& dictis literis Clementis VII.& quæ idem Clemens voluit non obstare, necnon Bonifacij papę VIII.etiam prędecessoris nostri,per quã cauetur expresse,neprofessores ordinũ mendicãtiũ loca ad habitãdũ absq; dictę sedis licẽtia speciali recipere, seu de nouo ędificare possint, de prohibitione huiusmodi expressã mentionẽ faciẽte,ac vna,& Concilij generalis de duabus dictis,dummodo quis vigore præsentium ad iudicium vltra tres dictas non trahatur, Bulla aurea Mari magno nuncupatis, ac nostra de nõ tollendo iure quęsito,quatenus opus sit, aliisque constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus,priuilegiis quoque indultis,& literis apostolicis dicto ordini,eiusque Generali Ministro, & aliis prelatis, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere,vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis; Quibus omnibus,& singulis,etiam si de illis,eorumque totis tenoribus specialis,specifica,expressa,& indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut alia expressio habenda,seu aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret,illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes,illis alias in suo robore permãsuris,hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum,quòd interdici,suspendi,vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem,quòd interim, & vsque ad futurum proximum Capitulum prouinciale dicta prouincia, per præsentes erecta per dilectum filium Angelum de paz dictæ prouinciæ Custodem,quem ex nunc in eiusdem prouinciæ Vicarium prouincialem, auctoritate, & tenore præfatis, ac ex certa nostra scientia creamus, constituimus, & deputamus, regatur, & gubernetur. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca,vbi necesse foerit,deferri, volumus etiam, & dicta auctoritate decernimus, vt earum transumptis etiam impressis sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis,& manu Notarij publici subscriptis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud vbilibet adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris,Die xviij.Februarij.M.D.LXXXI. Pontificatus nostri Anno Nono.

Cæ.Glorierius.

Eiusdem

Eiusdem Litteræ Innouationis Constitutionum Pauli Quarti, & Pij Quinti, contra Medicos Hebræos, Et Illarum extensionis ad eos qui Medicos Hebræos, vel Infideles ad Christianorum curam vocant, admittunt, vel eisdem medendi licentiam concedunt.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

ALias piæ me. Paulus Papa IIII. prædecessor noster edita perpetua constitutione, inter alia sanciuit, ne Medici Iudæi etiam vocati, & rogati ad Christianorum ægrotantium curam accedere, aut illis interesse possent, quam constitutionem postea Pius Papa V. etiam prædecessor noster per suas litteras approbauit, innouauit, & confirmauit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decreuit: ac voluit, & sub interminatione diuini iudicij præcepit, & mandauit omnia in eadem constitutione contenta in posterũ firmiter obseruari non solum in Terris, & Dominiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectis, sed etiam vbiq; locorum. Quia tamen nobis non sine magna animi nostri molestia innotuit, ea minime obseruari, sed multos adhuc ex Christianis hominibus esse, qui dũ suos corporum langores illicitis mediis, & præcipue Iudeorum ac aliorum infidelium opera sanaricupiũt, veræ salutis animarum suarum, & corporum simul immemores fiunt, & (quod valde dolendum est) in damnationis æternæ maximum sæpe discrimen incidunt, medicis Iudeis, & infidelibus huiusmodi ad ipsorum curationem vocatis, & adhibitis: vnde fit vt & Iudeis, ac aliis infidelibus magna detur delinquẽdi occasio, & simul salutare præceptum negligatur, ab Innocentio Papa III. similiter prædecessore nostro in Concilio generali quondam emissum, & deinde à prædicto Pio V. innouatum, quod omnes medici cũ ad infirmos in lecto iacentes, vocati essent, ipsos ante omnia monerent, vt idoneo confessori omnia peccata sua

ta sua iuxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ confiterentur, neque tertio die vlterius eos visitarent, nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientia onerabatur, concessisset, & eis per fidem confessoris inscriptis factam constaret, quòd infirmi peccata sua confessi fuissent. Id circo nos tam Iudeos, qui aduersus mandata huiusmodi apostolica committere audent, quã Christianos, qui illos ad se accersunt, vel medendi licentiam concedunt, & viam ad delinquendum eisdẽ aperiunt, coercere volentes, supradictas prædecessorum nostrorum cõstitutiones auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, ac inuiolabiliter obseruari mandamus, atque hac nostra in perpetuum valitura constitutione, eisdem constitutionibus, & præceptis pro firmiori illorum obseruatione addentes, vniuersis vtriusq; sexus Christifidelibus districtæ inhibemus, & interdicimus, ne post hac Iudeos, vel alios infideles ad ipsorum Christianorum ægrotantium, & infirmorũ curam vocent, seu admittant, aut vocari, admittiue faciant, concedant, vel permittant. Mandantes propterea omnibus, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, necnon dilectis filiis aliis locorum ordinariis, & quibusuis Parochis, aliisue animarum curã habentibus, & exercẽtibus, sub indignationis nostræ, ac alias arbitrio nostro infligendis pœnis, vt præsentes nostras literas in suis ecclesiis, quæ in illis ciuitatibus, vel diœcesibus constitutæ sunt, in quibus Hebræi, vel alij infideles moram trahunt quamprium ad eos prælatæ fuerint, & deinde singulis annis initio quadragesimalis iciunij publicent, aut publicari facient: & quod si quis post earum publicationem etiã quomodolibet exemptus, ac cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existens, aduersus illa facere ausus fuerit, sacramenta ei ecclesiastica nullatenus ministrentur, nec atiam à regularibus

bus exemptis : & sic decedens ecclesiastica careat sepultura, quæ quidem omnia parochi ægrotantibus significare apto tempore non omittant, præsertim cũ Iudeum, vel infidelem medicũ ab eis admissũ esse cognouerint, & aliàs ipsi locorum ordinarij contra huius mandati transgressores debita animaduersione procedant: Iudeosque ipsos nihilominus iuxta Pauli, & Pij Pontificum prædictorum literas contra illos editas pro earum transgressione puniant. Non obstãtibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quæ iidem Paulus, & Pius in suis literis prædictis voluerunt non obstare, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis quibusuis personis etiam regularibus, priuilegiatis, & exemptis, eorumque ordinibus, & congregationibus sub quibuscunque tenoribus, & formis, etiam Mari Magno, seu bulla aurea nuncupata, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiã si de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque. Seu si aliquibus communiter vel diuisim ab apostolica sit sede indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret easdem præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & declaramus, quòd earum transumptis, etiam impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ

tutæ munitis, eadem prorsus fides vbicunque habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXX. Martij. M.D.LXXXI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Cæ. Glorierius.

Annoà natiuitate Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo primo, Indictione Nona, die verò Quinta Mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Nono, retroscriptæ literæ apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per me Petrum Aloysium Gaytam eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Curs.

Petrus Stoch Magister Curs.

Eiusdem litteræ deputationis R. D. Rodulphi Bonfioli Thesaurarij generalis in Collectorem generalem Spoliorum.

GREGORIVS PAPA XIII.

DILECTO filio Rodulpho Bonfiolo Thesaurario, ac Collectori spoliorum generali nostro. Dilecte fili, salutem, & apostolicam benedictionem. Cùm, sicut accepimus, nonnulli res, & bona mobilia, & immobilia, ac se mouentia ex fructibus beneficiorum ecclesiasticorum acquisita per obitum prælatorum, & aliorum quarumcumque personarum ecclesiasticarum sæcularium, & quorumuis ordinum regularium, quæ extra hanc almam Vrbem decesserunt, remanentia, & relicta, quæ tanquam spolia alias fere. Paulus Papa III. prædecessor noster ad Camerã, Apostolicam spectare, & pertinere decreuit, & declarauit, necnon fructus, reditus, & prouentus mensarũ patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum, & monasteriorum in tota Italia consistentium, & per obitum illorum Prælato-

torum vacantium indebite occupare,& spoliis,ac fructibus,reditibus, & prouentibus huiusmodi dictam Cameram defraudare, necnon diuersas res, & bona vacantia tam in alma vrbe, & eius districtu, quam in toto statu ecclesiastico ad eandem Cameram spectãtia occupare,occultare,& retinere presumpserint, & præsumant,in animarum suarum periculum,ipsiusq; Cameræ præiudicium non paruum. Nos pro nostri pastoralis officij debito talium personarum ausus temerarios reprimere,& ne spolia, ac fructus, & bona vacantia huiusmodi in posterum dissipentur, & occupentur,opportune prouidere volentes,ex certa nostra scientia,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quoscunque dictorum spoliorum, & fructuum per totam Italiam ad hunc vsque diem quomodolibet deputatos collectores, & subcollectores, ac bonorum vacantium commissarios, & officiales primum,& ante omnia reuocantes, omnemque illis desuper attributam potestatem & auctoritatem abdicantes,Te,qui coniugatus existis, & de cuius fide, integritate,& diligentia nobis iamdiu nota plurimũ in Domino confidimus,nostrum,& dictæ Cameræ in vniuersa Italia spoliorum ad ipsam Cameram pertinentium,necnon fructuum,reddituum,& prouentuum mensarum huiusmodi collectorem, ac bonorum vacantium in vrbe,eiusque districtu,& toto statu ecclesiastico Commissarium,& Iudicem generalem auctoritate apostolica tenore præsentium, quoad vixeris, & quandiu Thesaurariatus nostri generalis officium obtinueris,constituimus, & deputamus, dantes tibi plenam,& omnimodam potestatem, & auctoritatem omnes,& singulas res, & bona quæcunque mobilia, & immobilia, ac se mouentia spolia quomodolibet nuncupata, & bona vacantia huiusmodi, etiam per obitum apostatarum iuxta formam litterarum nostrarum desuper in forma breuis,sub die 21. Ianuarij, anni M. D. LXXVII. expeditarum,quas etiam per præsentes approbamus,& quatenus opus sit,per præsentes

tes etiam innouamus,ac etiam illa,quæ ex fructibus, reditibus,& prouentibus ecclesiasticis profecta,ædificata,refecta,& restaurata fuerint, seu aliàs ex eisdẽ fructibus,reditibus, & prouentibus quomodolibet prouenerint, per obitum quarumcunque personarũ ecclesiasticarum beneficia ecclesiastica tam simplicia, quam administrationem habentia, obtinentium, nisi quoad simplicia de fructibus huiusmodi dispositum fuerit,vel ex priuilegio apostolico, vel ex consuetudine legitime præscripta tam secularium,quam quorumuis ordinum regularium quauis etiam Pontificali dignitate fulgentium in vniuersa Italia,extra tamen dictam vrbem,pro tempore decedentium remãsura,cuiuscunque qualitatis, generis, & speciei fuerint, etiam gemmas, & alia pretiosa,& pecuniarum summas, necnon etiam fructus,reditus,& prouentus mensarum,huiusmodi à die ecclesiarum, & monasteriorum vacationis huiusmodi vsque ad diem præfectionis,ac prouisionis,seu commendæ de illis facientibus,quos omnes, & singulos fructus,reditus,& prouentus ad nos,& dictam Cameram spectare,& pertinere volumus, & decernimus, & eidem cameræ appropriamus,& applicamus,necnon omnia, & singula bona vacantia cuiuscunque qualitatis, & quantitatis in vrbe,districtu,& statu præfatis nostro, & præfatæ Cameræ apostolicæ nomine colligendi, percipiendi, exigendi,& recuperandi,ac tam super illis quam aliis quibuscunque spoliis,quæ hactenus in ipsa Italia ex bonis vacantibus, & aliis huiusmodi per similiũ personarum obitum,aut alias,vt præfertur, seu quomodolibet remanserunt,& indebite quocunque prætextu vsurpantur,omnibus viis, & modis inquirendi,& inuestigandi, & pro faciliori inquisitione quascunq; personas cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis,& præeminentiæ fuerint etiam exemptas, necnon præteritos collectores, subcollectores, officiales coram te,seu alio,vel aliis à te deputandis comparendum,& de administratis, exactis, & receptis per eos

computum,& rationem reddendum, illósque quotũ testimonio te indigere cognoueris, ad se examini subiiciendum,ac spoliorum, necnon fructuum,redituum,prouentuum, ac bonorum vacantium huiusmodi occupatores,& detentores ad spolia,fructus,reditus,& prouentus,ac bona vacantia eadem restituendum,& relaxandum,& tibi consignandum, & soluendum,& quos in præmissis, & circa ea quomodolibet deliquerint, etiam ad personaliter coram te, seu à te deputando comparendum, sub confiscationis bonorum,ac priuationis beneficiorum,inhabilitatisque ad illa,& alia in posterum obtinenda, aliisque etiam pecuniariis tibi beneuisis,& demum excommunicationis,aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis tuo arbitrio per personam ecclesiasticam per te eligendam infligen.moderandis,& applicandis, monendi,citandi,& cõpellendi,ac contradictores quoslibet,reb elles,ac remitentes,pœnas,& censuras prefatas incidisse declarandi & illas aggrauandi, & reaggrauandi,auxilium brachij sæcularis ad hoc, si opus fuerit, inuocandi, & super iisdem spoliis, & fructibus, reditibus, & prouentibus, ac bonis vacan. pro dicta Camera, prout tibi videbitur, componendi, & concordandi, soluentésque de compositis, & solutis per eos, ac receptis absoluendi, & liberandi, necnon ad cor reuersos, si id humiliter petierint,à censuris,& pœnis,si quas incurrerint,prœnia satisfactione absoluendi, & liberandi,ac in præmissis omnibus,& singulis summariè, simpliciter, & de plano & sine strepitu,& figura iudicij,sola facti veritate inspecta,procedendi,vnum quoque, vel plures loco tui cum simili,aut limitata potestate substituen. & alia præmissa faciendi,subcollectores, & officiales deputandi,& subdelegandi,illósque, quoties tibi videbitur,reuocandi, cæteráque omnia, & singula faciendi,gerendi, & exequendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria,fuerint,seu quomodolibet opportuna.Et insuper, vt exactio omnium,& singulorum

spoliorum, ac fructuum, reddituum, & prouentuum, necnon bonorum vacantium huiusmodi celerius, & facilius fiat: Quod de cætero omnes & singulæ lites, causæ,& controuersiæ,super quibusuis fructibus, reditibus, & prouentibus, ac spoliis præfatis, necnon bonis vacan. & illorum occasione ac alias, quæ ab ipsis litibus, & causis quomodolibet dependentiam, seu cum illis connexitatem habuerint, nunc, & pro tempore penden.à nullo alio, quam à te seu aliis super dictis spoliis,& fructibus,reditibus, & prouentibus,ac bonis vacantibus pro tempore deputatis collectoribus, aut subcollectoribus, & officialibus aut particularibus delegaris cognosci, nec alteri nisi per commissionem manu nostra signatam,vel per nostras literas committi, aut delegari possint, & citato moderno,& pro tempore existenti dictæ Cameræ apostolicæ Commissario generali. Quodque Monitoria, citationes,inhibitiones,processus,sententiæ vel mandata,quæ aliàs quam ex commissionibus, vt præfertur, manu nostra signatis, eodemque Commissario citato,vel literis nostris emanauerint quoad eorundem causarum introductionem, & litis pendentiam, seu tuorum ministrorum per te ad id deputandorum iurisdictionis vt processum, impedimentum, vel retardationem nullius sint roboris vel momẽti.Quodque à sententiis per te, seu tuos ministros præfatos super præmissis pro tempore latis nullatenus appellari,seu earum executio differri aut suspendi nullatenus possit,aut debeat nisi data prius bancharia cautione in forma depositi,dicta auctoritate per easdem præsentes statuimus,& ordinamus,ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari,irritum, & inane decernimus.Non obstãtibus præmissis, ac constitutionibus,& ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarũ, monasteriorum,& ordinum prædictorum, vel locorũ, vbi bona vacantia huiusmodi sita fuerint,etiam iuramento,confirmatione apostolica, vel quauis firmita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

te alijs roboratis statutis,& consuetudinibus, priuilegiis quoque,indultis, & literis apostolicis, ecclesijs, Monasteriis,& ordinibus,& locis præfatis,eorumque superioribus,Prælatis,& personis, ac quibusuis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficatioribus,& insolitis clausulis,irritantibúsque,& aliis decretis,etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis,& innouatis. Quibus omnibus,etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis,specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mẽtio, seu quæuis alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi,ac si de verbo ad verbum, inserentur præsentibus, pro sufficienter expressis, & incertis habentes,illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab apostolica sit sede indultum,quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam,& expressam,ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Tusculi sub Annulo Piscatoris die VIII. Aprilis. M. D. LXXXI. Pontificatus nostri Anno Nono.

Cæ. Glorierius.

Die decima Aprilis, M. D LXXXI. presentes litteræ præsentatæ fuerunt in plena Camera apostolica,& ex decreto ibidem facto admissæ, & registratæ libro quarto signaturarum fol.59.penes me infrascriptum dictæ Cameræ Notarium.

Tydeus de Marchis.

Eiusdem Declaratio,quòd per facultates concessas Consulibus Artium non censeatur præiudicatum iurisdictionibus & facultatibus superintendentiæ pro tempore existentis Almæ Vrbis Gubernatoris,& aliorum Iudicum ordinariorum ac si præinsertæ Litteræ emanatæ non fuissent.

GREG-

GREGORIVS PAPA XIII.

ALmam Vrbem nostram, dilectosque filios illius ciues,& incolas,eos præsertim, quorum laboribus,& industria bona,& merces ad vsum quotidianũ necessariæ,& vtiles ad Vrbem ipsam,ex diuersis mũdi partibus conuehuntur & conseruantur, ac onera ipsi Vrbi incombentia curã,& labore assiduo sustinent, paterno affectu prosequentes,in ea libenter intendimus,per quæ priuilegia, & graciæ illis à prædecessoribus nostris,nobisque ipsis concesse,& consuetudine confirmatæ,& approbatæ fuerunt, Apostolica auctoritate roborantur, & hæsitationes circa ea subortæ elucidantur,& de medio tolluntur. Cum itaque dilecti filij Mercatores, Merciarij, Aromatarij, & quamplurimi alij diuersi generis Artifices,quorum omniũ & singulorum Artes, exercitia, denominationes, ac alia hic forsan latius, vel de necessitate exprimenda, ac speciali nota digna,pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, perinde ac si specialiter, ac seriatim exprimerentur,ad Vrbem ipsam cõfugẽtes, illius necessitati,& vtilitati,ac decori, & ornamẽto,altissimo coperãte, maxime prospexerint: Et propterea fe.re.Martin° V. Paulus III. Iulius etiã III. Pius IIII. & nonnulli alij Ro. Pontifices prædecessores nostri,ac etiam Nos ipsi considerantes Artes huiusmodi,illarumque Artifices ipsi Vrbi admodum necessarias,& vtiles existere, singulosque ipsos Artifices sine Rectoribus, & Ducibus, ac sine certis Iudicibus degentes, ipsi Vrbi parum vtiles, sibique ipsis non admodum proficuos futuros,dum pro suorum creditorum cõsequutione,ad diuersa Tribunalia,& quod peius est,ad Iudices de artificio, & minus prætio ipsarum Artium omnino in expertos,& ignaros distracti propria eorum negotia, & artes ipsas deserere cogerentur,Artificibus ipsis Collegia habere,& Consules, Officiales,ac Iudices ex ipsorum corpore creare,& de mercibus,& mercedibus,aliisque rebus, causis,& ne-

gotiis cuiusque Artis, & ad Artem quomodolibet respectiue spectantibus vsque ad certas, in singulis literis, & priuilegiis huiusmodi comprehensas, & expressas summas agnoscere, & iudicare concesserunt, indulserunt. Ac insuper ex antiqua consuetudine, que vim legis habere dignoscitur, vt etiam Collegia specialibus priuilegiis non minuta causas easdem de rebus ad Artes ipsas spectantibus, etiam inter homines extra ipsa collegia constitutos, cognoscere, & decidere consueuerint inductum, & obseruatum fuerit: eademque priuilegia, indulta, & consuetudo vsu ipso approbata, in ipsius Vrbis, Artificumque prædictorũ vtilitatem non paruam cedere comperta sunt. Quo factum est, vt Vrbis ipsa ciuibus, & incolis, omnisque generis Artis excellentium virorum copia redundauerit, & redundet de præsẽti. Cùm autem elapsis mẽsibus antiqua statuta ipsius Vrbis de mandato nostro reformata, & innouata, & inter cætera eorũdem Statutorum lib. III. cap. XII. Statutum, & decretum fuerit, vt Cõsules Artium huiusmodi causas tantũmodo inter ipsos homines de Arte, & de rebus spectantibus ad Artem ipsam cognoscere, & iudicare possent. Ea propter à nonnullis nimium scrupulosis, priuilegiis, indultis, & consuetudine cuiuslibet Artis, & Collegij circa cognitionem, & decisionem causarum, & negotiorum, quę licet de rebus ad Artes ipsas spectãtibus, contra homines extra Artes, & Collegia degẽtes pro tempore oriuntur, & agitantur, maxima ex parte derogatum, & præiudicatum extitisse hæsitatum fuerit, & hæsiterur adhuc, Vnde aliqua ex ipsis Collegiis penè dissoluta, & dilapsa reperiuntur, Cõsulum iurisdictione pene, præter, & contra mentem, & intentionem nostram, sublata. Quapropter dilecti filij Angelus Clauarius. Franciscus Caluius, & Curtius Sergardius Cameræ dictæ Vrbis Conseruatores, necnon Baldasar Cincius Prior Capitum regionum nobis ex dubietate, & hæsitatione huiusmodi maximum ipsi Vrbi, illiusque incolis, & præcipue iurisdictioni ipsius Curiæ

Curiæ Capitolij proueniſſe, ac in futurum prouenire posse damnum, & incommodum, non sine animi nostri displicentia suggesserunt. Malis igitur, & incõmodis huiusmodi quanto citius occurrere, quantum cũ Deo possumus satagentes, Motu proprio, non ad ipsorum Conseruatorum, & Prioris, nec Consulum, aut Artificum prædictorum, seu alicuius eorum, vel pro eis, aut eorum aliquo, nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra mera, & deliberata voluntate, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hæsitationem, & dubitationem prædictam de medio tollentes, intentionis, & voluntatis nostræ minime fuisse, nec esse, priuilegiis, indultis, statutis, & consuetudinibus singularum artium, earumque Collegiorum, Consulum & iudicum quorumcunque, circa cognitionem, & decisionem omnium & singularum causarum de rebus, & bonis ad artes singulas respectiue spectantibus, etiam inter, & contra homines, qui de ipsis Artificibus, & Collegiis non sunt, nec pro tempore erunt, vertentes, & quæ futuris perpetuis temporibus verti contigerit, in aliquo derogare, aut derogatum fuisse declaramus, & attestamur, decernimus, & diffinimus præsentium per tenorem. Et nihilominus pro potiori eorundem Corporum, & Collegiorum omnium & singulorum ipsorũmque & cuiuslibet eorum priuilegiorum, indultorum, statutorum, & consuetudinum circa cognitionem, & decisionem causarum similium denuo, quatenus opus sit, priuilegia, indulta, & consuetudines Apostolica auctoritate eorundem, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque omnibus, & singulis perpetuæ firmitatis robur adiicimus. Decernentes omnes, & singulos Consules, & alios quoscunque officiales, & Iudices omnium, & singularum artium & collegiorum huiusmodi de negotiis, & causis ad singulas quasque Artes respectiue spectantibus, etiam inter, & contra homines, qui de Corporibus, & Collegiis Artium ipsarum pro tempore non sint, cognoscere, & iudicare potuisse, & de-

buisse posseque, & debere, prout & quemadmodum ipsi omnes, & singuli Consules, & Iudices singularum Artium ante dictorum statutorum publicationem & confirmationem per nos, vt præfertur, editam & promulgatam, & iuxta cuiusque ipsorum priuilegia, indulta, & consuetudines cognoscere, decidere, & iudicare poterant & consueuerant, de rebus tamen ad singulas artes ipsas respectiue spectantibus, cognoscere & iudicare in prima instantia, dummodo in articulis iuris, Consultorem, seu assessorem adhibeant, auctoritate, & tenore præmissis concedimus & indulgemus. Declarantes à sententiis, declarationibus, & decretis Consulum, & Iudicum prædictorum infra terminum octo dierum à die latæ sententiæ, seu facti decreti, ad Conseruatores, non alios quoscumque Iudices appellari & recurri posse & debere, & aliter, seu ab aliis factæ inhibitiones & significationes prætextu appellationum, & recursuum, nemini suffragari, præsentésque literas de subreptionis, & obreptionis vitio, mentísque aut intentionis nostræ defectu notari, aut impugnari nullatenus posse, sicque per quoscunque Iudices, etiam S. R. E. Cardinales iudicari & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, statutis ipsius vrbis, vt præfertur, per nos editis, promulgatis, & confirmatis, ac constitutionibus, & ordinationib⁹ Apostolicis, & Cancellariæ nostræ regulis, etiam de non tollendo iure quæsito, priuilegiis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis per nos, & prædecessores nostros quibusuis dictæ Vrbis Iudicibus, & Tribunalibus quomodolibet concessis & innouatis, illorúq; tenores præsentibus pro expressis habẽtes, cæterísque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Maij, M. D. LXXXI.

MOTV

MOTV proprio &c. Ne per præincertas litteras in forma breuis nostri aliquod præiudicium bono, & pacifico regimini Almæ Vrbis nostræ, & illius Gubernatori, ac aliis iudicibus ordinariis ipsius Vrbis inferatur. Dicimus, & declaramus intentionis nostræ minime fuisse nec esse, quod per præinsertas literas, in aliquo iurisdictionibus, & facultatibus ac superintendentiæ eiusdem Moderni ac pro tẽpore existentis eiusdem Vrbis nostræ Gubernatoris, ac aliorum Iudicum ordinariorum dictæ Vrbis, circa causarum cognitiones in præincertis litteris expressas, perinde ac si præinsertæ litteræ à nobis emanatæ nõ fuissent minime præiudicetur. Nec vllo vnquam tempore eisdem Gubernatori, & Iudicibus, ac eorum Locatenentibus, & eorum cuilibet, præiudicatum esse intelligatur, prout præiudicare nolumus, sed quod eorundem Gubernatoris, & Iudicum, & Capitanei appellationum iurisdictiones, & facultates, quas per prius habebant, saluas & illæsas circa præmissa perpetuo maneãt, & illis præinsertas eis non obstare volumus, appellationésque, & prouocationes omnes ad eos, cæterósque Vrbis, & curiæ ordinarios, & eorum tribunalia, sicut prius videlicet ante dicta statuta, sine vllo impedimento deferantur. Decernentes &c. & sic per quoscunque etiam S. R. E. Cardinales, ac alios Iudices &c. iudicari &c. debere, sublata &c. irritum quoque &c. scienter contigerit attentari &c. ac solam presentium signaturam in iudicio, & extra sufficere, & plenam fidem facere, regula contraria non obstante.

Placet Motu Proprio V.

Datum Romæ apud santum Petrum, Non. Iulij, Anno decimo.

Eiusdem statutum de blasphemijs, & flagitijs Iudeorum, in quæ hæreticæ prauitatis inquisitores animaduertunt.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ANtiqua Iudæorum improbitas, qua diuinæ bonitati semper restiterunt, tanto execratior consistit in filiis, quanto ipsi ad cumulandam patrum suorum mensuram, in Dei filio repudiando, eiusque in mortem nefarie conspirando, grauius deliquerunt: qui propterea suis effecti maioribus noxiores, propriis sedibus expulsi, atque in omnes dispersi orbis terrarum regiones, seruitutique perpetuæ mancipati, non maiorem in cuiusquam ditione clementiam, quam in Christianorum Prouinciis, maxime vero in Apostolicæ pietatis gremio inuenerunt, quæ pro eorum conuersione laborans, eos misericorditer excepit, atque in cohabitatione vnà cum filiis suis sustinuit, ad veritatisque lumẽ allicere pio semper studio conata est, rebusque ad vitam necessariis iuuit, iniuriis, & contumeliis prohibuit, multis denique beneficentiæ suæ priuilegiis circummuniuit: illi vero nullis beneficiis mansuefacti, nihilque de suo pristino scelere remittẽtes, Dominum nostrum Iesum Christum in cœlo triumphantem adhuc in synagogis suis, & vbique persequuntur: Christi quoque membris infensissimi non desinunt in religionem Christianam horrenda facinora quotidie magis audere; quibus nos, ne pietatis nostræ puritas polluatur, aut à fœdis mancipiis Christo, Christianorumue nomini impune illudatur obuiare volentes, Statuimus, ac etiam declaramus, Inquisitores hæreticæ prauitatis libere procedere posse in omnibus causis, & casibus, qui sequuntur. Siquis Iudæus, aut infidelis in iis, quæ circa fidem cũ illis nobis sunt communia veluti Deum vnum, æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia non esse asseruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit: Si dæmones inuocauerit, consuluerit, aut eorum responsa acceperit, ad illosue sacrificia, aut preces ob diuinationem, aliamue

aliamue causam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris, alteriusue rei fumigationes obtulerit, aut alia quouis impietatis obsequia præstiterit. Si christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attẽtauerit. Si saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremue Dei nõ esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quæ per se hereticę dici solent, in christianę fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impie protulerit. Si cuiusuis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore aliquis christianus à fide defciuerit, quamque semel susceperat, abnegauerit, vel ad Iudæorum, seu aliorum infidelium ritus, cæremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in hæresim aliquam inciderit, aut qui, vt Christi fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem, cõsilium, auxilium, vel fauorem quomodocunque præstiterit. Si quis Catechumenum, vel quemcunque ex Iudeis, aut infidelibus, Deo inspirante, ad fidem christianam venire volentem, post declararam nutu, verbo, facto, aut quocunque alio modo eius volũtatem à fide, vel fidei instructione, aut à sacri baptismi susceptione, retrahere, auertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, neue regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit. Si quis apostatas, hæreticósue scienter domi suæ acceptauerit, aluerit, commeatu iuuerit, seu quouis modo eis cibaria vbicunque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit, seu associauerit, vel deducendos, seu associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, dũces, comitesue illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inuestigari queãt, fecerit. Quique dictos apostatas, aut hæreticos scienter aliquo modo receptauerit, ocultauerit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit. Si libros hæreticos, vel thalmudicos, aut alios

Iudai

Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alias prohibitos tenuerit, custodierit, vel diuulgauerit, vel in quæcunque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accomodauerit. Si Christianos deriserit, redemptionisque nostræ hostiam salutarem in ara crucis immolatam, Christum Dominum ludibrio, & despectui habens, quandocunque, maxime vero in sacro parasceues die agnum, siue ouem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eámve conspuerit, seu quodcũque contra ipsam fecerit. Si nutrices christianas contra sacrorum Canonum statuta, diuersorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum sanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens die, qua sanctissimum eucharistiæ sacramentum sumpserint, lac vno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coegerit. In quibus casibus vniuersis, & singulis omnes prædictæ prauitatis Inquisitores omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi orbis christiani Iudices in suis quenque locis perpetuo delegamus, vt super his contra Iudæos, atque infideles quoscunque simul, vel separatim, prout in causis fidei iuxta sacrorum canonum formam, necnon officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo, vel aliquibus horum flagitiorum excessibus culpabiles repererint, in eos pro culpę modo, ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut consuetudine delinquendi, flagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora decernãt, & alias de eis exempla edant, quæ sceleratos illos deterreant ab huiusmodi flagitiis in posterum admittẽdis. Nos enim venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis; & aliis locorum Prælatis, ac etiam aliis prædictis Inquisitoribus in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, & mandamus, vt præsentes nostras litteras in Ciuitatibus, & locis

& locis cuique subiectis publicare, & iuxta illarum tenorem procedere, ipsasque debitæ executioni mandare procurent. Decernentes irritum, & inane quicquid secus per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon exemptionibus, priuilegiis, immunitatibus, commeatibus, indem publicam receptionibus, & tolerantiis prædictis, Iudæis, & aliis infidelibus, Maranis, & Apostatis, tam in Dominiis, Terris, & locis nostris, & sedi apostolicæ mediate vel immediate subiectis, quam alibi vbicunque Regnorum, Prouinciarum, & Dominiorum, gentium, & locorum commorãtibus, vel in ea ex quibusuis Regnis, & partibus tam fidelium quam infidelium confluentibus, eorumque iudicibus, Aduocatis, & defensoribus quacunque auctoritate, potestate, & dignitate fungantur, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumuis aliorum Principũ tam per fel. rec. Paulum III. Decimo kl. Martij, & Iulium etiã III. Non. Decembris, Tertio anno sui cuiusque Pontificatus, quam etiã quoscunq; alios anteriores, & posteriores Romanos Pontifices, ac nos, & sedem Apostolicam, eiusque legatos, ac etiam Camerã apostolicam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & alias quomodocunque hactenus cõcessis, confirmatis, & innouatis, atque in posterum concedẽdis, confirmandis, & innouandis, quæ omnia, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur præsentibus pro plene expressis habentes, harum serie specialiter, & expresse reuocamus, abrogamus, & omnino abolemus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem præsentes in locis vbis consuetis de more publicari; & earum exemplis etiam impressis manu Notarij publici, & sigillo Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis,

vel

vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem vbique tam in iudicio, quam extra illud adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, delegationis, præcepti, mandati, decreti, reuocationis, abrogationis, abolitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominicæ Millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Kl. Iunij, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

M. Dat.

Cæ. Glorierius.

A. de Alexiis.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Indictione nona, die vero decima mensis Iunij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Decimo, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerũt ad valuas ecclesiæ sancti Ioannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac etiam ad valuas septi Hebræorum, per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Taglietum Apostolicos Cur.

Antonius Ludouicus Magister Cursorum.

Eiusdem Declaratio Super facultate, quam habent Ordinarij & alij monialium Superiores ingrediendi earum monasteria.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

dubiis,

DVbiis, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo, quod optima primum ratione Concilium sanxit Tridentinũ, deinde in constitutione fœlicis recordationis Pij Papæ V. prædecessoris nostri nonis Iulij Pontificatus sui anno tertio, atque item nostra idibus Iunij Pontificatus nostri anno quarto editis, fuit prouisum, ne cui in posterum nisi in casibus necessariis septa monasteriorum monialiũ ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suę voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius seruare debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam. Nos omnẽ hæsitationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus Prælatos omnes tam sæculares quam regulares, quibus cura, & regimẽ monasteriorum monialiũ quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediẽdi monasteria prædicta ita demum vti posse, si id faciãt in casibus necessariis, & à paucis iisq; senioribus, ac religiosis personis comitati. Quocirca vniuersos & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiã Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumuis ordinũ Abbates, Præpositos, Priores, Ministros, & alios quoscunque Superiores regulares serio monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, vt præfertur necessariis neutiquam vtantur. Quòd si contrafecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus, atque decernimus, qui pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere, regulares vero omni officio, ac ministerio priuatos excommunicationi similiter subiacere. Non obstantibus apostolicis, ac in generalibus, &

Prouincialibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus,& ordinationibus, priuil e giis quoque indultis,& literis Apostolicis quibusuis Ecclesiis,earumue Prælatis,aut Ordinibus in genere, vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarũ derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis,necnon irritantibus decretis quouis modo concessis,approbatis,& innouatis,etiamsi illis caueretur expresse,quòd nemo interdici, suspendi,vel excommunicari posset per literas Apostolicas non facientes plenam,& expressam de indulto huiusmodi mentionem,quibus eorumque totis tenoribus,perinde, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Quoniam vero difficile esset præsentes ad singula loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, manuque Notarij publici, ac sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus,si essent exhibitæ,vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris,Die xxiij. Decembris.M.D.LXXXI. Pontificatus nostri Anno decimo.

Cæ.Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo secundo, Indictione vndecima, Die vero Sabbathi trigesima Mensis Decembris, Pontificatus S. D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno decimo, Retroscriptæ literæ in forma Breuis publicatæ,& affixæ fuerunt in acie Cãpi Floræ,vt moris est per me Scipionem de Octauianis Apostolicum Cursorem.

Calistus Brunettus Magister Cursorum.

Eiusdem

Eiusdem litteræ facultatum redimendi captiuos Archiconfraternitati Consalonis de vrbe concessarum.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CHRISTIANAE nobiscum Religionis consortes graui captiuitatis, & seruitutis iugo à Christiani nominis hostibus oppressos,durísque operibus quotidie vexatos, immensa sanctæ matris ecclesiæ clementia pie miseratur,eorumque afflictiones, fusis ad misericordiarum patrem, & totius consolationis Deum deuotis precibus adiuuare, atque in aliorum Christianorum memoriam,in mysticis maxime,& ad purificandas fidelium mentes sanctius institutis diebus reuocare non intermittit. Quod clemens piæ matris officium nos quoque admonet, vt miserorum captiuorum ærumnis succurramus, fratrúmque charitatem ad idem,quantum in nobis est,excitemus,ne languescente paulatim extremis malis conflictatæ carnis infirmitate,& hoste diabolo,se infirmis,& verbi Dei prædicatione, sacrificiorum, & sacramentorũ solatio destitutis,eorum mentibus insinuante,desperationi succumbentes, ad susceptæ in baptismo fidei desertionem inducantur: tandémque, cum nulla, si quam habebant subsidij spes appareat, ad æternam redemptarum pretioso D. N. Iesu Christi sanguine animarum, perditionem misere perducantur. Quare ne huiusmodi,quæ toto animo horrescimus,accidant néve in qua re sacris rebus,& pretiosis vasis non parcitur, & in qua à Deo ac iter interrogamur, cur tot captiui in captiuitatem ducti sunt,nec redempti, negligentes diutius fuisse, aut quicquam pretiosius, quam animas ipsas habuisse arguamur, quando nostra,& sedis Apostolicæ auctoritate redimendorum captiuorum opus in alia iam diu loca est diffusum, illud quoque in alma Vrbe nostra constituere decreuimus:ad quod etiam ingemiscentium captiuorum

matrum, aliorúmque propinquorum lamentis, & lacrymis quotidie vrgemur, eorum maxime, qui nostræ, & dictæ sedis temporali ditioni subiecti, vt sibi tutelam primum & in mari nostro Tyrrheno, & Adriatico securitatem sic post vincula liberationem quoque à nobis iure suo exposcere videntur. Quibus omnibus valde ad hoc opus soliciti, cum adiumenta nobis ad illud requireremus, in dilectos filios custodes, & Confratres Archiconfraternitatis gloriosissimæ virginis Mariæ Confalonis nuncupatæ de dicta vrbe, quos huic operi præficeremus, mentem nostram intendimus: de quorum insigni Christianæ pietatis affectu confisi, qui nobis, cum ob præstitam in ecclesiarum Archiconfraternitati prædictæ vnitarum diuino cultu, & conseruando, & augendo, inopibúsque dotandis, & locandis puellis, necnõ pauperibus, aliísque variis casibus afflictis, multos annos in vrbe operam, tumetiam dilecti filij nostri Iulijantonij sancti Bartholomei in Insula presbyteri Cardinalis, sanctę Seuerinæ nuncupati, testimonio nobis satis innotescit. Motu igitur proprio, & ex certa scientia, necnon matura deliberatione nostra, deque apostolicæ potestatis plenitudine, onus hoc vniuersũ, quod magnũ esse intelligimus, curæ, & solicitudini Archiconfraternitatis prædictæ in perpetuum imponimus: ad hoc, vt ipsa Archiconfraternitas, illiusque Custodes, & Confratres pro tempore existentes quoscũque Christifideles dictæ Vrbis, ac Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum nostræ, & dictæ sedis temporali ditioni mediate, & immediate subiectorum, vbicũque captos conquirant, ex infidelium seruitute redimant, eaque de causa in omni loco dictæ ditioni nostræ, vt præfertur, subiecto eleemosinas & oblata quæcunque querant & accipiant, Quæstores probos & ad charitatis officium exercendum propẽsos, ac aliàs ad id, ab Ordinariis locorum approbatos, quotquot necessarij fuerint, seruata forma Concilij Tridẽtini, constituant, qui eleemosinas, obligationes, legata & quæcun

quæcunque alia subsidia tam in dicta Vrbe quam in quibusuis Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & locis ipsi ditioni, vt supra, subiectis, pro huiusmodi redemptione, & causis ad eam pertinentibus perquirant, pecuniasque inde cogerendas penes publicum mercatorem fidẽ, & facultatibus idoneum deponant, donec illę in redemptionem captiuorum huiusmodi arbitrio ipsorum Custodum, & Confrarrum erogẽtur: Ita tamen vt de aliis ipsius Archiconfraternitatis redditibus ad alios pios vsus, iuxta illius laudabilia instituta destinatis, nihil omnino detrahatur. Itaque Custodes & Confratres prædictos, necnon omnes vtriusque sexus Christifideles per redemptionis nostræ Sacramentum omni cordis affectu obtestamur, vt eius membris laborantibus, & oppressis compati nõ negligant, qui pro omnibus pati ipse dignatus est: Custodes siquidem, & Confratres, vt cum nostræ benedictionis gratia redemptionis captiuorum causam prompto animo suscipiant, seque ad salutem animarum in infideliũ potestate periclitantium feruenter exerceant, ac tam ipsi quam alij Christifideles nascẽti huic operi semper, & vbique faueant, piisque largitionibus prosequantur, centuplum in æternis cœli tabernaculis fœliciter recepturi. Insuper vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, necnon Rectoribus parochialium, & aliarũ Ecclesiarum eorumque Vicariis, ac ceteris ordinis Ecclesiastici personis secularibus, & etiam Mendicãtium regularibus in quacunque dignitate Ecclesiastica constitutis ditionis prędictę iniungimus, vt quotiescunque pro parte Custodũ & Confratrum prædictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, laudabile hoc opus per se, vel alium, seu alios, etiam adhibitis verbi Dei Concionatoribus, in suis quisque ecclesiis, plateis, & locis, & vbicunque opus erit, omnibus Christifidelibus publicent, atque denuncient, ipsosq; ad illud omni studio, & charitate ad eleemosynas, oblationes, & legata prædicta certatim confe-

rendo omni studio, & charitate accendant, vt miseris & afflictis captiuis, quorum animarum periculum imminet, copiosius succurratur. Cæterum vt pium hoc opus salubribus institutis directum fœlicia in dies suscipiat incrementa, Custodibus, & Confratribus prædictis licentiam tribuimus, vt ad faustum, & incolumen statum ipsius operis rite, atque ordine constituendum, quæcunque statuta, ordinationes, & decreta licita, & honesta, sacrisque canonibus, Conciliique Tridentini decretis non contraria, & à nostro in Vrbe in spiritualibus Vicario approbanda condere, ac condita, quotiescunque opus erit, mutare, & corrigere, & etiam omnino, vel in parte abrogare, aliaque vt præfertur approbanda de nouo edere, ac cętera gerere, exequi, & exercere, quæ in præmissis necessaria fuerint quomodocunque, & opportuna. Decernętes præsentes, ac omnia in eis contenta perpetuo inuiolata consistere, sicque per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, vbique iudicari, & diffiniri debere, necnō irritum, & inane quicquid contra illas per quoscunque scienter, vel igoranter contigerit attentari. Quo circa Venerabilibus fratribus nostris Hostien. & Bononien. ac Perusin. Episcopis per Apostolica scripta Motu simili mandamus, vt ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contēta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Custodum, ac Confratrum præfatorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ab omnibus semper, & vbique firmiter obseruari, ac Custodes, Confratres, & Quæstores prædictos, cæterosque omnes, quos literæ ipsę concernūt, illis pacifice frui, & gaudere: non permittentes quenquam ipsorum

cum desuper quomodolibet molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque oportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam sæpius aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstan. fel. recor. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dictis, dummodo vltra tres dictas aliquis auctoritate præsentium ad iudicium non trahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, Conciliis quoque vniuersalibus, etiam facultatum quæstuandi reuocatoriis, nec non prohibitionis desuper factis, ac Ecclesiarum Monasteriorum, Hospitalium, piorum locorum, Collegiorum, & aliarum Confraternitatum, necnon Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum, & Beatæ Mariæ de Mercede, aliorumque ordinum quorumcunque iuramēto, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam ad Imperatoris Regum, Reginarum, aliorumque Principum instantiam, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & aliàs, quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, & ad verbum, non autem per clausulas generales idem importātes mentio, seu quęuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibus-

quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpẽdi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, & ad verbũ de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, vt earundem præſentium trãſumptis etiam impreſſis & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ vel dictæ Archiconfraternitatis munitis, manuque eiuſdem Archiconfraternitatis, vel alterius Notarij publici ſubſcriptis, eadem prorſus fides vbique in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ impoſitionis, obteſtationis, iniunctionis, tributionis, decreti, mandati derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurũ. Datum Romæ apud Sanctum Petrũ, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octuageſimo primo, Quinto Kal. Iunij. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

M. Datarius.

Cæ. Glorierius.

Regiſtrata apud Cæſarem ſecretarium.

A. de Alexiis.

FINIS.

Este Libro es de
Vizente Ferrer de
Oliden 21 de Abril
del año de 176

A B C D E
F G H I J

Universidad de Deusto
Biblioteca